GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN ACAD. IVLIA PROF. PRIMARII

RESPONSVM
Maledicis Theologorum Moguntinorum

PRO ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE PRAECEPTOQVE COMMVNIONIS SVB VNA
Vindiciis

OPPOSITVM,

AD

REVERENDISSIMVM ET EMINENTISSIMVM ARCHIEPISCOPVM ET ELECTOREM MOGVNTINVM.



HELMESTADI,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MVLLERVS.

CIↃ IↃ C XLIV.

REVERENDISSIMO ET EMINENTISSIMO PRINCIPI,
DOMINO
ANSELMO CASIMIRO,
ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO, SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI ELECTORI, ET PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIO,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO
S. D.
GEORGIVS CALIXTVS.

QVum legendarum Tuarum, Reuerendiſsime & Eminentiſsime Archiepiſcope & Elector, quas de diſsidiis circa religionem exortis, odiiſq; inter Chriſtianos, inprimis Germanos, tollendis aut ſaltem minuendis ad Sereniſsimum AVGVSTVM, Ducem Brunſuicenſem &

Luneburgenſem, Principem & Dominum meũ clementiſsimum, dederas, ab eodem copia mihi fieret, quantopere lætatus fuerim, equidem verbis exprimere nequeo. Videbatur enim noua quædam ſpes affulgere ejus, cujus curam & deſiderium viro bono, patriæq; amanti, quin homini Chriſtiano pręcipuum eſſe debere ſemper exiſtimaui. Probas & laudas & laudando extollis ſtudium pacis & concordiæ, quod in Principe AVGVSTO ex ejus ad Te literis vnà cum meo de Communione ſub vtraq; libro, iteratáque Colonienſiũ compellatione tranſmiſsis deprehenderas: Teq; operam, quæ

huc

huc faciat, lubenter collaturum promittis. Sed quid vetat Tua ipsius verba hic recitari, & à pluribus, vt sanè digna sunt, cognosci? Wir haben / ais, eingenommen / wie hoch Ew. L. angelegen / vnd einen Weg zufinden desiderirn, damit die jenige Mißverstände vnd jrrungen / wordurch der Catholischen vnd andere Confessions verwandten Gemüter sich in etwas alterirt gegen einander befinden sollen / hinwieder besenfftiget / gute fundamental Einigkeit von newen gestifftet / oder wenigst in denen Puncten / worinnen noch zur Zeit vnd zwar bey deme noch gantz zerrütteten Weltwesen / zu einer rechten vnd gründlichen harmonie nicht zugelangen / doch allerseits eine Christ: Brüderliche moderation befürdert / vnd also hierdurch die vnzeitige schwere Verdamnungen eingestellet werden mügen / Thun Vns

 zufor-

zuforderst gegen Ew. L. sowol Ihrer Uns dieses fals also vertrawlich eroffneter Gemüts Meinung/ als auch deß communicirten beyschlusses freundlich bedancken/ vnd gebühret Ew. L. für dero so wol gemeinete Eyfferige Fürsorge/ wie etwa die hochschädliche in die Christliche Kirchen Teutschlandes bey vorigen Zeiten eingerissene schismata dermahleins auffgehoben/ die gute Verstandnuß vnd rechte Einigkeit/ im waren allein Seligmachenden Glauben/ hingegen wieder angeführet vnd fortgepflantzet/ vnd dadurch die Brunquell deß im Heil. Reich entstandenen Mißvertrawens desto besser verstopffet vnd abgewendet werden müge/ gewißlich ein sonderbahres hohes Lob vnd Nachruhmb/ Ew. L. können auch das beständige sichere Vertrawen zu Uns wol haben/ daß gleich wie Wir an Unser müglichsten cooperatiō vnd zuthuen ge-

geringstes nichts vnterlassen / so zu restabilirung eines friedsamen weltlichen Regiments vnd dermaleins wieder erlangung / der nun so viele lange Jahre exulireden, von so vielen tausent bettrengeten Seelen / mit inniglichen seufftzen / desiderirten allgemeinen Ruhe vnd tranquillitet im Heil. Röm. Reich / vnsern geliebten Vaterlande Teutscher nation immer dienlich vnd ersprießlich erachtet werden können / also auch an Vns nichts werden erwinden lassen / wie eben messig vnd zuvorderst auch die heilsame gnadenreiche Vereinigung in Religions sachen / ehestes gestifftet werden müge.

Hæc omnia præclarè, piè & sanctè à Te, Reuerendissime & Eminentissime Princeps, dicuntur, prorsus vt dignum est Archiepiscopo & Electore, non minus de medicina vulneribus ecclesiæ latè hiantibus

(1)3 facien-

faciendâ, quàm de communi patriâ ab interitu vindicandâ, sollicito. Non probas quidem, quæ ego hac fini proposui. Neq; ego verò mea, quę proposui, siue media siue consilia eo loco haberi cupio, vt si ab aliis meliora & propiùs ac feliciùs ad scopum collimantia proferri queant, talibus mea commutari nolim. Qualia autem mea sint, & quid ab iis sperari possit, postea fortè considerabimus. Nunc nihil aliud affirmo, quàm pias & sanctas esse cogitationes & curas de modis mediisue, quibus schismata, qualibus hodie, proh dolor, vniuersa ecclesia scinditur & in partes distrahitur, tollantur vel minuantur,

tur,

tur, & odia, quibus mutuis perniciem sibi Christiani accelerant, sopiantur aut mitigentur. Et quum ad plures extendi ista possint, nunc tamen de Germaniâ inprimis, & de Pontificiis ac Protestantibus, qui vocari solent, & in eâ partes faciunt, accipi volo. Dico igitur, caritati, quam ciues ciuibus debemus, imò quam nobis Dominus & Seruator noster summopere commendauit, fore consentaneum, reiq́; publicæ non minùs quàm ecclesiæ salutare, si opera detur, vt qui Pontificij & Protestantes appellantur, propiùs coëant, & odia, quibus dum indulgent, tũ prosperitatem temporariam, tum æter-

nam ſalutem multi prodigunt, ponant. Quâ de re Te tantum Imperij Principem & Archiepiſcopum eadem mecum ſentire, equidem vehemẽter gaudeo, & Deum ſupplex veneror, vt Te tali curæ deditum diu incolumem & florentem præſtet, piiſq́; conatibus proſperos ſucceſſus propitius indulgeat: Quò magis autem lætor, eò impẽſiùs miror Theologos Tuos Moguntinos ſententiæ Tuæ ſe obijcere, eamq́; tantùm non fatuitatis & impietatis palàm damnare. Libuit illis diſputationi meæ de Communione ſub vtraq; Anatomiam opponere, quæ proximis præteriti veris nundinis prodiit. Eam Catalogus

talogus librorũ euulgatorum interpretatur *Vindicias catholicas pro asserendo Romanæ ecclesiæ tribunali in fidei caussis infallibili, præceptoq; communionis sub vnâ specie, à Theologis Moguntinis indictas.* Quin vltimus scripti ejus paragraphus indicat, *prudentes iudicasse ad bonum commune pertinere, vt breuiter à Moguntinis Theologis exponeretur,* quid de meo libro sentirent. Habebo igitur id quidquid est scripti, vt scriptum Theologorũ Moguntinorum. Titulus quidem præfert nomen *Viti Erbermanni, è Societate Iesu, S. Theologiæ Doctoris & Professoris ordinarij,* tamquam præsidis, mihi aliunde prorsus ignoti. Iunguntur in exemplis, quæ non nisi xx huc attulit noster bibliopola, in aliis quidem Nicolaus Burgers Aubelius, in aliis Wilhelmus de la Croix Lo-

 tha-

tharingus, ille Baccalaureus formatus & canonicus; hic Baccalaureus Biblicus, & monachus. Vtriusq; vna & eadẽ præfatio, nullâ immutatâ voculâ, vterque de iisdem se iactat, vt vtriq; vnus & idem verba præiuisse videatur. An plures in exemplis, quæ nos hîc non vidimus, compareãt, ignoro, nec multùm referre puto. Satis caussæ esse liquet, quare nemine nominatim compellato sermonem ad *Theologos Moguntinos* dirigam. Quod per Te, Reuerendissime Archiepiscope & Elector, mihi licere nullus dubito; & quæ ego dixi, quæ illi regesserũt, & quæ ego nunc repono, à Temetipso cognosci humillimè peto. Vbi e-

bi enim rectè cognoueris, & quæ ego, quæ illi ſcripſimus, inter ſe vtraq; contenderis, vt judex ſedeas, & num ego vel illi rei ſint criminum, quæ mihi quidē exprobrant, ſed ipſi committunt, ſeriò & ſincerè pronuncies, minimè repugno. Crimina verò iſta ſunt, *hæreſes antiquas fouere, nouas procudere; immanes calumnias ructare, virulentas, atrociſſimas,* imò *tartareas* & *Satanicas: Principes* Pontificias partes amplexos *intolerandis iniuriis lacerare; mentiri; depuduiſſe; claſſicum canere; odia & bella ſpirare; Machiauellicæ impietati velificari; Antichriſto & atheiſmo viam parare,* & alia horrenda. Oportet itaq; me cōplura integra loca è prioribus meis ſcriptis adducere, Tuiſq; oculis ſubijcere, vt num mihi Theologiſue Moguntinis tantorum criminum dica re-

ctiùs ſcribatur, arbitreris: omnium autem primò non tam meam, quàm Tuam ipſius ſententiam, in literis ad Sereniſsimum Principem AVGVSTVM expreſſam, propter quam potiſsimum à Tuis vapulo, aduerſus horribilem eorum maledicentiam tueri; & à notâ fatuitatis ac impietatis, quę non modò mihi, qui hîc οὐδὲ τρίτος οὐδὲ τέταρτος nullo vel loco vel numero haberi cupio, nec tantùm Tibi Archiepiſcopo & Electori, ſed optimis etiam maximiſque Imperatoribus proteruè inuritur, vindicare.

SCripsi In Digressione de Arte noua, quæ hic subjungo: Vtinam omnibus ha- Pag. 105.
ctenus cordi semper fuisset, aut nobis etiam hodie esset; quod sanctè statuit Recessus Imperij Augustanus anni CIↃ IↃ LV, is ipse videlicet, quo stabilita est Pax religionis: Es sol die streitig Religion nicht anders/ dann durch Christliche/ freundliche/ friedliche Mittel vnd Wege zu einhelligem Christlichem Verstande vnd Vergleichung gebracht werden. Vtinam tam altè animis omnium insedisset, quàm verè & piè dictum est altero, post biennium, Ratisbonæ condito Recessu, Daß dieser Artickel vn- A.C. ᴄɪↄɪↄʟᴠɪɪ.
verneinlich der treffenlichst vnd hochwichtigst vnter allen andern des H. Reichs obliegen/ daran einem jeden Christen billich zu dem höchsten gelegen seyn sol. Item, Weiln an Christlicher Vergleichung angezeigter Religion nicht allein die zeitliche/ sondern auch die ewige Wolfart/ vnd der Seelen Heil vnd Seligkeit gelegen seyn wil/ vnd destomehr dieser Artickel aller möglichen Befürderung wol würdig vnd nothdürfftig ist/ vnd in fernere Verlengerung/ dem heiligen Reich Teutscher Nation zu weiterm Nachtheil/ nicht zustellen. Mox initur ratio & præscribitur modus Colloquii VVormatiæ habendi, constituto Præside, & vtrimq; quaternis Adsessoribus, senis Colloquutoribus, totidem

Ad-

Adjunctis totidemq; Auditoribus & binis Notariis. Hæc acta vrgente & curante Cæsare FERDINANDO, immortalis gloriæ Principe, qui vniversæ posteritati gratissimam sui memoriam cum maximâ pietatis, prudentiæ & moderationis laude conjunctam reliquit. Conqueritur tamen post alterum biennium in Recessu comitiis Augusta-
A. C. 1558. nis edito, daß berührt Colloquium, auch etliche vorige/wenig fürtreglich gewesen/vnd solcher Weg der colloquien/den Spaltungen in der Christlichen Religion dardurch abzuhelffen / dißmal weiter nicht fürgenommen werden mag. Vestigiis paternis inhæsit MAXIMILIANVS II, qui Recessu comitiorum itidem Augustæ habitorum, quàm esset pacis redintegrandæ & concordiæ sarciendæ cupidus, prolixè testatum fecit; sibi dolere dictitans, quòd iniquitate temporum ob turbatam à seditiosis rempub. ab indagandis consiliis remediisq; quib. schismati medicina fieret, prohiberetur: promittit autem gantz Christlich / trewlich/ embsig vnd Väterlich nachdenckens zu haben/was etwa zu einer andern vnverlängten Zeit vnd besserer Gelegenheit/so ehest das auch jmmer beschehen kan vnd mag/ für zimliche/ gebürliche vnd Gottselige Mittel vnd Weg zu treffen/ vnd ins Werck zu setzen seyn möchten / daher durch milte Mitwirckung Göttlicher Güte vnd Barmhertzigkeit / zu

ewiger

ewiger vnd zeitlicher Wolfart der Christenheit/ bevorab vnser Teutschen Nation vnd des Vatterlands/ eine Christliche Vergleichung je zu letzt füglich getroffen werden könt. Hæc acta anno CIƆ IƆ LXVI.

II. Præfatione ad Sereniſſimum Principem AVGVSTVM iſta habentur: In Receſſibus Imperij indicium fit, judicatum ſuperiore ſeculo fuiſſe, quatuor dari modos ſiue media, quibus controuerſias religionis componi, & concordiam eccleſiis Germaniæ reddi poſſe ſpes eſſet: nempe *Generale* concilium, *Nationale*, *Comitia* vel conuentus Imperij, *Colloquia*. At concilium generale cenſeri, quale paullò ante diximus, & iniquum fuerit, & abſurdum. Aduocari autem ex vniuerſo orbe, præſertim ex oriente, epiſcopos & patriarchas, nec tyrannus Turcicus permiſerit; nec eos, ſi maximè adeſſent, Romanus pontifex admiſerit. Qui dudum perſonatos ſubſtituit, vt oculis hominum glaucoma, & ſimulacrum vniuerſæ eccleſiæ ſibi ſubditæ obijceret: dudũ etiam dictauit, *quòd omnes ipſe judicet, iudicari à nemine debeat; quòd ſua ſententia à nullo retractari, ſolus autem ſententias omnium retractare poſſit.* Qualibus dictatibus non exploſis, quid referat ex vniuerſo orbe omnes ſingulosque, ſi vel commodiſſimè poſſint, in vnum conuenire, & ſententias dicere? Quòd ſi Pag. c 1.

C natio-

nale concilium in Germaniâ coëat, aût comitia Imperij celebrentur, de rebus tamen fidem & religionem concernentibus aliter ibi tractari non poterit, quàm per colloquia; ex decreto proinde Imperatoris & comitiorum instituta tum Augustæ anno cIↃ IↃ XXX; tum Ratisbonæ anno cIↃ IↃ XLI & cIↃ IↃ XLVI; tum VVormatiæ anno cIↃ IↃ LVII, & quidem de capitibus doctrinæ, de quibus jam constituerat synodus Tridentina. Quæ quum tandem post annos XIIX, ex quo cœpta erat, absolueretur, finemque sanciendi & anathemata crepandi, fecisset; quamuis sanctiones & anathemata ista obstare, hisque acquiescendum esse videri potuisset, nihilominus Imperatores Ferdinandus primus & Maximilianus secundus viros pietate, moderatione & eruditione præstantes exponere voluerunt, quomodo existimarent conscibendam esse formulam, per quã sincera doctrina ab adulterinâ discerneretur, & quid in prædicatione diuini verbi & administratione sacramentorum sequi vel fugere oporteat, cognosceretur. Et nihil profecto salubrius, quàm viros pios, graues, pacis studiosos, Scripturæ & antiquitatis ecclesiasticæ peritos deliberare & consilia conferre; non præproperè decernere & condemnare. Exortis enim in ecclesiâ controuersiis nouis aut disceptationi multùm obnoxiis,

vul-

vulnus, quod consilio & lapsu temporis sanari potuisset, anathemata & præcipitatio sæpe reddunt immedicabile. Recessus autem Imperij disertè sanciunt, controuersias religionis, quibus Germania affligitur, haut aliter, quàm modis Christianæ caritati & mansuetudini, amicitiæq;, quam ejusdem reipub. ciues sibi mutuam debeant, consentaneis componi oportere. Et Recessu Augustano anni cIↄ Iↄ LXVI vehementer dolere sibi testatur Maximilianus secundus, quòd iniquitate temporum ob turbatam à seditiosis rempub prohibitus operam quærendis remediis, quibus schismati medicina fieret, dare non posset.

III. Denique sub eiusdem præfationis finem in hunc modum loquor: Vtinam Sacræ Cæsareæ Majestati per publicam Germaniæ calamitatem, & turbatissimum reip. statum, componendo religionis dissidio juxta modum, quem Recessus Imperij commendant, operam dare liceret. Præiuerunt sinè exemplo ad omnem posteritatem memorabili, tum Carolus quinctus, tum Ferdinandus primus proauus, & Maximilianus secundus patruus magnus, gloriosissimæ memoriæ Cæsares, dum sibi curam sanandorum ecclesiæ vulnerum, tollendorum abusuum, & sedandarum controuersiarum, quamuis ægrè ferret Pontifex, sumserunt; & hac fini colloquia haberi & consultationes in- Pag. h 2.

 stitui

ſtitui fecerunt. Quum enim nihil ſit, quod vel ad Dei gloriam, vel ad eccleſiæ incrementum, vel ad reip. quietem magis faciat, quomodo ejuſmodi cura à Summis Principibus, quibus ſuam vicem in terris Deus commiſit, aliena fuerit? imò quomodo non maximè propria?

IV. Ex hiſce manifeſtum euadit, nihil à me aliud dici aut proponi, quàm quod dudum ſtatuerunt, rectumq; & pium judicarunt Imperatores optimi maximi, & Imperij Ordines, & hodie rectum ac pium eſſe adſerit Reuerendiſſimus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus. Eò itaque magis miror, quòd Vos, Domini Theologi Moguntini, hiſce omnibus obſtrepitis, omnesque conatus & labores redintegrandæ eccleſiaſticæ vnitati impenſos aut impendendos, exploditis. Me verò, qui verbo Vos numquam læſi, qui veſtræ partis Doctores amanter & honorificè compellaui, immanibus conviciis à Vobis proſcindi, minùs miror. Memini olim Profeſſores Theologicæ Facultatis in academiâ Moguntinâ Ieſuitas eſſe. Credo etiam hodie ita ſe habere. Quod igitur Imperatoribus, Ordinibus & Receſſibus Imperij, ipſiq; Principi & Archiepiſcopo veſtro Vos obijcitis, & decreta, ſcita ac conſilia eorum damnatis, me verò mole atrocium maledictorum obruere conamini; id in mentem mihi reuocat, quæ in iſtam & de iſtâ Societate ſiue pridem ſiue nuper non modò a Proteſtantibus, ſed à Pontificiis quoque ſcriptoribus in lucem ſunt data, & propemodum perſuadet, vt pleraque vera eſſe credam.

V. Viſum fuit Vobis ſcripto veſtro *Anatomia* titulum indere. Adeòne autem placuit *Anatomia Societatis* antehac edita, & nuper recuſa, vt ab eâ Vobis, parum

aliàs,

aliàs, nisi fallor, anatomiæ & ἐγχειρήσει ἀνατομικῇ, quam Galenus vocat, adsuetis, centonum vestrorum malè consutorum inscriptionem, sub qua prostarent, mutuam sumere libuerit? Mihi certè occasionem præbuistis, vt libellum denuò euoluerem: sub cujus finem lego, quæ huic vestro scripto congruere animaduerto, nempe Iesuitas *vereri, ne velut edentuli & ignaui canes osse & offâ priuentur, & nulla noua collegia, nulla opulenta monasteria, nulla vncta patrimonia posthac sibi conficere possint, nisi velut furiosi molossi mordicus alios inuadant*. Me sanè eum in modum inuasistis. Quod tamen perferre malo, quàm rependere; meque *exhibere vt Dei ministrum* ἐν ὑπομονῇ πολλῇ — διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας. 1 Cor. 6, 4 & 8.

VI. Alij Iesuitas accusant, quod ambitioni Romani Pontificis, arbitrio suo Imperatores & Reges, imò vniuersi mundi regna subijcere cupidi, strenuè inseruiant; quòd hos ipsos in negociis Christianam fidem & religionem attinentibus totos à nutu Pontificis pendere jubeant, nec aliud præstare, quàm merum obsequium; quòd hos item ipsos omnes præ Pontifice, imò fere præ sese, nihili faciant; quòd doceant si cum Protestantibus transigatur, aut iis securitas promittatur, id ratum non esse, nisi probauerit Pontifex, nec diutiùs validum, quàm permiserit. Etsi Iesuitis solis hæc doctrina ita tribui non potest, vt ab eâ cæteri omnes Pontificij doctores abhorrere existimentur.

VII. Vos profectò, Domini Moguntini, animos omnium, qui de Vobis ista persuasi sunt, in sententia, quam conceperunt, egregiè confirmatis. Imperatores tum priuatim, si quid tamen hîc dici debet priuatum, tum publicè in comitijs vnà cum Ordinibus Imperij, Vnionem & concordiam ecclesiasticam inter Pontifi-

ctiùs ſcribatur, arbitreris: omnium autem primò non tam meam, quàm Tuam ipſius ſententiam, in literis ad Sereniſsimum Principem AVGVSTVM expreſſam, propter quam potiſsimùm à Tuis vapulo, aduerſus horribilem eorum maledicentiam tueri; & à notâ fatuitatis ac impietatis, quę non modò mihi, qui hîc οὐδὲ τρίτος οὐδὲ τέταρτος nullo vel loco vel numero haberi cupio, nec tantùm Tibi Archiepiſcopo & Electori, ſed optimis etiam maximiſque Imperatoribus proteruè inuritur, vindicare.

Scripſi

Cripsi In Digressione de Arte nouâ, quæ hic subjungo: Vtinam omnibus hactenus cordi semper fuisset, aut nobis etiam hodie esset; quod sanctè statuit Recessus Imperij Augustanus anni CIↃ IↃ LV, is ipse videlicet, quo stabilita est Pax religionis: Es sol die streitig Religion nicht anders/ dann durch Christliche/ freundliche/ friedliche Mittel vnd Wege zu einhelligem Christlichem Verstande vnd Vergleichung gebracht werden. Vtinam tam altè animis omnium insedisset, quàm verè & piè dictum est altero, post biennium, Ratisbonæ condito Recessu, Daß dieser Artickel vnverneinlich der treffenlichst vnd hochwichtigst vnter allen andern des H. Reichs obliegen/ daran einem jeden Christen billich zu dem höchsten gelegen seyn sol. Item, Weiln an Christlicher Vergleichung angezeigter Religion nicht allein die zeitliche/ sondern auch die ewige Wolfart/ vnd der Seelen Heil vnd Seligkeit gelegen seyn wil/ vnd destomehr dieser Artickel aller möglichen Befürderung wol würdig vnd nothdürfftig ist/ vnd in fernere Verlengerung/ dem heiligen Reich Teutscher Nation zu weiterm Nachtheil/ nicht zustellen. Mox initur ratio & præscribitur modus Colloquii VVormatiæ habendi, constituto Præside, & vtrimq; quaternis Adsessoribus, senis Colloquutoribus, totidem

Pag. 105.

A.C. ɪɔɪɔʟvɪɪ.

Ad-

Adjunctis totidemq; Auditoribus & binis Notariis. Hæc acta vrgente & curante Cæsare FERDINANDO, immortalis gloriæ Principe, qui vniuersæ posteritati gratissimam sui memoriam cum maximâ pietatis, prudentiæ & moderationis laude conjunctam reliquit. Conqueritur tamen post alterum biennium in Recessu comitiis Augustanis edito, daß berührt Colloquium, auch etliche vorige/wenig fürträglich gewesen/vnd solcher Weg der colloquien/den Spaltungen in der Christlichen Religion dardurch abzuhelffen / dißmal weiter nicht fürgenommen werden mag. Vestigiis paternis inhæsit MAXIMILIANVS II, qui Recessu comitiorum itidem Augustæ habitorum, quàm esset pacis redintegrandæ &concordiæ sarciendæ cupidus, prolixè testatum fecit; sibi dolere dictitans, quòd iniquitate temporum ob turbatam à seditiosis rempub. ab indagandis consiliis remediisq; quib. schismati medicina fieret, prohiberetur: promittit autem gantz Christlich/ trewlich/ embsig vnd Väterlich nachdenckens zu haben/was etwa zu einer andern vnverlängten Zeit vnd besserer Gelegenheit/so ehest das auch immer beschehen kan vnd mag/ für zimliche/ gebürliche vnd Gottselige Mittel vnd Weg zu treffen/vnd ins Werck zu setzen seyn möchten / daher durch milte Mitwirckung Göttlicher Güte vnd Barmhertzigkeit / zu

A. C. 1559.

ewiger

ewiger vnd zeitlicher Wolfart der Christenheit/ bevorab vnser Teutschen Nation vnd des Vaterlands/ eine Christliche Vergleichung je zu letzt fügsamlich getroffen werden könt. Hæc acta anno CIↃ IↃ LXVI.

II. Præfatione ad Sereniſſimum Principem AVGVSTVM iſta habentur: In Receſſibus Imperij indicium fit, judicatum ſuperiore ſeculo fuiſſe, quatuor dari modos ſiue media, quibus controuerſias religionis componi, & concordiam eccleſiis Germaniæ reddi poſſe ſpes eſſet: nempe *Generale* concilium, *Nationale*, *Comitia* vel conuentus Imperij, *Colloquia*. At concilium generale cenſeri, quale paullò ante diximus, & iniquum fuerit, & abſurdum. Aduocari autem ex vniuerſo orbe, præſertim ex oriente, epiſcopos & patriarchas, nec tyrannus Turcicus permiſerit; nec eos, ſi maximè adeſſent, Romanus pontifex admiſerit. Qui dudum perſonatos ſubſtituit, vt oculis hominum glaucoma, & ſimulacrum vniuerſæ eccleſiæ ſibi ſubditæ obijceret: dudũ etiam dictauit, *quòd omnes ipſe judicet, iudicari à nemine debeat; quòd ſua ſententia à nullo retractari, ſolus autem ſententias omnium retractare poſſit.* Qualibus dictatibus non exploſis, quid referat ex vniuerſo orbe omnes ſingulosque, ſi vel commodiſſimè poſſint, in vnum conuenire, & ſententias dicere? Quòd ſi Pag. c 1.

natio-

nale concilium in Germaniâ coëat, aut comitia Imperij celebrentur, de rebus tamen fidem & religionem concernentibus aliter ibi tractari non poterit, quâm per colloquia; ex decreto proinde Imperatoris & comitiorum instituta tum Augustæ anno cIↃIↃ XXX; tum Ratisbonæ anno cIↃ IↃ XLI & cIↃ IↃ XLVI; tum VVormatiæ anno cIↃ IↃ LVII, & quidem de capitibus doctrinæ, de quibus jam constituerat synodus Tridentina. Quæ quum tandem post annos XIIX, ex quo cœpta erat, absolueretur, finemque sanciendi & anathemata crepandi, fecisset; quamuis sanctiones & anathemata ista obstare, hisque acquiescendum esse videri potuisset, nihilominus Imperatores Ferdinandus primus & Maximilianus secundus viros pietate, moderatione & eruditione præstantes exponere voluerunt, quomodo existimarent conscibendam esse formulam, per quã sincera doctrina ab adulterinâ discerneretur, & quid in prædicatione diuini verbi & administratione sacramentorum sequi vel fugere oporteat, cognosceretur. Et nihil profectò salubrius, quàm viros pios, graues, pacis studiosos, Scripturæ & antiquitatis ecclesiasticæ peritos deliberare & consilia conferre; non præproperè decernere & condemnare. Exortis enim in ecclesiâ controuersiis nouis aut disceptationi multùm obnoxiis,

vul-

vulnus, quod consilio & lapsu temporis sanari potuisset, anathemata & præcipitatio sæpe reddunt immedicabile. Recessus autem Imperij disertè sanciunt, controuersias religionis, quibus Germania affligitur, haut aliter, quàm modis Christianæ caritati & mansuetudini, amicitiæq;, quam ejusdem reipub. ciues sibi mutuam debeant, consentaneis componi oportere. Et Recessu Augustano anni CIↃ IↃ LXVI vehementer dolere sibi testatur Maximilianus secundus, quòd iniquitate temporum ob turbatam à seditiosis rempub. prohibitus operam quærendis remediis, quibus schismati medicina fieret, dare non posset.

III. Denique sub eiusdem præfationis finem in hunc modum loquor: Vtinam Sacræ Cæsareæ Majestati per publicam Germâniæ calamitatem, & turbatissimum reip. statum, componendo religionis dissidio juxta modum, quem Recessus Imperij commendant, operam dare liceret. Præiuerunt sanè exemplo ad omnem posteritatem memorabili, tum Carolus quinctus, tum Ferdinandus primus proauus, & Maximilianus secundus patruus magnus, gloriosissimæ memoriæ Cæsares, dum sibi curam sanandorum ecclesiæ vulnerum, tollendorum abusuum, & sedandarum controuersiarum, quamuis ægrè ferret Pontifex, sumserunt; & hac fini colloquia haberi & cousultationes in- Pag. h 2.

 stitui

ſtitui fecerunt. Quum enim nihil ſit, quod vel ad Dei gloriam, vel ad eccleſiæ incrementum, vel ad reip. quietem magis faciat, quomodo ejuſmodi cura à Summis Principibus, quibus ſuam vicem in terris Deus commiſit, aliena fuerit? imò quomodo non maximè propria?

IV. Ex hiſce manifeſtum euadit, nihil à me aliud dici aut proponi, quàm quod dudum ſtatuerunt, rectumq; & pium judicarunt Imperatores optimi maximi, & Imperij Ordines, & hodie rectum ac pium eſſe adſerit Reuerendiſſimus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus. Eò itaque magis miror, quòd Vos, Domini Theologi Moguntini, hiſce omnibus obſtrepitis, omnesque conatus & labores redintegrandæ eccleſiaſticæ vnitati impenſos aut impendendos, exploditis. Me verò, qui verbo Vos numquam læſi, qui veſtræ partis Doctores amanter & honorificè compellaui, immanibus conviciis à Vobis proſcindi, minùs miror. Memini olim Profeſſores Theologicæ Facultatis in academiâ Moguntinâ Ieſuitas eſſe. Credo etiam hodie ita ſe habere. Quod igitur Imperatoribus, Ordinibus & Receſſibus Imperij, ipſiq; Principi & Archiepiſcopo veſtro Vos obijcitis, & decreta, ſcita ac conſilia eorum damnatis, me verò mole atrocium maledictorum obruere conamini; id in mentem mihi reuocat, quæ in iſtam & de iſtâ Societate ſiue pridem ſiue nuper non modò à Proteſtantibus, ſed à Pontificiis quoque ſcriptoribus in lucem ſunt data, & propemodum perſuadet, vt pleraque vera eſſe credam.

V. Viſum fuit Vobis ſcripto veſtro *Anatomiæ* titulum indere. Adeóne autem placuit *Anatomia Societatis* antehac edita, & nuper recuſa, vt ab eâ Vobis, parum aliàs,

aliis, nisi fallor, anatomiæ & ἐγχειρήσει ἀνατομικῇ, quam Galenus vocat, adsuetis, centonum vestrorum malè consutorum inscriptionem, sub quâ prostarent, mutuam sumere libuerit? Mihi certè occasionem præbuistis, vt libellum denuò euoluerem: sub cujus finem lego, quæ huic vestro scripto congruere animaduerto, nempe Iesuitas *vereri, ne velut edentuli & ignaui canes osse & ossâ priuentur, & nulla noua collegia, nulla opulenta monasteria, nulla vncta patrimonia posthac sibi conficere possint, nisi velut furiosi molossi mordicus alios invadant.* Me sanè cum in modum inuasistis. Quod tamen perferre malo, quàm rependere; meque *exhibere vt Dei ministrum* ἐν ὑπομονῇ πολλῇ — διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας. 2 Cor. 6, 4 & 8.

VI. Alij Iesuitas accusant, quod ambitioni Romani Pontificis, arbitrio suo Imperatores & Reges, imò vniuersi mundi regna subijcere cupidi, strenuè inseruiant; quòd hos ipsos in negociis Christianam fidem & religionem attinentibus totos à nutu Pontificis pendere jubeant, nec aliud præstare, quàm merum obsequium; quòd hos item ipsos omnes præ Pontifice, imò fere præ sese, nihili faciant; quòd doceant si cum Protestantibus transigatur, aut iis securitas promittatur, id ratum non esse, nisi probauerit Pontifex, nec diutiùs validum, quàm permiserit. Etsi Iesuitis solis hæc doctrina ita tribui non potest, vt ab eâ cæteri omnes Pontificij doctores abhorrere existimentur.

VII. Vos profectò, Domini Moguntini, animos omnium, qui de Vobis ista persuasi sunt, in sententia, quam conceperunt, egregiè confirmatis. Imperatores tum priuatim, si quid tamen hic dici debet priuatum, tum publicè in comitijs vnà cum Ordinibus Imperij, Vnionem & concordiam ecclesiasticam inter Pontifi-

cios & Protestantes summis expetunt votis, hac fini colloquia instituunt, viros eruditos & moderatos sententias dicere jubent, huc dirigunt conatus & consilia. Reuerendissimus & Celsissimus Archiepiscopus & Elector vester idem concordiæ studium maximis vehit laudibus, & sibi curæ ac cordi esse profitetur. Quid Vos

Sect. 1. n. 1. autem? conatus eos non minùs esse absurdos, quàm si quis flammas & vndas, lupos & agnos in vnam conflare naturam, aut cum Poëtis tragelaphos & hippocentauros condere aggrederetur. Item, fatuum esse, aliud de Protestantibus sibi

Num. 5. polliceri, quàm apud eos pacem esse non posse, qui pacis jura nesciant. Nempe vos soli sapitis: Imperatores, Imperij Ordines, Archiepiscopus vester, omnes illi præ vobis fatui sunt. Annon etiam impij? quidni? in religio-

Num. 3. nem vtique vestram Hildebrandinam, quæ delicata magis, quàm tenerrima oculi pupilla, vel vnius atomi accessu recessuq; periclitatur. Non potest scilicet sine crimine hæreseos negari ἀναμαρτησία siue infallibilitas Pontificis; aut *Quod vnicum est nomen in mundo, Papæ videlicet; Quòd illi liceat Imperatores deponere; Quòd sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit; Quòd meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus; Quòd à fidelitate subiectos potest absoluere.* Si dicas, Pars vtraque in medium, aliquantulum de suo gradu mota, conueniat: Pontificia missos faciat portentosos hosce dictatus. At neque hoc saluâ pietate committi potest. In pietatem itaque juxta Vos peccarunt, hodieq; peccant, quicumque de schismate & odiis Protestantium & Pontificiorum tollendis aut minuendis consilia agitant.

IIX. Id ipsum hujusmodi quoq; verbis confirmatis:

Num. 7. Quòd Calixtus studium in hac re deprædicat piissimorum Imperatorum Caroli V, Ferdinandi primi & cæterorum; est sanè, vnde hi mereantur laudem quidem in eo, quòd vulneribus

tiuus Ecclesiæ Germanicarumque defectioni medicinam solli-
citè paternéque indagarint; veniam verò fortasse (deliquerunt igitur; & Vos veniæ quidem spem ostenditis, sed non nisi dubiam) in hoc, quòd non omnino attenderint quid agerent, dum ab vnius aut paucorum judicio pendere vellent fidem & salutem omnium suorum populorum. Et hic optimis & sapientissimis Imperatoribus injuriam facitis, & calumniam struitis, quum dicitis, *non attendisse quid agerent; ab vnius aut paucorum iudicio pendere voluisse fidem & salutem omnium suorum populorum.* Aliud est consilium & sententiam viri prudentis & eruditi exquirere, & audire velle: aliud verò ab vnius aut paucorum judicio fidem & salutem omnium suspendere. Prius factitarunt Imperatores: posterius per calumniam eis imponitis. Qui opus arduum molitur, & ad finem magnis difficultatibus septum adspirat, neq; seriò agere videbitur, neque prudenter, nisi de mediis sit sollicitus, & consilia quærat, audiat, expendat. Consultationes hæ erant, non definitiones. Vos autem quod Imperatoribus exprobratis, reapse committitis, dum à judicio vnius Pontificis, hominis plerumque, præsertim vt hodie agitur, doctrinæ sacræ prorsus imperiti, sæpe etiam nequam & flagitiosi, fidem & salutem omnium suspenditis.

IX. Sed pergite. Sanè laudabilius fecissent, vocem Summi Pastoris humiliter audiendo, quàm auscultando consultationibus Cassandri, & similium. Qualis autem vox Summi vestri illius pastoris, quam adeo humiliter audire debuit Carolus quinctus? Post cætera, quibus Cæsari omnem non saltem de negociis fidei, sed de bonis etiam ecclesiasticis, fundis, inquam, & terris intra limites Imperij sitis, aut Imperij etiam feudis, tractandi & statuendi facultatem ademerat, *Ea,* inquit, *quæ per nimiam indulgen-* Num. 8.

dulgentiam rebellibus huic sanctæ sedi & contumacibus concessisti, rescindas ac tollas. Immunitatem à persequutione & securitatem Protestantibus concesserat Imperator: eam rescindi & tolli jubet Pontifex. Hæc itaque vox est Summi pastoris, quam humiliter audire & in rem transferre Cæsares vultis. At pergite vlterius: Nam & illa Pauli tertij P. M. paterna & grauis monitio, vt ab ejusmodi tractatibus abstineret, nihil discrepabat à more priscorum sanctissimorumque prædecessorum. *Quis est*, aiebat nomine omnium S. Ambrosius, (hiccine Romanus pontifex, aut Romanorum pontificum prædecessor?) *qui abnuat, in caussâ fidei Episcopos solere de Imperatoribus, non Imperatores de Episcopis iudicare?* Valentinianus Imperator ejus nominis secundus, adolescens catechumenus & baptismi expers, matrem habebat Iustinam, Arianis addictissimam, quæ per filium minùs peritum & prouidum efficere annitebatur, vt Ambrosio moto aut pulso subrogaretur Auxentius Arianus, gente Scytha, qui Mercurinus vocari volebat. Hic autem ipse homo audax & arrogans prouocauerat Ambrosium ad ineundam in consistorio Cæsaris disputationem. *Gentiles quosdam quatuor aut quinque ferme homines elegerat cognitores sibi; — dicens iudicare debere* Imperatorem *adolescentem catechumenum, sacræ lectionis ignarum; & in consistorio iudicare.* Renuit Ambrosius, & regerit, Episcoporum esse, *vt in caussâ fidei de Imperatoribus iudicent*, nempe judicent, quemadmodum episcoporum muneri consentaneum, dum veritatem docent, demonstrant, euincunt, nō autem esse Imperatorum, vt in caussâ fidei de Episcopis judicent, ad eum scilicet modum; & quidem in suo consistorio. Verba viri sancti epistolâ XXXII (non, vt vos citastis, XXIII, loco fortè numquam inspecto) hæc sunt: *Quando audisti, clementissime*

Orat. in Auxent.

ßime Imperator, in cauſsâ fidei laicos de epiſcopis iudicaſſe? — Si docendus eſt epiſcopus à laico, quid ſequetur? Laicus ergo diſputet, & epiſcopus audiat; epiſcopus diſcat à laico. At certè ſi Scripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſsâ fidei, in cauſsâ inquam fidei, epiſcopos ſolere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de epiſcopis iudicare. Addit deinde: *Veniant ad eccleſiam, audiant cum populo; non vt quiſquam iudex reſideat, ſed vnuſquiſque de ſuo affectu habeat examen, eligat quem ſequatur. Agitur de iſtius eccleſiæ ſacerdote: ſi audierit illum populus, & putauerit meliùs diſputare, ſequatur fidem eius: non inuidebo.* Et alibi: *Cauſſam fidei in eccleſiâ agendam quis abnuat?* Id vos etiam hodie dicite, & fieri facite aut permittite, ſi Ambroſium audire vultis vel ſequi. Orat. in Auxent.

X. Videmini autem proniores vt imitemini Auxentium, quàm Ambroſium. Nempe Ambroſius, ſicut modò diximus, poteſtatem facit populo in eccleſiâ vtrumque audiendi, & fidem eius, quem meliùs diſputare putauerit, ſequendi. Auxentius in conſiſtorio adoleſcentis & catechumeni Cæſaris vult diſputare: eumque, *cui adhuc emerenda baptiſmatis ſacramenta ſeruantur, arrogare* ſibi *de fide iudicium, quum fidei ipſius ſacramenta non nouerit.* Ita vos vultis judices eſſe veſtros Romanos Pontifices, *quorum plures conſtat adeo illiteratos eſſe, vt Grammaticam penitus ignorent,* quemadmodum de iis loquitur Alfonſus à Caſtro Minorita. Hodie quidem Vrbanus octauus Grammaticam callet, *Doctorem* tamen dicere non audet Alfonſus de Vargas, homo certè non è Proteſtantibus vnus, *quum Theologiæ ne diſcipulus quidem vnquam fuerit.* Admittitis fortè ad conſortium judicandi, in congreſſibus præſertim Tridentinis, ſub auſpiciis tamen & ductu Pontificis, epiſcopos veſtros, Lib. 1 adv. hær. c. 4. Relat. de Stratag. Ieſ. c. 4.

De punit. hæret. l. 1, cap. 5. quorum *etsi aliqui sint docti, multò tamen plures*, vt idem scribit Alfonsus Castrius, *sunt adeo indocti, vt vix latinè sciant loqui, & (quod multò peius est) eorum aliqui nec bene latinè legere nouerunt*. Isidorus Clarius Italus, ipse episcopus, qui anno superioris seculi LV non sine sanctitatis opinione obiit, hoc eis testimonium perhibet: *E tam ingenti episcoporum ac pastorum numero nullus penè episcopus ac pastor appellari dignus, propterea quòd omnia nouerunt præter episcopi ac pastoris officium. — Circumspicite Christianum orbem; Italiam ipsam, in quâ degimus, contemplamini, si quatuor in tanto ambitu sunt episcopi, qui integrè officio fungantur suo.* Sicut autem monet Claudius Espencæus Parisiensis Theologus, *factum est posterioribus seculis, vt in conciliis id demum fiat, & necessariò fiat, quod nationi placeat Italicæ, vt quæ sola numero episcoporum, qui & ipsi soli vocem illic decisiuam habent, nationes alias æquet aut superet. Hæc illa est Helena, quam nuper Tridenti obtinuit.*

Orat. 9 in Lucam.

In c. 1 ad Tit. digress. 1.

XI. Sed ad Ambrosium reuertamur, cujus hæc sunt verba: *Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoq; lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. At Auxentius plenus sanguinis, plenus cruoris. Qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans, manu scribens; & putans quòd lex fidem hominibus possit imperare.* Ita etiam Vos articulos fidei vestræ, quos ex Sacrâ Scripturâ vel primæ priscæq; ecclesiæ consensu deducere & euincere non vultis aut non potestis, per leges ab hominibus, inprimis Romano pontifice, latas, sanciri contenditis, & adsensum denegantes ex arbitrio Romani pontificis mulctari rectum arbitramini. Quod si fiat, non gladio saltem ferientur, sed igne torrebuntur.

Orat. in Auxent.

XII. An-

XII. Audiuimus Paulum tertium edicere, vt Imperatores studio sarciendæ in ecclesiâ concordiæ penitus abstineant, & fidem ac securitatem Protestantibus datam rescindant. Neutri autem mandato Imperatores paruerunt: & propterea Vobis judicibus grauiter sine dubio peccarunt. Audiamus etiam Paulum quartum in Bullâ anno clↄ Iↄ LIIX editâ. Ille de consilio & consensu Cardinalium omnes & singulas censuras & pœnas à decessoribus suis aut concillis *contra hæreticos aut schismaticos quomodolibet latas & promulgatas approbat & innouat.* Deinde, *omnes & singuli*, ait, *Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges & Imperatores; qui deuiasse aut in hæresin incidisse, seu schisma incurisse, excitasse vel commisisse deprehensi, aut confessi vel conuicti fuerint, — Comitatibus, Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis & Imperio penitus & in totum perpetuo sint priuati, & ad illa de cætero inhabiles & incapaces: — quinimò secularis relinquantur arbitrio potestatis, animaduersione debitâ puniendi; nisi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ indiciis & condignæ pœnitentiæ fructibus, ex ipsius Sedis benignitate & clementiâ, in aliquo monasterio, aut alio regulari loco, ad peragendam perpetuam in pane doloris & aquâ mæstitiæ pœnitentiam, retrudendi visi fuerint.* Sequitur deinceps: *Quibuscumq; regnis, ducatibus, dominiis, feudis, & bonis temporalibus per eos possessis priuati existant eo ipso; regnaq;, ducatus, dominia, feuda & bona huiusmodi publicentur & publicata sint: efficianturq; iuris & proprietatis eorum, qui illa primò occupauerint, si in sinceritate fidei, vnitate S. Romanæ ecclesiæ, ac sub nostrâ & successorum nostrorum Romanorum pontificum canonicè intrantium obedientiâ fuerint.* Hæ scilicet sunt voces Summorum vestrorum Pastorum, quas à Regibus & Imperatoribus audiri humiliter vultis. Scripsi autem ego in Digressione de arte nouâ, quæ hic repeto:

Pag. 477. Sicut veri Christiani in eas angustias, vt quoscumque fidei articulos Pontifex per suam infallibilitatem statuerit, acceptare, quoscumq; destituerit, reijcere teneantur, se cogi numquam patientur: ita non magis concedent Imperator, Reges & Principes, imperium, regna & ditiones suas in manu Papæ esse, vt, si diuersam à Papæ mente sententiam, quam is hæresin appellare solet, fouerint, aut in exterminandis, quos hæreseos damnauerit, remissos, aut *inutiles & circa regimen & iustitiam faciendam negligentes* esse (ita in suis Summis loquuntur Raimundus de Penna-forti & Henricus Ostiensis) judicauerit; possit tum siue propter hæresin, siue propter toleratos hæreticos, siue *propter imperandi ignauiam*, vt loquitur Thomas Stapletonus, aut imperitiam, imperium, regna & ditiones illis auferre, & ad alios, quos magis dignos & idoneos censuerit, transferre, subditis à juratâ fide solutis, ipsis verò, si non adquiescant & obtemperent, anathemate percussis, & à quouis, qui impetum facere audeat, trucidari jussis.

tit. de Hæreticis.

l. 2 de magnitud. eccl. Rom. c. 1.

XIII. Hac videlicet accessione Hildebrandinam de Regibus exauctorandis doctrinam locupletarunt Iesuitæ. Sic enim Franciscus Suarez Defensione fidei contra sectam Anglicanam libro VI, cap. IV, sect. XIIX: *Si Papa Regem deponat, ab illis tantùm poterit expelli vel interfici, quibus ipse id commiserit. Quòd si nulli exsequutionem imperet, pertinebit ad legitimum in regno successorem,* quem filium,

um, fratrem aut agnatum esse verosimile est; *vel si nullus inuentus fuerit, ad regnum ipsum spectabit. Et ita tradunt Doctores seruandum esse in crimine hæresis, quando Rex hæreticus per publicam* Pontificis *sententiam regno priuatus declaratur*. Antonius Sanctarellus libro de hæresi, schismate, apostasiâ, Romæ edito, cap. xxx: *Potest Papa Reges mouere, & mortis pœnâ punire*. Emanuel Sa Aphorismis Confessariorum, voce Tyrannus: *Latâ sententiâ potest quisq; fieri exsequutor*. Martinus Becanus vester apud vos Moguntiæ *Controuersiam Anglicanam de potestate Regis & Pontificis* scripsit, & in lucem emisit. Ea docet & vt certum ponit, *Quidquid potestatis ac iurisdictionis permissum fuerit Pontifici in Veteri testamento, hoc etiam in Nouo permissum illi esse*. Secundum ipsum autem Pontifex in Veteri testamento *poterat Reges, si contumaces essent, priuare vitâ*. Ita *Ioiada Pontifex non solùm regno, sed etiam vitâ priuauit Athaliam*. Attamen *priùs priuauit regno, deinde vitâ. Itaq; priuauit illam regno vt reginam & publicam personam: priuauit autem vitâ vt priuatam personam*. Quum hic Becani liber apud plerosque in odio & exsecratione esset, Claudius Aquaviua Præpositus Generalis ad Prouincialem Christophorum Baltazarem in hunc modum scripsit: *Quam primùm huc liber ille peruenit, idq; in eo deprehensum est, quod aliter dictum aut omnino prætermissum oportuit. Censuræ notas illuc remisimus, vt iuxta eas liber emendaretur: atq; hoc solum nobis superfuit remedium: vnde speramus Patrem illum cautiorem futurum in posterum*. Literæ datæ sunt Romæ, die secundo Ianuarij, anno cIↃ IↃ cxiii. Postridie conueniunt ibidem Cardinales censendis & expurgandis libris deputati, & decretum condunt cujus ista sunt verba: *Prædictum libellum præsenti decreto, iuxta S. D. N. mandatum, quocumq; idiomate vbicumq; expressum, prohibemus, & in*

Anno 1620.
Anno 1612.
Pag. 125.
Pag. 115.
Pag. 114.

secundâ classe Indicis reponendum censemus, donec correctione approbatâ iuxta regulas Indicis denuò imprimatur. Impressus est denuo, ipsique Pontifici inscriptus, leuiculis quibusdam immutatis, illis autem, quæ nos paullò antè produximus, aliisque nihilo melioribus, vti erant, relictis. In nouissimâ tamen omnium Becani operum in
Anno 1631. duos tomos redactorum, apud Vos curatâ editione Controuersia illa Anglicana quærenti non occurrit. Si hujusmodi dogmata cœpistis auersari, gratulor Vobis: & spero fore, vt etiam alia, vbi defendi non posse animaduerteritis, tandem missa faciatis.

XIV. Videamus tamen obiter & in transcursu, quales sint effectus doctrinæ de Pontificis auctoritate siue potestate Reges excommunicandi, & excommunicando deponendi, atque è gradu regio deturbandi.
An. 1607. Quam quum subditos suos ejurare juberet Iacobus magnæ Britanniæ Rex, Paulus quinctus Pontifex *hujusmodi iuramentum saluâ fide catholicâ & salute animarum præstari non posse* Breui suo edixit. VVilhelmus Singletonus Theologiæ Doctor & Professor Duacenus, Discussione Decreti Concilij Lateranensis apud Vos Moguntiæ typis
Anno 1613. euulgatâ, *non existimat vllum penè esse articulum in Christianâ religione, cuius denegatio sit magis periculosa statui ecclesiæ*, nempe hodiernæ Romanæ Pontificiæ.

XV. Quum Henricus tertius Galliæ rex Henricum Ducem Guisium eiusque fratrem Ludouicum Cardinalem, quòd auctoritatem regiam imminuerent, eiq; opprimendæ turbas & seditiones in regno alerent, interfici, Cardinalem autem Borbonium & Archiepiscopum Lugdunensem in custodiâ detineri jussisset; (*Rex à*
Thuanus lib. 94. *Senatu Veneto, magno Hetruriæ Duce, & Mantuæ Duce certior factus fuerat, Pontificem cum Guisio occultè conuenisse de collocandâ*

vandâ in matrimonium nepte ipsius cum Ionuillæ principe, & Guisio parente rege creando, Rege ab eâ dignitate tamquam indigno deposito, quem Guisius occasione captatâ vel in comitiis vel loco commodiore in potestatem redactum in cœnobium truderet, viq; intentatâ ad eierationem, auctoritate Pontificis interveniente, compelleret) visus est incurrisse excommunicationem Bullæ die Cœnæ Dominicæ promulgari solitæ, *quâ excommunicantur & anathematizantur omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos.* Sorbona itaque populum à jurata fide solutum esse, & potestatem arma in Regem capiendi habere pronunciat. Rex à Pontifice Sixto quincto per legatos suos absolutionem semel atque iterum petit, vel saltem Sorbonicum decretum improbari; sed nihil impetrat. Hinc animos & audaciam sumens Iacobus Clemens monachus Dominicanus Lutetiâ egressus Regem, Kal. Aug. qui seditiosam & rebellem urbem obsideret, sica in imum ventrem adactâ interimit. anno 1589. Nuncio cædis regiæ Romam perlato Pontifex Sixtus quinctus *in Consistorio* Thuanus *præmeditatam orationem habuit, qua factum Clementis operi as-* lib. 96. *similat Dominicæ incarnationis & resurrectionis eiusdem mysterio ab Habacuco vate prædicato propter magnitudinem & rei admirationem comparat: tum virtutem hominis, animi robur, & ferventem erga Deum amorem supra Eleazarum & Iudithum multis verbis extollit, ex eoq; colligit, hoc nisi certâ divinæ providentiæ ordinatione ac auxilio confici non potuisse, neq; verò ipsum crediturum fuisse, nisi fidem ad obsequium Christi flexisset; qui ratione omnem fidem superante Parisiensem civitatem liberasset, & gravissima Regis peccata punivisset, eumq; tam infaustâ morte è medio sustulisset. — Itaq; indignum iis officiis, quæ Imperatoribus ac Regibus exhiberi solent; quippe S. Scripturæ auctoritate prohi-*

beri,

beri, ut quis pro eo, qui in peccato ad mortem, hoc est, in Spiritum sanctum admisso, quale Regis peccatum fuit, moritur, preces faciat. Oratio hæc ab ipsis Pontificiis edita fuit Lutetiæ.

XVI. Ita agitur cum Rege Pontificibus alioquin addictissimo, & Protestantium hoste acerrimo, non aliam ob caussam, quàm quòd Pontificis gratiâ excidisset; & ideo quidem excidisset, quòd crimina majestatis in eis, quos sibi soli subditos esse Pontifex contendit, impunita non relinqueret: aut fortè aliàs desideriis Pontificis, regnum in suam familiam per matrimonium transferre cupidi, obsisteret.

XVII. Parricida verò juxta vestri Marianæ in libris de Institutione Regis doctrinam, (*à Stephano Hoieda Societatis in prouinciâ Toletanâ visitatore, & à viris doctis & grauibus ex eodem ordine approbatam*, typis primùm Toleti, Lib. 1, c. 6. deinde apud Vos Moguntiæ descriptam) *cæso Rege ingens sibi nomen fecit. Sic* videlicet *Clemens ille periit, viginti quatuor natus annos, simplici iuuenis ingenio, neq; robusto corpore: sed maior vis vires & animum confirmabat.* Nempe alienam vitam in potestate habet, qui prodigus est suæ. Et *præclarè*, ait, *cum rebus humanis ageretur, si multi homines forti pectore inuenirentur, pro libertate patriæ, vitæ contemtores & salutis: sed plerosq; incolumitatis cupiditas retinet magnis sæpe conatibus aduersa.* Dolet scilicet non omnes eo animo esse, quo fuit Iacobus Clemens. Quum intellexisset Præpositus generalis Claudius Aquauiua, Societatem ob ejusmodi doctrinam passim pessimè audire, fœdo vlceri cataplasma inducere conatus decretum promulgaAnno 1610, 6 Iulij. uit Romæ, quo præcipit, *ne quis deinceps Societatis religiosus affirmare præsumat, licitum esse cuicumq; personæ, quocumq; prætextu tyrannidis, Reges aut Principes occidere, seu mortem eis machinari.* Sed hoc ad rem nihil facit. Neque enim

Maria-

Mariana docuerat, cuius quocumque tyrannidis prætextu licitum esse Reges occidere: *neq; id in cuiusquam privati arbitrio posuerat, neq; in multorum; nisi,* inquit, *publica vox populi adsit, viri eruditi & graues in consilium adhibeantur.* Si dixisset Aquaviva, *Ne quidem Regem, qui à Pontifice excommunicatus, depositus, aut tyrannus declaratus fuerit, occidere licet;* rem rectè expediuisset, seque suspicione liberasset.

XIIX. Eximius vir M. Antonius de Dominis, quomodo Romæ agatur, si quem è medio sublatum velint, rem secretam, sed sibi, vt affirmat, non ignotam, exponit. *Accusabit,* ait, *hæreseos, iussu Domini Papæ, Fiscalis ipsius procurator illum, quem de medio tollere cupiunt; secretum & cameralem, vt vocant, processum formabunt: citationem illius in loco edito Sancti officij, seu Cancellariæ, aut alio, minutis characteribus conscriptam affigunt, quam nemo legere possit, aut cognoscere: inde procedunt ad secretam item sententiam excommunicationis & mortis: mox eam tradunt sanguinario alicui, onerant promissis, numerant pecuniam, addunt indulgentias, à reatu conscientiæ Papali autoritate liberant, vt fiat iustitiæ minister & executor, in trucidando etiam per insidias, & priuato gladio, homine id ne suspicante quidem. Solent etiam iam Breuia concedere Pontifices, in quibus licentiam concedunt homicidia isthæc priuata perpetrandi, vt sublato peccati & censurarum timore, iam tutum sit alieni in sui priuati inimici sanguinem grassari, & venenis, insidiis, dolisq; ac fraudibus eum persequi.* Adducit in exemplum Breue Clementis octaui, datum Romæ sub annulo Piscatoris, die VI Septembris, anno cIↃ IↃ C III. Nempe Fuluius Serenarius occiderat Vecchiarellum. Hujus itaq; filiis, quin & pluribus, potestatem facit Pontifex, necem Fuluij quouis modo procurandi. Verba ipsa Clementis Papæ hæc sunt:

Lib. 5. c. 9. num. 21.

 Nos

Nos sicariorum & bannitorum quorumlibet exstirpationem sinceris procurantes affectibus, dilectis filiis N. N. N. N. ac quibuscumq; aliis personis, tam secularibus, quàm Religiosis, quacumq; dignitate fungentibus, & in quibuscumq; etiam sacris & presbyteratus ordinibus constitutis, vt eundem Fuluium & eius socios prædictos, nec non illorum fautores, & quosuis alios dicti homicidij reos & condemnatos prosequi, & ad iustitiam secularem & vltimum supplicium conduci facere, seu ALITER EORVM MORTEM ET EXITIVM PROCVRARE liberè & licitè, absq; aliquo conscientiæ scrupulo, aut ecclesiasticarum censurarum vel cuiusuis irregularitatis aut infallibilitatis incursu, possint & valeant, autoritate Apostolicâ, tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus & impartimur. — Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscumq;. Subjungit M. Antonius, effectum post quinquennium consequutum esse, Fulvio Serenario Venetiis miserrimè securi & pugionibus confecto: & adijcit, quæ hîc legi digna existimamus. *Esto, fuerit hic Fuluius homicida, morte dignissimus: gladio sanè publico, non priuato feriendus fuit. Sed quid hoc ad pedum pastorale, & rerum sacrarum, vitæq; non necis ministros? Quis dubitat, quin, si res tulerit, extendi possit flagellum hoc spirituale ad alium quemuis innocentissimum Christianum; PRINCIPES ATTENDITE, ad vos etiam impunè trucidandos, si modò quis iugo se Papali non submittat in omnibus: quasi hos Papa minori animi molestiâ ferat, quàm homicidas: quasi pro, Nos sicariorum & bannitorum, &c non æquè facile scribere possit, Nos hæreticorum & schismaticorum quorumlibet exstirpationem, sinceris procurantes affectibus — quibuscumq; personis, tam secularibus, quàm religiosis, vt N. N. hæreseos reum prosequi, — seu aliter eius mortem & exitium procurare licitè, & absq; conscientiæ scrupulo possint, autoritate Apostolicâ licentiam concedimus.* Tandem

subji-

subjicit M. Antonius: *Annon probabilissimum videtur tali aliquo Breui Fratrem Clementem permotum Regi Gallo necem intulisse?*

XIX. In hanc commemorationem digressus sum, vt manifestum facerem, quales sint Summi illius vestri Pastoris, quas humiliter audiri vultis, voces, & quàm paterni adfectus plenæ, præsertim in Protestantes, eorumque Reges & Principes; nec eos saltem, sed omnes, qui eum quoquo modo offenderint, aut indomitæ ejus dominandi suósue locupletandi libidini obstiterint. Quales, inquam, sint voces Pontificiæ, cujúsue adfectus, Italia hodie ipsa vti experta est, ita lubens, nisi fallor, fatebitur.

XX. Nunc ad explicandum studium concordiæ ecclesiasticæ, Vobis tantopere inuisum, regrediamur. Isti rei illustrandæ sub initium præfationis ad Serenissimum Principem Augustum, quæ Christianismum siue Christianam religionem constituunt aut tangunt, in quatuor classes digessi. Sunt videlicet Credenda, quæ Articuli fidei vocantur, & intellectum liberant inscitiâ salutem exclusurâ: nempe præstant, ne ignoremus, in quibus fiduciam consequendę remissionis peccatorum & spem æternæ beatitudinis poni oportet. Deinde sunt Agenda, siue in actum & effectum quemdam manifestum traducenda. Quæ verò homini Christiano ad eum modum præstanda incumbunt, aguntur aut ex præscripto legis diuinæ, aut humanæ; & humanæ quidem vel ciuilis, vel ecclesiasticæ. Obligationi, quam lex ciuilis parit, hîc non immoramur. Dicimus breuiter cum Apostolo: *Quisquis resistit potestati* siue legitimo magistratui, *Dei ordinationi resistit.* Itaque *necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Si tamen præ- Rom. 13, 2; v. 5.

 cipiatur,

cipiatur, quod manifestè impium aut diuinæ legi ad-
Act. 5, 29. uersum, *obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus.* Quod attinet leges ecclesiasticas, quæ externum ecclesiæ decorum, ordinem, πολιτείαν, disciplinam, ritus & ceremo-
Epist. 86. nias concernunt, dicimus cum Augustino: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel*
Epist. 118. *instituta maiorum pro lege sunt tenenda.* Item: *Non est in his disciplina vlla melior graui prudentiq́ Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcunq́ fortè deuenerit. Quod enim neq́ contra fidem, neq́ contra bonos mores iniungitur, indifferenter habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.*

XXI. Agenda juxta legem diuinam aut à præscripto positiuæ alicujus dependent; aut ab æternâ & immotâ illâ, quæ etiam *lex diuina naturalis* vel *moralis* appellatur, & Decalogo comprehenditur, exiguntur. A positiuâ pendet administratio & vsus sacramentorum. De obedientiâ, quam morali debemus, ita scripsi Præfatione superiùs memoratâ. Non satis est nosse mysteria fidei, quæ ne diabolus quidem ignorat, & vti sacramentis, quorum etiam sæpe impij redduntur participes, sicut iidem alias quoque ceremonias ecclesiasticas cum piis habent communes: sed & operam oportet dare obseruationi mandatorum diuinorum, lege, quam moralem voca-
Rom. 13, 10. mus, expressorum, *cuius completio est caritas.* Qui secundum carnem viuit, & seruandis diuinis præceptis non dat operam, Spiritum Christi non habet; quo destitutus nec verè Christi est, nec verâ fide præditus, vtpote quam sine inhabitante & in-

trinse-

trinsecus operante Christi Spiritu habere non potest. Quod igitur in ejusmodi homine instar fidei apparet, larua & simulacrum quoddam est fidei, non germana & solida Christiana fides, nec conjunctum cum fiduciâ, quæ velut anima est fidei. Nam *per hoc scimus, quod ipsum nouimus*, ita videlicet, vt nouisse oportet, *si præcepta ipsius obseruemus. Qui dicit, noui eum, & præcepta eius non obseruat, mendax est.* Et *si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum, & quidquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam mandata eius obseruamus, & ea quæ in ipsius conspectu placent, facimus. Et hoc est mandatum eius, vt credamus nomini Filij eius Iesu Christi, & diligamus alij alios, sicut mandauit nobis.* Quum mandata sua à fidelibus suis Deus obseruari omninò velit, adeo vt *in Christo Iesu neq; circumcisio quidquam valeat, neq; præputium, sed fides per caritatem efficax,* siue, vt alibi effertur, *obseruatio mandatorum Dei;* quòd itaque Dei mandata passim per orbem Christianum susq; deque habentur, & ludibrio majori exponuntur, quàm obsequio coluntur, id ipsum iram Dei in Christianos prouocauit, tam latè grassantem, quàm se diffudit iniquitas. Hæc ibi, quibus nihil hîc præterea addimus, quum plura si quis velit, ibi videre possit.

1 Ioh. 2. 3. | 1 Ioh. 3. 21. | Gal. 5. 6. | 1 Cor. 7. 19.

XXII. De administratione & vsu sacramentorum in hunc modum scripsi. Hîc gaudio & solatio nobis Pag c 2.

est, quòd nemo (loquor autem de Græcis, Pontificiis, Protestantibus) baptismum, lauacrum illud regenerationis, repudiat, aut ipsam ejus, vt sic loquar, essentiam labefactat, aut infantibus recens natis denegat: sicut econtra maximo est cordolio, alterum sacramentum, quod tesseram mutuæ caritatis Seruator noster esse voluit, fraude Satanæ & hominũ siue væcordiâ siue improbitate in materiam asperrimæ litis & acerbissimi odij vertisse. Quod negocium multò prolixius, quàm vt hic expediri possit. Lubet tantùm apponere verba viri nostrâ ætate ingenio, judicio & eruditione eximij, concordiæque ecclesiasticæ cupidissimi, cujus desiderium & studium quum Romæ nullum videret, alibi quæsiuit, & quum, quale exspectauerat, non inuenisset, vbi consisteret anxius eò regressus est, vnde venerat, mox tamen, quin & post obitum suum expertus, neminem Romæ impunè ferre, qui Pontificis potestatem veri & æqui limitibus circumscribi postulet. *Omnes, inquit, & Pontificij, & Lutheri & Caluini discreti sectatores in eo conuenimus circa sacratissimum Eucharistiæ sacramentum, nobis in eo verum ac reale Christi corpus verè & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes? Cur hic terminum dissensionum non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem, & occultum, nobisq; penitus ignotum, & quem Christus ipse nos latere voluit, tam au-*

M. Ant. de Dominis lib. 7, c. 11. num. 8.

dacter

dacter descendimus, vt, qui cum nostrâ insipientiâ non desipiat, eum à caritate & communione religiosâ & catholicâ excludamus? Hic est tam atrocis & periculosæ dissensionis facillimus modus sopiendæ, vt omnes veritatem corporis Christi in sumendâ Eucharistiâ exhiberi vno ore fateamur; & circa modum, quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus; & ex hac dissensione schismata coalita exstinguamus. Stemus in solo QVOD SIT, *nempe verum Christi corpus in Eucharistiâ exhiberi: verba Scripturæ vt sunt & iacent, retineamus;* QVOMODO *res sit, ne inuestigemus anxiè. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se; ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniarisq; mendax. Cur ergo docente Christo,* HOC EST CORPVS MEVM, *nos addimus, est corpus per transubstantiationem, consubstantiationem, figuratiuè duntaxat, & non realiter; fide percipiendum, & non ore, &c. Hoc est addere sermoni Dei, vnde facilè arguamur, & mendaces inueniamur. Cur ob ista nostra addita contendamus, vt schismate ecclesiam diuidamus? Idem corpus Christi omnes comedimus, sed modum, quo id fiat, omnes ignoramus.* Vtinam sano & recto consilio omnes obtemperent. Pontificij modum statuunt augendæ quidem sacerdotum suorum existimationi accommodum, quum per eum admirabilis in ipsum Dominum pro lubitu accersendi, retinendi, recludendi & pro-

promendi potestas tribuatur; sed vt maximè intricatum, ita quoque probatione, rem euincere idonea, penitus destitutum. A quò tamen aliæ superstitiones & corruptelæ, nec leues, nec paucæ, defiuantur: de quibus alibi diximus, & plura propediem, si Deus annuat, dicturi sumus. Speramus tamen & optamus, si fides, qualē antè descripsimus, (descriptio illa mox repetetur, & hîc quoq; recitabitur) sibi constet, Deum ex immensâ misericordiâ & propter Christum, in quem creditur, errores eiusmodi, qui per ignorantiam hactenus insuperabilem, & inopiam melioris informationis excuti nondum potuerunt, benignè condonaturum, quum ad supplicium non imputet, si qui potiundi opportunitate destituti sacramento penitus priuentur. Non est itaque tanta necessitas vtendi sacramento, aut etiam legitimè & perfectè vtendi, quanta est necessitas rectè credendi. Vnusquisq; autem caueat, ne operam quærendi, quanta ingenij & conditionis, quâ viuit, ratione habitâ, exigi meritò possit, in se desiderari patiatur; maximè verò, ne studia partium vel sua compendia cognitæ veritati anteponat. Indignum se reddit fauore numinis, qui quod falsum esse nouit, suffragio vel testimonio suo fulcit, quamuis de re agatur non maximi momenti, & in quotidiano commercio positâ. Quanto magis igitur excidet

diuinâ

diuinâ gratiâ, & damnationis reatum incurrēt, qui veritatem, quam in ſanctiſſimo religionis negocio perſpectam habet, tenebris inuoluit ne appareat, aut ſophiſmatibus opprimit, ne emergat? Tantum autem & tam atrox crimen, quod inter penetralia pectoris clauſum plerumq; deliteſcit, nos qui arcana cordium intueri non poſſumus, nemini temerè impingamus, ſed quos erroribus irretiri cernimus, hactenus obſtacula, qualia mentem humanam multa ſæpe obſident, perrumpere nō potuiſſe exiſtimemus. Qui verò feliciore ſorte vſi nexus diſſoluerunt, & acutiùs vident, laborantibus opem ferant, & viam monſtrent comiter.

XXIII. Dixi non eſſe tantam neceſſitatem vtendi ſacramento, aut etiam perfectè & legitimè vtendi, quanta ſit neceſſitas rectè credendi. Et id ideo dixi, quia obſeruatum hac rerum & eccleſiæ facie ad exulceratos Chriſtianorum animos leniendos, & muniendam viam, quâ ad odia & exſecrationes mitigandas paullatim pergatur, facere credidi. Non pigrabor igitur idipſum paullò pluribus explicare. Conſtat autem, adminiſtrationem ſacramentorum, externo & adſpectabili ritu in vſum & praxin conferendorum, requirere cognitionem quamdam, quâ indice & duce praxis ritè & legitimè inſtituatur. Occurrunt igitur etiam hîc quædam credenda, praxi præeuntia ſiue prælucentia, nempe quòd Chriſtus Dominus ſacramentum inſtituerit; quomodo, quod ipſam ſacramenti ſubſtantiam attinet, inſtituerit; quomodo & quid in eo operetur; & in quem finem; atq;

adeo quos fructus siue effectus idipsum habeat. Cupio autem considerari, cognitionem, quæ propter aliquam praxin sit, aut ad dirigendam praxin faciat, non magis posse necessariam esse, quàm sit ipsa praxis: atque adeo si aliquando contingat absque jacturá æternæ salutis praxin aut penitus intermitti, aut perperam institui, tum contingere itidem posse, vt si in cognitione ad praxin eam faciente, vel praxin dirigente, erretur, error iste sit innoxius. Nempe si cognitio propter praxin est, tum rectitudo cognitionis vt est in mente, non potest esse simpliciter & sine vlla exceptione necessaria, si praxis, propter quam est, aut rectitudo eius, non fuerit quò ad ipsum actum & exercitium pari modo necessaria. Fatentur autem omnes, nec, quod sciam, est qui eat inficias, sæpe & varijs casibus fieri posse, vt homo fidelis vsu sanctæ eucharistiæ penitus priuetur, neq; tamen propterea salute excidat. nempe reddi potest ipsa praxis vel administratio hujus sacramenti moraliter, vt loquuntur, impossibilis. Sic etiam fieri potest, vt cognitione, quæ praxin istam, vt rite fiat, dirigit, perfectâ & exactâ potiri, vel admixtum & à majoribus ac magistris haustum errorem penitus deponere non detur: animo videlicet præjudiciis adstricto, & veritatis quidem cupido, sed imbecilliore, quàm vt omnia obstacula, quæ sæpe multa & magna sunt, remouere valeat. Sicut igitur, si fuerit desiderium fruendi eucharistiâ, non obest saluti, quòd per impedimenta actu frui non liceat: ita etiam in quo fuerit desiderium & studium cognoscendæ veritatis de hoc ipso Eucharistiæ sacramento, non faciet salutis suæ jacturam, etiamsi ex difficultatibus & objectionibus sese expedire, & veritatem, quam diximus, peruidere & adsequi perfectè nequiuerit. Non enim potest

test esse major necessitas cognoscendæ veritatis ad praxin facientis, quàm sit ipsius praxeos. Excludimus autem malitiam, & pertinacem adsertionem vel professionem eius, de cujus falsitate homini constet, & conscientia sit conuicta. Id enim non imbecillitati intellectus, sed improbitati & peruersitati voluntatis imputandum fuerit: neque dubitari potest, quin si sint, qui repugnante conscientiâ errorem doceant vel tueantur, illi sibi iram Dei & damnationem attrahant.

XXIV. Disputatione contra Communionem sub vnâ, in fine, & numero vltimo ita dissero: Fatentur omnes vsum Eucharistiæ non esse ita absolutè necessarium, vt perire oporteat, si quibus eum eripuerint casus humanitus ineluctabiles. Quin de ipso baptismo conceditur, catechumenum, quæ necessariò credenda sunt, adsequutum, si antequam baptismum reapse suscipiat, ad martyrium, quod olim haut infrequens erat, abripi, vel latrocinio & insidiis, vt Valentinianum juniorem, intercipi, aut alio subito & improuiso infortunio vel morbo, vt apoplexiâ, exstingui contingat; non propterea salutis æternæ jacturam facere: sed tali rerum statu propositum & desiderium suscipiendi sufficere. Addo hoc, si catechumenus à suo catechiste audierit & didicerit, vnigenitum Dei Filium, qui cum Patre & Sancto spiritu vnus sit Deus, propter nos homines & nostram salutem incarnatum esse, passum, mortuum, resurrexisse, ad-

 scen-

ſcendiſſe in cœlos, inde venturum ad judicium de vniuerſis hominibus, in vitam tunc reuocandis, ferendum: hujus merito & viuâ in ipſum fide obtineri remiſſionem peccatorum & vitam æternam: ſi hiſce omnibus animo penitus impreſſis fide in Chriſtum recubuerit, eum jam vnum deſerto paganiſmo aut Iudaiſmo aut Muhammediſmo & prauè agendi ſtudio, amplecti & ſequi certus; de ſacramentorum tamen ratione & vſu nondum certi aliquid edoctus, quòd ſuus catechiſtes nec ſimul & ſemel omnia inculcare poſſet, nec tironem ἀϑρόως propoſitis obruere vellet: ſi catechumenus, inquam, hic noſter interea, dum de talibus inſtitui deſiderat & exſpectat, inopinâ apoplexiâ, vel ædium ruinâ, vel ſicariorum inſidiis, vel alio quodam caſu, qualibus multis obnoxium eſt, quidquid mortale eſt, opprimatur; quis eum, quòd ſine baptiſmo & vſu Euchariſtiæ è viuis exceſſerit, ſalute excidiſſe affirmabit, & gehennæ adjudicabit? Et tamen propoſitum ſuſcipiendi ſacramenta habuit non niſi implicitum, quum juxta hypotheſin de ſacramentis aut nihil, aut nondum diſtinctè quidquam cognouerit. Ex quo autem fide in Chriſtum ex auditu & inſtitutione imbutus ſe totum Chriſto mancipauit, paratus quoque erat & his & quibuſuis Chriſti præceptis obſequi, modò data eſſet cognoſcendi & exſequendi op-

portu-

portunitas. Quâ quòd præter ſpem & ſine ſuâ culpâ exciderit, ad damnationem homini in Chriſtum credenti, quæ eſt Dei φιλανθρωπία & erga fideles ſuos benignitas, non imputabitur.

XXV. Hæc ideo dicimus, vt liqueat, non eſſe tantam neceſſitatem vſus ſacramenti Euchariſtiæ, quanta eſt fidei in Chriſtum; vel etiam quanta eſt propoſiti de abſtinendo ab operibus carnis. Sine fide enim in Chriſtum, qualem paullò antè obiter delineauimus, & cum perſeuerante propoſito ſtudioque peccandi, ſiue ſecundum carnem viuendi, nemo poteſt Deo placere, aut ab eo remiſſionem peccatorum & æternam ſalutem obtinere. At ſine vſu Euchariſtiæ, imò ſine explicito vtendi propoſito poteſt, quemadmodum oſtendimus: vt ſuppoſitâ fide, vtpote ex Dei beneplacito & decreto ad ſalutem ſimpliciter neceſſariâ, hîc excuſet moralis quædam, vti vocant, & ſecundum rationes hominum in tali ſtatu conſtitutorum inſuperabilis cognoſcendi & exſequendi ἀδυναμία.

XXVI. Hinc porro cupimus innoteſcere, rectè ab Apologiâ Confeſſionis Auguſtanæ excuſari eccleſiam, quæ vſu Euchariſtici calicis aliquamdiu priuata fuit. nam ſi priuatio totius ſacramenti, modò ab ignorantiâ moraliter inſuperabili vel impedimentis humanitus ineuitabilibus dependeat, non autem à contemtu, contumaciâ vel

 mali-

malitiâ proficiſcatur, ſpe ſalutis non excludit; nec excludet priuatio partis ſacramenti à paribus cauſſis trahens originem. Abſit igitur, vt majores noſtros, qui ante ſeſquiſeculum vſu calicis caruerunt, aut etiam alios omnes, qui hodie ex cauſſis, quales diximus, carent, extra numerum fidelium Chriſti & heredum ſalutis collocemus. Quomodo enim damnemus, quibus Deum ignoſcere cupimus & confidimus? potiùs quos poſſumus, & quà poſſumus, ab errore in viam comiter reuocemus. De iis verò, qui quod verum eſt vident, ſed amplecti præfractè recuſant, quin oppugnant, & argutiis ac ſophiſmatibus obtectum conſpectui hominum, vt in errore eos confirment, ſubtrahunt, & in hanc rem ingenio abutuntur ſuo, quid dicemus? Vtinam reſipiſcant, ne portio eorum ſit cum omnibus, qui amant & committunt mendacium, in ſtagno, vbi ardet ignis & ſulfur. Quod ab iis Deus, datâ meliore mente, & non magis partium quàm veritatis ſtudiosâ, clementer auertat.

XXVII. Hæc equidem ita apertè & perſpicuè ſcripta exiſtimo, vt nemini, qui oculis vtatur & mente non laboret, quid ſentiam, dubium queat eſſe, vel obſcurum. Cur itaque Vos, Domini Moguntini, mihi affingitis, quòd omnes eos, qui vnâ ſpecie vſi fuerint, aut hodie vtantur, damnem; ipſos quoque abſtemios? Num ſatis eſſe putaſtis, quæuis chartæ illinere, nihil penſi habentes, verane eſſent an falſa? num perſuaſi fuiſtis,

iſtis,

istis, lectoribus aut oculos euulsum, aut mentem excantatum iri? Ille est, inquitis, crudelis (Calixti peculiaris quoque) hæresis, meritò cunctis, etiam Augustanæ Confessionis Sociis execranda. Videant horum Principes, Resp. & Academiæ, quem virum in Calixto habeant, qui nouos Fidei articulos, nouam Ecclesiam fabricat: abstemios, aliósque complures, (absque vlla eorum culpa) S. Eucharistiæ vsu, quin & cœlo arcet. Hæcne toleranda? Hæcne, inquam ego, stupori imputanda, vel improbitati? Equidem illum accusare malo, quàm istam obijcere. Neque dicam, *Increpet vos Dominus:* malo dicere, Misereatur vestri Dominus, & oculis vestris, si ἀβλεψίᾳ laboratis, aut menti, si ea Vobis mota est, medicinam faciat. Quod si vel maximè, contra euidens oculorum vestrorum & conscientiæ vestræ testimonium, falsa mihi affingitis, & immani verborum acerbitate in me detonatis, dicam tamen, Pœnitentiam & veniã largiatur vobis omnipotens, pius & misericos Dominus. Lectorem nihilominus monitum velim, vt ex hoc specimine, quantum fidei Iesuitæ Moguntini mercantur, ipse apud animum suum decernat. Neque vero semel ista dixisse contenti, ingeminant iterumque exclamant, Videte Lutherani, qualem Doctorem habeatis, qui abstemiis cœlum occludit. Ego verò de abstemiis disertè: Sicut quod ipsam Eucharistiam attinet, excusari potest, qui cupidus & paratus vti, in eum incidit siue morbum, siue calamitatem, per quam vsus penitus intercipiatur, aut reddatur moraliter impossibilis: ita quoque de sumtione calicis pronunciamus. Exemplum esto abstemius, qui quum existimaret tantillum vini, quod hic sumi consueuit, à se sumi posse, vbi verò in rem

Sectione 9. num. 11.

Sect. 10, num 9.

Disp. de Commun. num. 61.

præ-

præsentem veniret, sumere nullo modo potuerit: excusabitur enim, modò paratus fuerit sumere, si vllo modo posset.

XXIIX. Transeamus tandem ad præcipuum totius negocij caput, ad credenda, inquam, siue ad articulos fidei propriè strictéque ita dictos, quorum videlicet ignorantia salutem excludit. De hisce itidem adjicere me oportebit, quæ de iis Præfatione ad Serenissimum
Pag. 24. Principem Augustum scripsi. Inter tanta ecclesiæ mala, distractiones, & calamitates, quibus non possum non illacrymare, gaudere tamen me non diffiteor, quum video tum Græcam siue orientalem, tum Latinam siue occidentalem ecclesiam, etiamsi in tres magnas partes diuulsam, (aliorum enim segregum, qui cum nullâ harum trium faciunt, rationem nunc non habeo) vniuersam tamen adorare & venerari vnum Deum, creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium & Sanctum spiritum: credere item, quòd Filius propter nos homines à damnatione vindicandos & in salutem adserendos è beatissimâ matre virgine naturam humanam incarnatus susceperit, passus sit & mortuus, resurrexerit, adscenderit in cœlos, inde supremo seculi die rediturus vt mortuos resuscitet, & omnes judicet: interea in terris passim ecclesiam sibi colligat, in quâ remissionem peccatorum impertiat ad se conuersis, pœnitentibus & verè fidelibus, collaturus iisdem, si tales ad finem vsque per-

ſeuerent, æternam beatitudinem; reliquis verò nolentibus conuerti, impœnitentibus, & infidelibus, & qui ſecundum carnem vixerint, æternum ſupplicium irrogaturus. Hæc omnia ab omnibus tribus eccleſiæ occidentalis partibus integrè admitti, nihilque eorum in dubium vocari equidem gaudeo. Spero etiam, quæ eſt Dei Chriſtique φιλανθρώπου ſeruatoris noſtri, benignitas, omnes eos qui hæc ſimpliciter crediderint & piè vixerint, in magno illo die Domini ſaluos fore: etiamſi ſingulorum rationem reddere, vel intimiorem modum exponere, vel quæſtiones circa ea exortas ſoluere, vel dum fortè ſatagunt, hallucinationes effugere, aut alias errorum penitus immunes degere nequiuerint. Quod in innumeros è medio grege fidelium, pios alioquin & probos, cadere, ipſa, niſi fallor, euincit experientia. Et poſt aliqua: Perſuaſum habeant, qui alios docent, officio ſatis ſe facere, etiamſi neque ſuam neque auditorum ſuorum curioſitatem expleant, ſed res ipſas, quatenus ad ſalutem habendam cognoſci neceſſarium eſt, exponant, nec vlteriùs prouehãtur, quàm quò præit dux Scriptura. Modum, quo infinitum & æternum numen aut exiſtat aut operetur, vti cognoſci opus non eſt, ita nec exponi. Sufficit credere, vnum eſſe Deum, qui Pater ſit, & Filius, & Spiritus ſanctus; Filium incarnatum eſſe & ho-

minem factum; à Deo creatum esse mundum, mortuos resuscitatum iri. Etiamsi non penetremus, quomodo vna natura in tribus personis, aut vice versâ duæ naturæ in vnâ personâ subsistant, nec adsequamur, quomodo diuina potentia vel è nihilo aliquid producat, vel quod tenues in auras dissipatum est, redintegret; nihil id nobis aut saluti nostræ oberit.

XXIX. Hæc & nonnulla alia hisce consona ibi scripsi, quæ Vos, Domini Moguntini, extremæ absurditatis & impietatis accusatis, & in ea, quidquid tetrum & horrendum aut animo concipi, aut verbis exprimi potest, euomitis. Cui rei è vestris XII sectionibus duas primas impenditis. Ego verò operæ precium fore puto, si quæ huc faciunt aliquanto plenius exposuero, non quidem tam propter Vos, quos ad nudam mentionem concordiæ ecclesiasticæ, etsi nondum, proh dolor, admodum propinquæ, totos cohorrescere, & tantùm non in furorem dari animaduerto; quàm propter alios, à quibus ejusmodi curas & cogitationes, quicumque tamdem fuerint successus, Christiano pectore dignas censeri nullus ambigo.

XXX. Primo itaque loco considero, Christianam doctrinam & Theologiam huc spectare, vt seruemur, siue æternam salutem consequamur. Hac si potiamur, satis nobis esse debere. Non autem quæcumque Sacra Scriptura complectitur, ita esse comparata, vt nisi omnia & singula cognoscantur & intelligantur, remissione peccatorum & cœlesti beatitudine sit carendum. Id enim si fuerit, quis seruari poterit? Nihilominus cer-

tum

tum est, Deo placuisse, vt homo adultus & rationis vsu prǽditus non seruetur siue beetur, nisi cujusdam notitiæ interuentu: absque quo sane si ad salutem & beatitudinem traduceretur, non ageretur vt creaturæ intellectus compoti conuenit, sed potiùs vt inanimatæ vel brutæ, in qualem tamen beatitudo non cadit. Dispiciendum igitur quænam ea sint, quæ ignorata salutem arceant siue excludant, quorum proinde cognitio ex parte intellectus erit necessaria, ne eius, intellectus inquam, vti intellectus est, imperfectio, deformitas vel ruditas saluti obstet. Quorum enim ignoratio salute prohibet & priuat, eorum cognitio ad salutem erit necessaria. Nisi autem finis cognitus fuerit, non poterit desiderari vel sperari, neque de mediis ad eum obtinendum facientibus cura vel cogitatio suscipi. Necessarium igitur est ab homine cognosci & credi, sibi diuinitus destinatam esse æternam vitam, & quidem integro, mediante resurrectione, quâ denuò animæ (cujus alioquin immortalitatem lumen naturæ non patitur ignorari) corpus diuinâ potentiâ resuscitatum vniatur. Ad hunc tamquam vltimum finem & bonum perfectè summum semper respicere, adspirare & anhelare oportet. Potiemur autem, si nos gesserimus ita, quemadmodum Deus vult vt se gerant, quibus destinatam beatitudinem & gloriam reapse aliquando conferet. Vt conferat, vult se ante omnia agnosci Deum creatorem cœli & terræ, & omnium, quæ sunt in cœlo & in terrâ, cui videlicet quidquid est in toto hoc vniuerso, & nos ipsi ortum nostrum & esse nostrum debeamus, ne quisquam alius in honoris & cultus tanti, quantus vni Deo & creatori debetur, consortium admittatur.

XXXI. Deinde quum idem ipse ex miseriis &

peccatis nostris nos eripiat, & ad cœlestem gloriam transferat, vult nos agnoscere (nihil enim decentius aut æquius, quàm creaturam rationis vsu præditam, cui salutem suam acceptò ferre debeat, nouisse) quòd suo beneficio Filiique sui merito & morte à malis & pœnis liberemur, remissionem peccatorum consequamur, & tandem æternæ beatitudinis futuri simus participes. Nosse igitur & credere nos oportet, quòd vnigenitus Dei Patris Filius propter nos nostramque salutem ex Mariâ virgine, superueniente in eam Spiritu sancto, fuerit natus; deinde passus, crucifixus & mortuus, resurrexerit, adscenderit in cœlos, vbi ad dexteram Dei Patris sedeat & regnet, inde rediturus ad judicandum viuos & mortuos, fidelibus videlicet suis supremo illo die & judicio collaturus æternam vitam & gloriam, infideles autem & impios æternæ addicturus pœnæ & ignominiæ. Nempe *ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum illum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nam *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Igitur *qui credit in eum, non iudicatur* vel condemnatur: *qui verò non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti Filij Dei.* Etiam *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturos omnes, qui crediderint in eum. Nec est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari.*

Ioh. 3, 16. 1 Ioh. 2, 2; 4, 10. Ioh. 3, 18. Act. 10, 43. Act. 4, 12.

XXXII. Credendum igitur, vnigenitum Dei Patris Filium propter nos homines incarnatum esse. Ergo & hoc credendum, in diuinitate Patrem esse & Filium. Et ex quo Filius homo factus est, & moriendo, resurgendo, adscendendo in cœlos mysterium redemtionis nostræ peregit & adimpleuit, explicitè hoc credendum est.

In

In ipſo videlicet pro nobis homine facto & mortuo, & proinde etiam quatenus perſona eſt à Patre diſtincta, (neq; enim Pater homo factus & mortuus eſt) fiducia obtinendæ remiſſionis peccatorũ & ſpes æternæ vitæ collocanda. Plurimum autẽ intereſt, nũ ei vt mero homini vel meræ creaturæ, an verò vt Deo fidendum, & in eum ſperandum. Equidem priuſquam vt perſona à Patre diſtincta prodiret, ſeque manifeſtaret & exhiberet, vt vnus cum Patre Deus in vnitate illâ, abſque explicitâ diſtinctionis perſonalis cognitione, cultus & adoratus fuit. Ex quo autem vt perſona à Patre diſtincta apparuit, hactenus ei ſub iſtâ etiam ratione honorem & cultum deferri oportet. Cognoſci igitur itidem oportet, num Deus ſit, an creatura. Quid enim abſurdius & magis impium, quàm ſi Deus ſit, non glorificare & adorare vt Deum; aut ſi non ſit Deus, ſed merus homo, aut mera creatura, vt Deum venerari & colere? Hæc enim manifeſtaria idololatria, quâ nullum crimen Deo magis inuiſum vel exoſum: in quam tamen, niſi Chriſtus Deus ſit vti Pater eſt, per Chriſtianiſmum vniuerſus fere conjectus eſſet mundus. Fundamentum itaque totius Chriſtianiſmi eſt noſſe & credere, vnigenitum Dei Patris Filium, & proinde verum, itidem vt Pater eſt, Deum propter nos homines hominem eſſe factum. Nec abſque hac cognitione & fide myſterium redemtionis noſtræ diſtinctè & explicitè, vti ſub Nouo teſtamento oportet, cognoſci aut credi potuit. Myſterium itaque plurium perſonarum diuinitatis propter myſterium incarnationis & redemtionis dilucidiùs cognoſcendum, reuelatum fuit. Illud tractantes veteres, Theologiam ſe tractare; circa hoc occupati, οἰκονομίαν ſe exponere dixerunt. Cujus vtriuſque fide & profeſſione Chriſtiani à Iudæis & Mu-

hammedanis discriminamur. Nam quum & illi & isti creationem, resurrectionem, supremum judicium, & post hoc beatitudinem & damnationem admittant; nec illi tamen nec isti Deo Filium esse, multò minus hunc ipsum Filium hominem factum esse credunt.

XXXIII. Posito, quod ita poni hactenus oportuit, diuinitatis plures esse personas, ne animus hominis Christiani hæreret ac fluctuaret, & ne plures aut pauciores, quam reuera sunt, esse crederet, & vt Deum sicut est, coleret, nec in eo cultu ad personas referendo aberraret, propterea plenè & distinctè reuelatum est tres esse, nec plures, nec pauciores. Credimus igitur in Deum Patrem, & in unigenitum eius Filium Iesum Christum, & in Spiritum sanctum. Quemadmodum credimus, ita quoque baptizamur. Vnde Hilarius libro 11 de Trinitate: *Dixerat Dominus, baptizandas gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Forma fidei certa est.* Hanc itaque fidei formam, Deumque sub hac ratione colendum, qui baptizatur, agnoscit & profitetur; siue Deo sub hac ratione & in tribus personis agnito sese subjicit & obstringit. Rectè enim Basilius magnus epistolâ LXXIIX: Δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν ὡς παρελάβομεν· πιστεύειν δὲ, ὡς βαπτιζόμεθα· δοξάζειν δὲ, ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. *Oportet nos baptizari, sicut accepimus; credere verò sicut baptizamur; colere verò & glorificare sicut credidimus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum.*

XXXIV. Ista ad hunc modum posita necessariò consequitur, vt qui cœtus hominum in Deum sub hujusmodi ratione agnitum credit, eumque colit & glorificat, is cœtus siue ea hominum collectio & congregatio sit ecclesia sancta, Deo singulariter dilecta, neq; locis adstricta, neque limitibus circumscripta, neque à

portis

portis inferorum superanda; sed sub certâ & firmâ Dei tutelâ vsque ad consummationem seculi duratura. Cujus portio & membrum esse volet, quicumque salutem experit; & vt sit necesse est, quicumque salutem consequitur. Esse coetum, qui doctrinam Christianam paullò antè expositam doceat & profiteatur, euidens aliàs est, & cuiuis, qui sensus & animum aduerterit, manifestum: sed hunc ipsum coetum esse sanctam ecclesiam, Deo peculiariter caram, & peculiari Dei curâ protegi, id demum fidei est. In hac sanctâ ecclesiâ per fidem, quam diximus, consequimur remissionem peccatorum, reportaturi tandem, quum è mortuis suscitati resurrexerimus, finem fidei nostræ, æternam vitam.

XXXV. Hæc sunt fidei & religionis Christianæ capita, quæ *articuli* alias vocantur, & hoc, quem ostendimus, nexu inter se copulata; comprehensa quâ ipsam rerum & dogmatum substantiam in symbolo dicto Apostolico, non quidem quod ab ipsis Apostolis totidem verbis conceptum: id enim si esset, Canonis biblici partem faceret, librisque & scriptis Apostolicis accenseretur: sed quòd contineat summam totius doctrinæ Apostolicæ, cuiuis adulto & rationis compoti ad salutem necessariæ; quin nec aliis, quàm quibus ipsi vsi fuerunt Apostoli & Euangelistæ, verbis expositam. Quum tamen verba, quibus summa fidei contineretur aut exponeretur, nemini adnumerauerint, siue symbolum αὐτολεξεὶ nullum conscripserint; (nempe juxta Hieronymum, *symbolum fidei & spei nostræ ab Apostolis traditum non scribitur in chartâ & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*) Ep. 61, c. 9.
inde factum, vt olim non omnes ecclesiæ, (quamuis omnes maximo consensu, non sine certo numinis ductu, in eamdem fidei summam, siue eadem doctrinæ ad salutem

item necessariæ capita, siue eosdem articulos conspirarent) iisdem omninò verbis, absque vllâ diuersitate, symbolum recitauerint. Diuersitatem igitur in verbis nonnullis deprehendet, qui quæ de Romano, Aquileiensi & Orientali symbolo Rufinus in Expositione commemorat, obseruarit: majorem adhuc, qui cum hisce symbolis symbolum, quod Cyrillus in ecclesiâ Ierosolymitanâ catechesibus τῶν φωτιζομένων exponit, & ἁγίαν καὶ ἀποστολικὴν πίστιν vocat, contulerit. Sed, vt rectè monet Vigilius, *non præiudicant verba, vbi sensus incolumis permanet.*

Catech. 18 sub fin.

L. 4 initio.

XXXVI. Hujusmodi symbolum *regulam fidei* vocat Tertullianus, & à quæstionibus, quæ circa articulos excitari possunt aut solent, accuratè discernit. *Regula*, inquit, *fidei vna omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & Filium eius Iesum Christum, natum ex virgine Mariâ, crucifixum sub Pontio Pilato, tertiâ die resuscitatum à mortuis, receptum in cælis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem.* Ita potissimas Symboli partes recitat Tertullianus sub initium libri de virginibus velandis; & subijcit: *Hac lege fidei manente, cætera iam disciplinæ & conuersationis admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet & proficiente vsq; in finem gratiâ Dei.* Libro de Præscriptionibus tum symbolum, tum discrimen inter symbolum & annatas quæstiones, de quo diximus, pluribus inculcat, quæ hîc quoque legi operæ fuerit precium. *Quæramus*, ait, *in nostro, & à nostris & de nostro; idq; duntaxat, quod saluâ REGVLA FIDEI potest in quæstionem deuenire. Regula est autem fidei, (vt iam hinc, quid credamus, profiteamur,) illa scilicet, quâ creditur, Vnum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui vniuersa de nihilo produxerit per Verbum suum*

Cap. 13.

primo

primo omnium emissum. Id verbum Filium eius appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam, carnem factum in vtero eius, & ex eâ natum hominem, & esse Iesum Christum, exinde prædicasse nouam legem & nouam promissionem regni cælorum, virtutes fecisse, fixum cruci tertiâ die resurrexisse; in cælos ereptum sedere ad dextram Patris; misisse vicariam vim Spiritus Sancti, quæ credentes agat; venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cælestium fructum, & ad profanos iudicandos igni perpetuo; factâ vtriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione. Hæc regula à Christo instituta nullas apud nos habet quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Ceterùm manente formâ eius in suo ordine, quantum libet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas. Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendére, vel obscuritate obumbrari, est vtique frater aliquis doctor gratiâ scientiæ donatus; est aliquis inter exercitatos conuersatus; aliquis tecum curiosus, tecum tamen quærens: nouissimè ignorare melius est, ne, quod debeas, non nóris, quia quod non debeas, nosti. Fides, inquit, tua te saluum fecit; non exercitatio Scripturarum. Fides in regulâ posita est, habens legem, scilicet vt ista ad eum modum cre- Matt. 9. 22. Mar. 10. 52. Luc. 17. 19. 18. 42.
dantur, diuinitus præscriptam, *& salutem ex obseruatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant aduersus regulam. Nihil vltra scire, omnia scire est.* Libro aduersus Praxean hoc ipsum symbolum paucioribus quidem verbis, sed quà rem pleniùs proponit. *Nos,* ait, *vnicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, vt vnici Dei sit & Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum à* Cap. 2

H

ſum à Patre in virginem, & ex eâ natum hominem & Deum, filium hominis & filium Dei, & cognominatum Ieſum Chriſtum. Hunc paſſum, hunc mortuum & ſepultum ſecundum Scripturas, & reſuſcitatum à Patre, & in cælos reſumtum ſedere ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos. Qui exinde miſerit ſecundum promiſſionem ſuam à Patre Spiritum ſanctum paracletum, ſanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Quam Tertullianus *regulam fidei*, eam Nouatianus Tertulliano aliquantum recentior, *regulam veritatis* appellat, libro de Trinitate cap. I & IX.

XXXVII. Tertulliano antiquior ſanctus Irenæus, & Apoſtolorum ætati proximus, nempe Polycarpi,
Euſeb. l. 5. cap. 20. qui τῶν ἀποστόλων ὁμιλητὴς fuerat, auditor, ſimiliter ſub initium ſui contra hæreticos operis, regulam fidei & veritatis breuiter proponit, & ab eâ quæſtiones & dubia, quæ moueri poſſint, diſtinguit. Quæ omnia verbotenus
Hæreſi 31. in ſuum Panarium transſcripſit Epiphanius. Nos hîc
Lib. 1. c. 2. dabimus, vti latina fecit vetus interpres. *Eccleſia per vniuerſum orbem vſq; ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt; & in vnum Ieſum Chriſtum filium Dei, incarnatum pro noſtrâ ſalute; & in Spiritum ſanctum qui per prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei & aduentum, & eam quæ eſt ex virgine generationem, & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carne in cælos aſcenſionem dilecti Ieſu Chriſti Domini noſtri, & de cælis in gloriâ Patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuerſa, & reſuſcitandam omnem carnem humani generis, vt Chriſto Ieſu Domino noſtro, & Deo, & Saluatori, & Regi, ſecundum placitum Patris inuiſibilis omne genu curuetur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei,*

& in-

& iudicium iustum in omnibus faciat. Spiritualia quidem nequitiæ, & angelos transgressos, atq; apostatas factos; & impios & iniustos, & iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem mittat. Iustis autem & æquis & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentiâ, vitam donans incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet. Hanc Cap. 3. *prædicationem quum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat & docet & tradit, quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ* (linguæ) *dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est: & neq; hæ, quæ in Germaniâ sunt fundatæ ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ quæ in Oriente, neq; hæ quæ in Ægypto, neq; hæ quæ in Libyâ, neq; hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ.* Sic itaque Spiritus sanctus *per diuersitatem linguarum cunctarum gentes in vnitate fidei congregauit,* quemadmodum canit Ecclesia. Et hæc est summa Christianæ fidei, in quâ cunctarum linguarum populi, qui Christo nomen dederant, & olim conuenerunt, & hodie, nisi fallor, plerique conueniunt. *Antiqua* enim *sanctorum Patrum consensio,* vti bene monet Vincentius Lerinensis, *non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in FIDEI REGVLA magno nobis studio & inuestiganda est, & sequenda.* Dubiorum & quæstionum, quales moueri solent, & innumeræ, si curiositati frenos laxes, moueri possunt, alia est ratio. Nam, vt superioribus subijcit idem Irenæus, Μιᾶς ϗ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν, ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον, ἠλαττόνησε. *Quum sit vna eademq; fides, nec is, qui multum de eâ dicere po-* Cap. 39.

 test,

test, superfluit, nec is, qui parum, imminuit. Et præclarè alibi,

Lib.2,c.45. bi, *Melius est*, inquit, *nihil omnino scientem quempiam, ne quidem vnam caussam cuiuslibet eorum quæ facta sunt, cur factum, & credere Deo, & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quàm per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere.*

XXXIIX. Non autem per aliam fidem seruantur eruditi & doctores, per aliam rudes & auditores, sed per vnam & eamdem vtrique. Etiamsi igitur illorum accuratiorem eruditionem & majorem peritiam oportet esse, non tamen aliam fidem. Rectè Augustinus: *Qui*

Serm. 139, de temp. *nouit, quomodo ista defendat, doctior est, non fidelior; habet fidem, habet facultatem defendendi fidem; alius non habet facultatem, & copiam, & doctrinam defendendi fidem, sed habet i-*

Enchir. ad Laur. c. 6. *psam fidem.* Et alio loco: *Facile est vt dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit: sed quemadmodum aduersus eorum, qui diuersa sentiunt, calumnias defendatur, operosioris vberiorisq; doctrinæ est.* Rursus: *Scientiâ, quâ fides*

14 de Trinit. c. 1. *saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur,* docendo videlicet & disputando, *non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsâ fide plurimùm. Aliud est enim, scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam; aliud autem, scire, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur.*

XXXIX. Idipsum, de quo loquuti sumus, symbolum in priscâ ecclesiâ Catechumeni & Competentes docebantur: quod vbi didicissent & memoriæ mandassent; resq; & doctrinas eo contentas simpliciter & quantum, vt sic dicam, substantiam ipsarum attinet, apprehendissent, ad baptismum admissi, & deinceps fideles dicti atque habiti sunt, manifesto argumento, vniuer-

sam

sam antiquam ecclesiam pro certo habuisse, quòd credenda, quæ fidelem faciant, & ad salutem necessaria sint, symbolo illo comprehendantur. Inde Augustinus libro siue sermone primo de symbolo ad catechumenos: *Accipite, filij, regulam fidei, quod symbolum dicitur; & quum acceperitis, in corde scribite, & quotidie dicite apud vos: antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit vt legi possit: sed ad recensendum, ne fortè deleat obliuio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria.—Hoc est symbolum, quod retenturi estis, & reddituri. Ista verba, quæ audistis per diuinas scripturas sparsa sunt, sed inde collecta, & ad vnum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret: vt omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit.* Libro quinquaginta homiliarum, homilia XLII: *Symbolum reddidistis, quo breuiter comprehensa continetur fides.* Idem Augustinus, vel alius antiquus auctor sub nomine Augustini: *Symbolum, quod vobis traditurj sumus, comprehensio est fidei nostræ atq; perfectio, simplex, breue, plenum, vt simplicitas consulat audientium ruditati, breuitas memoriæ, plenitudo doctrinæ.* Symbolo tradito & percepto subjungebatur oratio Dominica. Hinc alibi: *Reddidistis quod credatis; audiuistis quod oretis. nam quomodo inuocare possetis, in quem non credidistis? Ideo priùs symbolum didicistis, vbi est regula fidei vestræ, breuis & grandis. Breuis numero verborum, grandis pondere sententiarum.* Iungimus verba Cyrilli Ierosolymitani è catechesi Illuminatorum quinta. *Quum non omnes possint Scripturas legere, & alios quidem inscitia, alios verò occupatio quædam impediat à cognitione, ne ob ignorantiam animam perdas, in paucis versibus vniuersam fidei doctrinam comprehendimus.—Habere autem hanc doctrinam tamquam viaticum omni tempore vitæ, & præter hanc aliam non suscipere decet: nec si nos ipsi mutati contrarium*

De tempore serm 115

Serm. 115.

 his,

his, quæ docemus nunc, affirmamus; nec si angelus contrarius in angelum lucis transmutatus seducere te voluerit. — Et quemadmodum semen sinapis in paruo grano multos continet ramos, sic & fides in paucis verbis omnem tam veteris quàm noui testamenti pietatis cognitionem inuoluit.

XL. Maximus Taurinensis expositionem symboli hoc epiphonemate concludit: *Hoc est, carissimi, symbolum, cuius signaculo fideles ab infidelibus secernuntur. Hoc est symbolum, cuius veritas vnumquemq; credentem efficit Christianum. Hoc est symbolum, quod & viuentes sanctificat, & mortuos reducit ad vitam.* Leo magnus epistola ad Pulcheri-
Epist. 13. am Augustam: *Ipsa catholici symboli breuis & perfecta confessio tam instructa est munitione cælesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.* Petri episcopi Rauennatis, cognomento Chrysologi, sex in Symbolum exstant sermones. Secundo ita loquitur: *Accepturi symbolum, hoc est, pactum vitæ, salutis placitum, & inter vos & Deum fidei insolubile vinculum, pectora parate, non chartam; sensum acuite, non calamum; & audita non atramento, sed spiritu ministrante describite.* Tertio: *Hoc spei pactum, hoc salutis placitum, hoc vitæ symbolum, hanc fidei cautionem, mens teneat, conseruet memoria, ne diuinitatis preciosum munus depreciet charta vilis, ne mysterium lucis atrum tenebret atramentum.* Quincto: *Quod audistis & credidistis, quod confessi estis, cor habeat, memoria teneat, charta nesciat, scriptor ignoret, ne sacramentum fidei divulgetur in publicum, ne ad infidelem fidei deriuetur arcanum. Deus qui vobis sacramentum fidei & audire dedit, & credere, ipse vos æternam peruenire faciat ad salutem.* Sexto: *Te superni Patris filium, heredem Dei, coheredem Christi, participem regni cælestis, confessorem diuini iudicis, cæli incolam, paradisi possessorem, modò designatum fide noueris; modò spe, non re, noueris te promotum. Et ideo suscipite fidem, tenete spem,*

te spem,

et spem, dicite symbolum, vt ad rem & ad illa valeatis bona, quæ prædiximus, peruenire.

XLI. Venantius Fortunatus in expositionem symboli præfatus se ait *fidei catholicæ totius summam recensere, in quâ integritas credulitatis ostenditur.* Et concludit: *Ergo cunctis credentibus quæ continentur in symbolo, salus animarum & vita perpetua, bonis actibus* comitantibus scilicet, *præparatur.* Isidorus Hispalensis Originum libro VI, cap. XIX: *Symbolum continet confessionem Trinitatis, & vnitatem ecclesiæ, & omne Christiani dogmatis sacramentum. Quod symbolum fidei & spei nostræ non scribitur in chartâ & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.* Idem de officiis ecclesiasticis libro II, cap. XXII: *Patres hoc non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, vt certum esset, neminem hoc ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. Discessuri itaque, vt dictum est, ad prædicandum, istud vnanimitatis & fidei suæ Apostoli indicium posuere.* Paullò antè dixerat: *Discessuri ab inuicem normam priùs sibi futuræ prædicationis in commune constituunt, ne localiter ab inuicem discedentes, diuersum aliquid vel dissonum prædicarent his, quos ad fidem Christi inuitabantur. Omnes ergo in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue sibi prædicationis indicium, conferendo in vnum, quod sentiebant, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam constituunt.* Istam opinionem, quamuis planè improbabilem, amplexi quoque fuerant antiquiores nonnulli, & sequuti sunt recentiores multi, ita quoque, vt singulos articulos singulis Apostolis, tamquam peculiaribus auctoribus siue promulgatoribus, adscripserint. Sed id nunc non discutimus. Pergat igitur Isidorus: *Est symbolum signum, per quod cognoscitur Deus: quod quique proinde credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra diabolum certamina præparent.*

In

In quo quidem pauca sunt verba, sed omnia continentur sacramenta. De totis enim Scripturis hæc breuiatim collecta sunt ab Apostolis, vt quia plures credentium literas nesciunt, vel qui sciunt, præoccupationibus seculi Scripturas legere non possunt, hæc corde tenentes habeant sibi sufficiẽtem scientiam salutarem. Transscripsit totidem fere verbis Rabanus Maurus libro II de Institutione clericorum, cap. LVI. Hugo Victorinus Summæ sententiarum tractatu V, cap. XIII: *Symbolum dicitur signum vel collatio. Signum, quia eo fideles ab infidelibus distinguuntur. Collatio, quia in eo Apostoli omnem fidei integritatem contulerunt.* Sic etiam Innocentius tertius libro II de sacro altaris mysterio, cap. XLIIX: *Symbolum græcè, latinè sonat indicium vel collatio: tum quia fidei plenam indicat regulam, & perfectam rationem; tum quia simul in vnum continet articulos fidei.*

XLII. Sed vix opus est tot testimoniis. Quoniam enim prisca ecclesia, vti pridem diximus, catechumenos ac competentes, vbi Symbolum didicissent, ad baptismum admisit, & fideles vocauit ac habuit; inde certò cônstat, eamdem ecclesiam censuisse, quòd symbolo contineantur capita doctrinæ, quorum cognitio ad constituendum verum Christianum & fidelem, & ad consequendam salutem sit necessaria. Quod ipsum etiam quodammodo comprobat experientia. Pone agricolas nonnullos, & opifices, vel alios è rudi & simplice popello homines, tum fæminas, tum viros, quos non dubites, quantum sciri humanitus potest, fideles esse, pios atque probos, & in statu gratiæ; in quo si vsque ad vitæ suæ finem perseuerauerint, transituri sint ad æternam beatitudinem. Examinentur illi: res ipsa testabitur, aut omnes aut plerosq; nihil aliud nouisse vel intelligere, quàm summa fidei capita, prout populari & simplice

plice illo modo ac sensu in Symbolo sunt expressa. Aut igitur hoc ipsum ad salutem satis est; aut illi, contrà quàm ponebatur, non erunt in statu gratiæ & salutis.

XLIII. Videamus tamen, quid eâ de re senserint & scripserint Magister sententiarum, & hunc sequuti Scholastici, præcipui Pontificiæ partis doctores. Magister Quarto, distinctione VI: *Symbolum est signum, vel collatio. Signum quia eo fideles ab infidelibus discernuntur. Collatio, quia ibi totius fidei sufficientia & integritas est collata.* De Symbolo autem ejusque sufficientiâ interpretes agere solent ad Tertium, dist. XXV. Qui vix integri symboli notitiam exigunt, quum plerisque sufficiens esse videatur fides implicita. Thomas tamen Aquinas hîc, quæst. II, ad articuli secundi secundam quæstionem rectè: *In statu post aduentum Christi, quia iam mysterium redemtionis impletum est corporaliter & visibiliter, & prædicatum, omnes tenentur ad explicitè credendum.* Et mox ad quartam quæstionem: *Post incarnationem omnes fidem explicitam de tribus personis habere tenentur, sicut & de mysterio incarnationis, quod cognosci non potest, nisi cognoscatur personarum distinctio: & quia sacramenta salutis cum inuocatione Trinitatis conferuntur.* Idem Secundam secundæ à doctrinâ de Fide exorsus, quæst. I, art. IX in hunc modum loquitur: *Necessarium fuit fidei veritatem in vnum colligi, vt faciliùs posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei à veritate deficeret: & ab huiusmodi sententiarum fidei collectione nomen Symboli est acceptum.* Nam, vt mox adjicit, *veritas fidei in Sacrâ scripturâ diffusè continetur, & variis modis, & in quibusdam obscurè, ita quòd ad eliciendam fidei veritatem ex Sacrâ scripturâ requiritur longum studium & exercitium, ad quod non possunt peruenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem; quorum pleriq; aliis negotiis occu-*

pati studio vacare non possunt: & ideo fuit necessarium, vt ex sententiis Sacræ scripturæ aliquid manifestum summariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum Sacræ scripturæ, sed potius ex Sacrâ scripturâ sumtum. Porrò, quum postea accesserit symbolum Nicænum & alia, monet *dicendum, quòd in omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas: sed ibi oportet populum diligentiùs instrui de fidei veritate, vbi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit caussa, quare necesse fuit edere plura symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quòd in vno plenius explicantur, quæ in alio continentur implicitè.* Eiusdem procemium, quod Compendio suo Theologiæ, cui operi immortuus est, præmisit, hîc legi dignum. *Æterni*, inquit, *Patris Verbum suâ immensitate vniuersa comprehendens, vt hominem per peccatum minoratum in celsitudinem diuinæ gloriæ reuocaret, breue fieri voluit nostrâ breuitate assumtâ, non suâ depositâ maiestate. Et vt à cœlestis verbi capessendâ doctrinâ nullus excusabilis redderetur, quod propter studiosos diffusè & dilucidè per diuersa Scripturæ sanctæ volumina tradiderat, propter occupatos sub breui summâ humanæ salutis doctrinā conclusit. Consistit enim humana salus in veritatis cognitione, ne per diuersos errores intellectus obscuretur humanus: in debiti finis intentione, ne indebitos fines sectando à verâ salute deficiat: in iustitiæ obseruatione, ne per vitia diuersa sordescat. Cognitionem autem veritatis, humanæ saluti necessariam, breuibus & paucis salutis articulis comprehendit. Intentionem humanam breui oratione rectificauit, in quâ, dum nos orare docuit, quò nostra intentio & spes tendere debeat, ostendit. Humanam iustitiam, quæ in legis obseruatione consistit, vno præcepto caritatis consummauit.* Hæc ex Aquinate.

XLIV. Bonauentura ad memoratam XXV distinctionem Tertij, articulo primo, quæstione primâ; *Fides*

Fides continetur in symbolo Apostolico sufficienter & plenè, quantum ad illa, quæ principaliter sunt credenda. Vbi notandum Bonauenturam, nec non alios Scholasticos, quæ fidem spectent, triplicia facere. Possumus sententiam eam sic explicare, quòd alia fidem antecedant, alia constituant, alia consequantur. Quæ constituunt fidem, Bonauenturæ *principaliter credenda*, sunt articuli Symbolo propositi. Antecedentia sunt, quæ ex lumine naturæ siue de animæ immortalitate, siue de Deo cognosci possunt: inter quæ vnum est, Deum neminem, qui peccatis pertinaciter inhæreat, adsiduamque operam det, gratiâ & amicitiâ suâ dignari. Antecedit quoque cognitio diuinæ canonicæ Scripturæ, è quâ, quæ fidem reapse constituunt, doceri & deduci debent. Consequuentia sunt, quæ ex articulis ad fidem propriè facientibus, tâquam corollaria, eliciuntur; quò pertinent omnes quæstiones annexæ, emergentia dubia, & dogmatum appendices. In hisce aliquid posse vel intelligere ad officium docendi rectiùs obeundum requiritur, non præcisè ad salutem consequendam. Sic etiam doctorum est nouisse, qui & quot libri canonem Scripturæ constituant, & quomodo ex iis primarij siue necessarij articuli deducantur. Quos qui sibi propositos expositosque admiserit & crediderit, seruabitur, etiamsi fontes, vnde hauriantur, & principia, è quibus deducantur, ignorauerit. Hæc videlicet eruditio & scientia Ecclesiæ quidem est necessaria, vt in ea præstò sint, qui quod diximus præstare valeant: non autem cuiuis fideli vel ecclesiæ membro. *Homo*, ait Augustinus, *fide, spe & caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaq. multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt.* Et apud Irenæum, doctrinæ Apostolicæ *adsenti-* 1 de doctr. Chri. c. 39.

 unt

pati studio vacare non possunt: & ideo fuit necessarium, vt ex sententiis Sacræ scripturæ aliquid manifestum summariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum Sacræ scripturæ, sed potius ex Sacrâ scripturâ sumtum. Porrò, quum postea accesserit symbolum Nicænum & alia, monet *dicendum, quòd in omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas: sed ibi oportet populum diligentiùs instrui de fidei veritate, vbi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit caussa, quare necesse fuit edere plura symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quòd in vno pleniùs explicantur, quæ in alio continentur implicitè.* Eiusdem proœmium, quod Compendio suo Theologiæ, cui operi immortuus est, præmisit, hîc legi dignum. *AEterni,* inquit, *Patris Verbum suâ immensitate vniuersa comprehendens, vt hominem per peccatum minoratum in celsitudinem diuinæ gloriæ reuocaret, breue fieri voluit nostrâ breuitate assumtâ, non suâ depositâ maiestate. Et vt à cœlestis verbi capessendâ doctrinâ nullus excusabilis redderetur, quod propter studiosos diffusè & dilucidè per diuersa Scripturæ sanctæ volumina tradiderat, propter occupatos sub breui summâ humanæ salutis doctrinâ conclusit. Consistit enim humana salus in veritatis cognitione, ne per diuersos errores intellectus obscuretur humanus; in debiti finis intentione, ne in debitos fines sectando à verâ salute deficiat; in iustitiæ obseruatione, ne per vitia diuersa sordescat. Cognitionem autem veritatis, humanæ saluti necessariam, breuibus & paucis salutis articulis comprehendit. Intentionem humanam breui oratione rectificauit, in quâ, dum nos orare docet, quò nostra intentio & spes tendere debent, ostendit. Humanam iustitiam, quæ in legis obseruatione consistit, vno præcepto caritatis consummauit.* Hæc ex Aquinate.

XLIV. Bonauentura ad memoratam XXV distinctionem Tertij, articulo primo, quæstione primâ;

Fides

Fides continetur in Symbolo Apostolico sufficienter & plenè, quantum ad illa, quæ principaliter sunt credenda. Vbi notandum Bonauenturam, nec non alios Scholasticos, quæ fidem spectent, triplicia facere. Possumus sententiam eam sic explicare, quòd alia fidem antecedant, alia constituant, alia consequantur. Quæ constituunt fidem, Bonauenturæ *principaliter credenda,* sunt articuli Symbolo propositi. Antecedentia sunt, quæ ex lumine naturæ siue de animæ immortalitate, siue de Deo cognosci possunt: inter quæ vnum est, Deum neminem, qui peccatis pertinaciter inhæreat, adsiduamque operam det, gratiâ & amicitiâ suâ dignari. Antecedit quoque cognitio diuinæ canonicæ Scripturæ, è quâ, quæ fidem reapse constituunt, doceri & deduci debent. Consequuentia sunt, quæ ex articulis ad fidem propriè facientibus, tãquam corollaria, eliciuntur; quò pertinent omnes quæstiones innatæ, emergentia dubia, & dogmatum appendices. In hisce aliquid posse vel intelligere ad officium docendi rectius obeundum requiritur, non præcise ad salutem consequendam. Sic etiam doctorum est nouisse, qui & quot libri canonem Scripturæ constituant, & quomodo ex iis primarij siue necessarij articuli deducantur. Quos qui sibi propositos expositosque addidicerit & crediderit, seruabitur, etiamsi fontes, vnde hauriantur, & principia, e quibus deducantur, ignorauerit. Hæc videlicet eruditio & scientia Ecclesiæ quidem est necessaria, vt in ea præsto sint, qui quod diximus præstare valeant: non autem omnis fideli vel ecclesiæ membro. *Homo*, ait Augustinus, *fide, spe & caritate subnixus, eaq; inconcussè retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaq; multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt.* Et apud Irenæum, doctrinæ Apostolicæ *adsenti-* 1 de doctr. Chri. c. 19.

Lib. 3. c. 4. *tiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes fabricatorem cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium. Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine, generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloriâ, venturus saluator eorũ qui saluantur, & iudex eorum qui iudicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemtores Patris sui & aduentus eius. Hanc fidem* inquit, *qui sine literis* (non tamen sine doctrinâ è sacris literis depromtâ) *crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationem, propter fidem perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitiâ & castitate & sapientiâ. Quibus si aliquis annunciauerit ea, quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens; statim concludentes aures, longo longiùs fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.*

Quæst. 1. XLV. Porrò Bonauentura eo, quo diximus, loco, ne quidem *principaliter credendorum*, quæ vocat, siue articulorum symboli Apostolici explicitam fidem cuiuis saluando judicat necessariam. *Pauci*, inquit, *sunt, nisi sint bene periti in Theologiâ, qui sciant articulos fidei bene distinguere & numerare. Si ergo omnes tenerentur nunc omnes articulos fidei scire distinctè & explicitè, pauci saluarentur; quod est valde crudele dicere.* Totam autem rem explicat & determinat in hunc modum. Dicendum, *quòd omnes Christiani post aduentum Christi tenentur credere omnes articulos. Hoc autem tripliciter potest esse: aut omnes credere implicitè; aut omnes credere explicitè; aut quosdam implicitè;*

quos-

quosdam explicitè. Credere omnes implicitè est fidei diminutæ. Non enim sufficit modò alicui, qui habet vsum rationis, in generali credere redemptorem & remuneratorem: adeo enim notitia quorundam articulorum manifesta est, quòd nullus habens vsum rationis ignorat, nisi omnino negligat & contemnat Dei cultum & salutem suam. Credere autem quosdam implicitè, quosdam explicitè, hoc est ad fidei salutem necessarium: potest enim fidei simplicium sufficere. Ad illos autem tenentur explicitè credendos, quos manifestat eis non solùm prædicatio, sed etiam ecclesiastici vsus consuetudo: sicut est de vnitate & trinitate; et sicut est de natiuitate, passione, resurrectione & peccatorum remissione. Ab horum cognitione & notitiâ nullus ratione vtens excipitur, nec ignorantiâ excusatur, quia non potest esse talis ignorantia sine negligentiâ & contemtu. Alios etiam articulos non ita manifestos tenentur vtique credere implicitè. Implicitè autem voco credere, vt in generali credant vniuersaliter omne quod credit sacrosancta mater ecclesia, ita quòd in particulari à nullo illorum dissentiant, nec aliquem articulorum discredant. Credere autem omnes articulos distinctè & explicitè, est fidei iam perfectæ. Hoc enim non est de generali fidei necessitate, sed si necessarium est alicui, illis est necessarium qui in cognitione fidei profecerunt; & illis potissimè, qui fidem aliis explicare & manifestare tenentur, vel etiam qui officium docendi & prædicandi assumunt, sicut sunt habentes curam animarum, & prædicatores verbi Dei, & doctores Sacræ scripturæ. — Et propterea concedendum est, quòd licet opportunum sit omnibus, non solùm credere omnes articulos implicitè, sed etiam quosdam explicitè, post aduentum Christi: non tamen est necessarium omnibus, maximè simplicibus, credere omnes explicitè. Quid de implicitâ hujusmodi fide sit statuendum, suo postea loco dicetur.

XLVI. Richardus de Mediâ-villâ discrimen illud antecedentium, constituentium & consequentium, de Principali 2, qu. 1.

quo antè, itidem tangit. *Quædam, ait, sunt, ad quæ credenda directè & principaliter dirigit habitus fidei: & ista sunt articuli fidei. — Antecedentia autem & consequentia ad articulos in Symbolo non continentur, nisi per quandam reductionem.* De explicita & implicita notitia ac fide loquitur, vti hic est legere. *Illorum, qui aduentum Christi sequuti sunt, quidam sunt Maiores, quibus vel ratione officij, vt doctoribus, vel alicuius ministerij, vt prædicatoribus, vel ratione gradus dignitatis, vt prælatis, vel alicuius specialis interioris illuminationis, vt prophetis, incumbit non tantum dare operam, vt se per omnia disponant ad hoc, vt perducantur in finem; quamuis ad hoc principaliùs teneantur: sed etiam incumbit eis dare operam, quantum in eis est, vt alij perducantur in finem. Alij sunt Minores, ad quos de lege communi mediantibus Maioribus à Deo doctrina fidei deriuata est. — Superiores prædictos credo teneri ad credendum omnes articulos fidei explicitè; quamuis non teneatur quilibet eorum credere numerum, vel artificialem distinctionem eorum. Minores verò, etsi teneantur explicitè credere aliquos articulos, qui magis sunt necessarij ad dirigendum in finem, & qui in ecclesia solemnizantur communiter & publicè, vt sunt articuli pertinentes ad personas & vnitatem essentiæ, & Christi natiuitas, passio, resurrectio, adscensio, aduentus ad iudicium; non tamen tenentur ad credendum omnes articulos explicitè.*

Princip. 4. quæst. 1.

XLVII. Doctor subtilis Iohannes Scotus ad distinctionem Tertij antè indicatam, vbi de articulis symboli Apostolici agit, ita docet: *Tunc habetur actus implicitè, quando habetur habitus. Sed habere solum talem actum non sufficit: & in habente vsum rationis requiritur actus distinctior & explicitus. Sed non requiritur necessariò in quolibet pro isto statu, quòd omnes illos* Symboli *articulos explicitè & distinctè credat, quia Deus nullum obligat ad impossibile. Et ideo si sit aliquis rudis, qui non possit concipere quid est natura, & quid persona,*

persona, non est necesse quod habeat actum explicitum de articulo pertinente ad essentiae unitatem & personarum trinitatem distincte, sicut habent clerici litterati: sed sufficit, quod si non potest talia intelligere, quia nescit terminos, quod credat, sicut ecclesia credit. Quilibet tamen habens usum rationis tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum, & maxime ad illa, quae sunt grossa ad capiendum, sicut quod Christus natus est & passus, & alia, quae pertinent ad devotionem. Sic igitur omnes tenentur ad aliquem actum explicitum pro aliquando, & ad alios in generali, ut scilicet credant quod ecclesia credit. Sed ad omnia credenda explicite tenentur maiores in ecclesiâ, qui praeficiuntur aliis, & tenentur alios in fide instruere, [illegible] aliter cito deficeret fides simplicium. Maiores igitur, qui habent alios instruere, tenentur fidem explicitam habere de omnibus, & pro tempore illa, quae credenda sunt, aliis explicare secundùm capacitatem eorum.

XLIIX. Audiatur nunc etiam Durandus de S. Portiano. *Superiores* in ecclesiâ, *ut Papa & Episcopi* tenentur *scire omnes articulos explicitè: & non solùm hoc, sed etiam qualiter contra haereticos defendantur, & declarentur, & persuadeantur. Sed hoc non possent facere, nisi explicite scirent omnes articulos, quos debent docere, & scirent eos persuadere ex dictis [illegible] ad inducendum efficacius illos, qui dispositi sunt credere; & scirent defendere contra impugnationem haereticorum. Et quidem si per [illegible] Sacrae scripturae, adeo tenentur scire [illegible] in ecclesiâ Curati simplices, & qui ex officio vel ministerio habent alios docere, ut praedicatores & doctores, & hi tenentur scire explicite quantum pertinet ad suum officium, hoc est articulos quantum ad substantiam [illegible] in difficultatibus autem vel haereticorum impugnationibus debent recurrere ad superiores. Infimi autem, ut communis populus, non tenentur explicitè credere vel scire, nisi quantum eis traditum est ex maiorum doctrinâ, & communi ri-*

tu ce-

ta ecclesia, qui neminem latet nisi ob culpam suam ab hoc impediatur. Puto autem quòd pro moderno tempore nullus potest excusari, si ignoret articulum trinitatis, incarnationis, resurrectionis, ascensionis & aduentus ad iudicium, quum ex publico ritu ecclesia, & festiuitatum celebri solennisatione, & vulgatâ prædicatione omnibus hæc innotescant.

XLIX. Hactenus doctorum Scholasticorum præcipui, qui apud suos Angelici, Seraphici, auctorati, subtiles audiunt, & à posterioribus minorum gentium magistris plerumque exscribuntur. Accedat doctor Christianissimus Iohannes Gerson, qui suum Theologiæ compendium ab hisce verbis orditur: *Symbolum est omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio: quoniam vt ait Cassianus* (qui tamen contra Nestorium disputans non de Apostolico, vt accepit Gerson, sed de Nicæno symbolo, quod Antiochenum vocat, quia Antiochiæ receptum & vsitatum, loquitur) *quidquid per vniuersum diuinorum voluminum corpus immensâ diffunditur copiâ, totum in symbolo colligitur breuitate perfectâ.* Doctor autem ecstaticus Dionysius Carthusianus, nisi fallor, rectissimè: *Quemadmodum in Secundâ secundæ, tractatu de Fide, adseruit Thomas, tempore euangelicæ legis tenentur omnes explicitè credere prima credibilia, scilicet omnes articulos fidei, qui continentur in symbolo Apostolorum, ita quòd tenentur habere fidem explicitam Trinitatis, & incarnationis passionisq́ Christi, ac cæterorum, quæ in symbolo continentur præfato. —Itaque Curatus diebus festiuis instruat populum suum de credendis, symbolum Apostolorum ei proponendo & exponendo. Non tamen oportet, vt plebs communis sciat credenda per articulos fidei.* Postrema hæc cum primis malè cohærebunt, nisi τὸ *sciat* caussam, quare ita credendum sit, & quomodo idipsum probari possit, significet. Agmen claudat Guido de Perpiniano

Lib. 6 de Incarn. c. 4.

De vitâ Curatorum artic. 10.

piniano Carmelita: *Multùm expediens & vtile fuit habere symbolum fidei extractum de Scripturâ sacrâ, in quo sub certis breuibusq; sententiis & articulis necessaria ad fidem continentur. Primò ad euitandum tædium & prolixum laborem perquirendi ea quæ fidei sunt in Sacrâ scripturâ. Secundò ad prouidendum iis, qui Sacram scripturam nesciunt, vt illi saltem fidem, quam tenentur scire, haberent & noscerent. Tertiò ad maiorem memoriam habendam: quia fortiùs memoriæ imprimuntur quæ breuiùs traduntur & articulatim, quam quæ prolixius & diffusius.* Summâ de hær. generatim c. 5.

L. Audiuimus tum primæ ætatis Patres, tum vltimæ Scholasticos: Vos forte, Domini Moguntini, audire malitis Iesuitas. Si lubet igitur, eos audiamus. Gregorius de Valentia tomo III, disp. 1, quæst. 1, puncto VII: *Fidei veritates, quæ absolutè & simpliciter ab omnibus hominibus necessariò cognoscendæ & credendæ sunt, vt & fide & spe & caritate ad beatitudinem contendere valeant; eas non diffitemur perspicuè ferè in Scripturis ipsis doceri, vt Augustinus etiam libro II de doctrinâ Christianâ, cap. IX notauit. Sunt enim illæ & paucæ & communissimæ, nec notitiam requirunt vsq; adeo distinctam & expressam, modò aliquali ratione non falsâ in mente concipiantur. Atq; huius quidem generis sententiæ sunt comprehensæ in Apostolorum symbolo.* Quæstione II, puncto IV: *Est dubium, quatenus debeant singuli fideles explicitè credere articulos incarnationis & humanitatis Christi. Respondeo, satis fuerit illorum substantiam simpliciter tenere, sicut continetur in symbolo Apostolorum, ita videlicet, vt sensus verborum proprius vtcumq; intelligatur, etiam non admodum distinctâ notitiâ.*

LI. Franciscus Suarez Tractatu de Fide, disp. II, sectione V, numero VII: *Materia fidei sufficienter in Symbolo continetur. Probatur breuiter ex Hebr. XI: Fides est substantia rerum sperandarum. In symbolo continentur omnia, quæ*

ad hanc substantiam pertinent. nam ibi docetur Deus, qui est obiectum beatitudinis, quam speramus: traditur etiam Christus, qui est via per quam tendimus; & de vtroq; docentur omnia mysteria substantialia, & maximè necessaria; ac tandem proponitur præsens Ecclesia, intra quam solam potest sperari salus: item proponitur vita æterna, & resurrectio, quam speramus, ac deniq; non omittitur Iudicium futurum, & consequenter etiam insinuatur æterna pœna malis præparata, quia timor etiam necessarius est, ne spes in præsumptionem transeat. Ergo sufficientissimè complectitur symbolum materiam fidei. — nam totum id continet, quod neminem in ecclesiâ Deus voluit ignorare. Numero IIX: *Propter instructionem fidelium institutum est symbolum Apostolicum, & ad illam est sufficientissimum. nam si fideles sciant & credant, quæ in illo continentur, sufficit ad salutem.— Addo, in symbolis posita esse, quæ per se pertinent ad cognitionem Dei, & Christi, propter perfectionem & obedientiam intellectus, & propter firmandam spem, & excitandam caritatem: præter illa verò necessarium esse cognoscere, & credere multa alia propter operandum, quæ non fuerunt in symbolis posita: & ideo præter symbola, necessaria est scientia præceptorum, ad quam pertinet instructio circa sacramenta necessaria, quorum vnum est Eucharistia, sicut etiam notitia orationis Dominicæ.* Sectione VI, num. XVII: *Explicatio, quam dicunt posse Ecclesiam facere, aliquando est per explicationem nouæ propositionis contentæ in antiquis. Illa autem propositio numquam est nouus articulus, quia non pertinet ad materiam veluti substantialem fidei explicitè ab omnibus credendam; illa enim sufficienter fuit semper explicata in symbolo; sed pertinet sæpe ad doctrinam fidei, quam oportet sciri à doctoribus Ecclesiæ iuxta temporum varietatem, vel necessitatem.*

LII. Iohannes Azorius Institutionum moralium tomo primo, libro IIX, cap. VI: *Mihi videtur dicendum,*

satis

satis esse ad salutem cuique fidelium credere explicite symbolum Apostolorum. Hoc enim habet communis Theologorum sententia. Et idcirco quiuis credens articulos fidei, non est cur obligatus esse censeatur ad aliquid aliud nominatim & expresse credendum, si sit homo vulgaris, & rudis. Dixerat Thomas ad dist. xxv Tertij, quæ. 11, art. 1, quæstiunculâ tertiâ, *quod explicare articulos fidei contingit dupliciter: vno modo quantum ad ipsorum articulorum substantiam, secundum quod homo ipsos articulos distinctè nouit: alio modo quantum ad ea, quæ in articulis continentur implicitè, quod quidem contingit, dum homo scit ea, quæ ex articulis consequuntur, & vim veritatis ipsorum articulorum, per quam possint defendi ab omni impugnatione.* Hæc repetit Gabriel Biel ad eamdem distinctionem; & quæstionem hic format Azorius, *quænam sit substantia singulorum articulorum fidei credendorum, prout absolutè & simpliciter credi debent à quouis rudi, vulgari & imperito homine? Quidam,* inquit, *arbitrantur in substantiâ singulorum comprehendi ea, quæ sequuntur. — Sed mihi probabilius & verius videtur, quod docet Gabriel, debere quidem explicitè credi substantiam singulorum articulorum, sed nomine substantiæ intelligi id, quod simpliciter, licet confusè & generaliter, significatur vocibus in articulo contentis. Hoc explico in hunc modum: substantia articuli Trinitatis est, Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & hos nequaquam esse tres deos, sed vnum Deum: hoc enim satis est, si sic confusè & generatim rudis & vulgaris homo credat. Nam in Deo esse vnitatem naturæ, & reuera distinctionem personarum, ad explicationem eius articuli pertinet, quæ doctorum est, non rudium hominum. Eodem modo substantia articuli, quo credimus vnam, sanctam, & catholicam ecclesiam, est, neminem posse saluum esse extra congregationem hominum, qui Christi fidem & religionem profitentur susceptam: & posse salutem obtineri intra hanc ipsam congregationem hominum piorum & fidelium.* Hæc Azorius.

LIII. Adamus Tannerus tomo tertio Scholasticæ Theologiæ disp. 1, quæst. 1, dubio 11x, assertione 11: *Articuli fidei, omnibus fidelibus communiter credendi, rectè ab Apostolis in vnam quandam synopsin, velut credendi regulam ac fidei Christianæ summam collati sunt; quæ idcirco symbolum Apostolorum dicitur. — Addi potest, in symbolo ea tantùm dogmata fuisse posita, quæ per se, (& non tantum per accidens, ob praxin) de Deo, Christo, ac humana redemtione cognoscenda & credenda essent: quâ proinde ratione nec mysterium Eucharistiæ, aut pœnitentiæ sacramentum, nec cetera intrinsecè ad praxin pertinentia, in symbolo speciatim fuerunt expressa.*

LIV. Iosephus Acosta opere, quo *de procuranda Indorum* siue Americanorum *salute* agit, rectè de plerisque judicat: quem etiam, quia quæ tradit, ipsum in rem & praxin, quando inter Americanos egit, transferre oportuit, audiemus. Conqueritur nonnullos docuisse, satis fore Indis, si sciant vnum esse Deum, eumq; bonis præmia, malis supplicia reddere; &, quod reliqua attinet, credant communiter & implicitè, quæ credit ecclesia. Ipse verò, *Docendi*, inquit, *sunt Indi & gentes omnes mysterium Christi: & qui genus aliquod hominum inde excipit, grauiter errat; ne hæreticum apertè dicam, quod tamen nonnulli graues auctores intrepidè affirmant. Sed homo absurdus est, inquies, rudis, hebes. — Ego verò mysterium Christi intelligere neminem cogo, quod est paucorum, credere verò omnes debere dico, quod nemo non potest. Nemo enim tam est absurdus, qui nequeat vtcumq; cogitare Deum & hominem. Doceri ergo potest, Deus factus homo; hic est Christus Iesus: addat, cur id sit factum, vt nos prorsus à peccatis eriperemur, & vitam consequeremur: atq; ita discet esse vnicum saluatorem nostrum. Mox ordinem quoq; doceatur, quòd conceptus sit Spiritus sancti operâ ex virgine, & natus, & crucifixus, & post mortem resurgens in vitam immor-*

Lib. 5, c. 4.

immortalem. Hæc profectò cogitatione percipere non est impossibile. — Cum ergo quæritur, quid in mysterio Christi gentes docendæ sint, respondetur, Dei filium factum hominem propter nos, crucifixum resurrexisse, quam summam esse Euangelij rectißimè dicit Chrysostomus. Itaq. tria quædam breuiter insinuantur. Primum, Christum esse Deum & hominem: deinde, mortuum esse propter peccata nostra; tertium, vitam immortalem & beatam possidere, quam nobis communicare vult. Hæc qui nullo modo percipere poßit, neminem esse arbitror, si congruenter doceatur. — Memoriter verò tenere, & acutè intelligere, & aptè explicare scio non omnes posse —. Hæc ille de Christo: de Trinitate verò ista: *Premunt adhuc nonnulli amplius. Trinitatis mysterium in hoc esse aiunt, vt tres diuinæ personæ in vnâ eademq. essentiâ credantur. Atqui inuenies quàm plurimos, qui neq. quid sit distinctio personarum, neq. quid essentiæ vnitas cogitare queant. Ego sanè tales esse non in India & Æthiopiâ solùm, sed in ipsâ Hispania & Italiæ curiâ plurimos arbitror. Hos ergo excludemus ex notitiâ Trinitatis? Minimè verò. Quin potius doctissimi Cardinalis Hoßij sententiam valde probo. Distinctionem, inquit, personarum & vnitatem substantiæ, si qui sunt rudiores, quàm vt comprehendere poßint, non est adeò necessarium ad salutem omnibus explicatè credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus, de eius salute dubitandum sit. Rectè prorsus ac piè, Namq. vt rudiores mysterium Trinitatis, quantum satis est, credant, satis omnino est illis, si verè credant in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Neq. opus est ista morosè premere apud tales, quæ si subtilius exquirantur, de illorum exiguo sensu elabuntur. Teneant ergo vnum esse Deum omnipotentem, omnium rerum creatorem: teneant hunc esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Quòd si præterea facultas suppetat, doceri poßint has tres esse distinctas personas, & æquales per omnia; sed Deum omnino vnum, propter vnam, eamdemq. omnino substantiam.*

Cap. 6.

Confeß. fidei c. 2.

etiam. Quidquid enim de hoc myſterio ſentiendum eſt, Eccleſia breuiter poſuit, Vt in perſonis proprietas, in eſſentiâ vnitas, in maieſtate adoretur æqualitas. — Sed ſicut religioſa diligentia iſta plebi exponentium laudanda eſt, ita improbanda quorundam importuna moroſitas de diſtinctione perſonarū, de vnitate eſſentiæ à rudiſſimis hominibus rationem extorquentium, quæ neq; comprehendere ſatis poſſunt, & cùm vtcunq; comprehendunt, penitus explicare non poſſunt, niſi fortè verbis conceptis memoriæ mandarint, quod vt in puerili ætate non eſt inutile, ita non firmum eſt intimi ſenſus iudicium. Reuocat mihi Acoſta in memoriam, quod apud Albertum ad diſt. XXXV, art. XV me legere memini. Dicit Albertus, ſiue obijcit ſibimetipſi: *Nos videmus, quòd laici capiuntur & examinantur de articulis fidei occultiſſimis, & ſi inueniuntur aberrare & neſcire, relinquuntur pro hæreticis,* id eſt, comburuntur. *Ergo videtur, quòd tenentur* occultiſſima iſta *ſcire & credere*. Reſpondet autem, *quòd non relinquuntur laici pro hæreticis propter illud, quòd non diſtinguere ſciunt quoſdam articulos, ſed quia pertinaciter eis contradicunt, quando exponuntur eis. — Si enim ideo comburerentur, quia neſciunt diſtinguere articulos vel explicare, ipſi inquiſitores comburendi eſſent, quia nec ipſi multùm bene ſciunt.*

Cap. 2. LV. Porrò quæſtionem mouet Acoſta, *Si cui repentinus morbus incidat, qui ſpe vitæ excluſus Chriſtianum ſe fieri velle ſignificet, quod ſæpe,* ait, *vidimus; is verò & rudis ſit, — & ad imbuendum mora ſit breuis, quid agendum, ne aut homini ſalutis aditus præcludatur, aut baptiſmus detur indigno?* Reſpondet: *De eâ re in ſynodo prouinciali Limenſi decretum eſt, vt quàm poßit breuiſſimè præcipua tantùm doceatur. Quorum primum eſt, vt credat in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: ſecundum, hunc eſſe omnium creatorem, & eundem gloriam bonis æternam præſtare in cœlis, & malis ſupplicia*

ſempi-

sempiterna: tertium, à peccatis neminem liberari nisi per Iesum Christum Dei filium hominem factum, passum, & mortuum propter nos; hunc esse Dominum & redemtorem nostrum, & spem unicam, qui regnat gloriosus in cælis: quartum, Huius Iesu Christi hominem fieri servum per baptismum, in quo omnia peccata remittuntur, & vita donatur æterna. Hæc si ut potest & credat, & confiteatur, requirendum est, an verè præteritæ vitæ criminum pœniteat, præcipuè idololatriæ, & an in posterum velit rectè vivere secundum Dei & Christiani populi leges atque præcepta. Si se & præterita dolere responderit, & futura adimplere cupere ex animo, non est differendus, sed Christo ex aqua & Spiritu sancto regenerandus. Illud autem sine ulla dubitatione confirmo, in talibus, si voluntas sit bona, & divinitus præparata, qui verè velint esse Christiani, numquam intellectus lumen deesse, quo quantum oportet necessaria saluti suæ percipiant, Deo plerumque illustrante mirificè tenebras mentis humanæ. Et hæc quoque ex Acosta proferre libuit.

LVI. Ite nunc Domini Moguntini, & vociferate, quia adseram *symbolum fidei sufficere ad salutem*, vt vos Sectione 2, num. 6.
loquimini; siue potiùs symbolo Apostolico contineri omnia credenda, cujuis, ne per ignorantiam mentis salute excidat, necessaria; aut, vt vestris etiam verbis, quæ vel semel non incommoda Vobis exciderunt, vtar, *quatenus credere & adsentiri rebus à Deo revelatis ex parte intellectus ad salutem necessarium est:* hoc ipso me talem fabricare fidem, sub cujus tegumento nullus ferè error delitescere non possit; talem adornare religionem, quæ vix vllam respuat falsitatem; talem denique ædificare ecclesiam, quæ sinu suo quoslibet facilè admittat hæreticos, schismaticos, soloque nomine ementito Christianos. Id verò, *clamatis*, quid aliud est, quàm Fidem negare, Religionem prodere, Ecclesiam vastare? Estis sanè belli declamatores; & pueris terrorem possitis incutere. Ista verò dira & tetra quo jure mihi impro-

Num. 2.
Num. 1.

improperatis, eodem impingite sanctis Patribus, & vniuersæ priscæ ecclesiæ: potiore tamen Scholasticis vestris, quorum vix aliqui integram symboli Apostolici notitiam & fidem exigunt: optimo autem & maximo nonnullis recentioribus doctoribus vestris, è quibus Andreas Vega docet, *non solùm iustificari posse homines, sed & saluari sine fide Christi explicitâ. Siquidem*, ait, *licet omnes Christus adstrinxerit ad credendum Euangelio, cùm præcepit Apostolis, vt illud per vniuersum mundum nunciarent, & eos qui eis non crediderint, damnandos esse pronunciarit; tamen cùm haberi possit ignorantia inuincibilis Euangelij, nullum hac ex parte impedimentum erit, quo minùs qui alia præcepta naturalia seruauerint, & iustificentur, & saluentur.* Eamdem opinionem tribuit Becanus *Medinæ libro II de rectâ in Deum fide, cap. XX; & nonnullis aliis recentioribus.* In eos inuehiminor, si quando vos declamandi incesserit libido. Quamquam quid dicam de Becano ipso? Ei *non est omnino certa hæc conclusio, Præceptum credendi affirmatiuum, tametsi non obliget ad omnia obiecta explicitè credenda, obligat tamen ad credenda explicitè omnia mysteria in symbolo comprehensa.* Et quid de Adamo Tannero, cujus hæc est assertio: *Quamuis probabile sit, etiamnum post Euangelium sufficienter in orbe promulgatum, fidem explicitam Christi Redemtoris, multoq; magis SS. Trinitatis, non esse necessariam omnibus necessitate medij, neq; ad primam, neq; ad vltimam salutem; probabilius tamen est, ita necessariam esse ad vtramq; salutem.* Huic homini non nisi probabile est, explicitam Christi & Trinitatis fidem ad salutem esse necessariam; nec improbabile, non esse necessariam.

L. 6 de Iustific. c. 19.

Tr. de virt. Theol. c. 11 quæst. 2.

To. 3, disp. 1, qu. 7. dub. 2.

LVII. Ad primam autem, quam vocat, salutem non necessariò exigi docuit Melchior Canus; sed sufficere implicitam. Implicita verò fides Cano est *credere, Deum*

Rel de sacram. p. 2.

Deum esse hominum iustificatorem ac saluatorem, quo videlicet prouidente salutis remedia humano generi comparanda. Hac, inquit, *fide implicitè credebatur in Christum, per quem Deus erat iustificaturus seruaturusq́; vniuersas nationes.* Hujusmodi igitur implicitam fidem ad primam salutem, siue ad gratiam & justificationem obtinendam sufficere docet Canus, nec necessariò exigi explicitam, etiamsi exigatur ad secundam salutem siue ad beatitudinem & gloriam. Quasi verò qui per justificationem adoptatur in filium & heredem Dei, ac coheredem Christi, alio medio ad adeundam hereditatem egeat, quàm quo jus adeundæ est adeptus. *Igitur,* ait Dominicus Soto, *quum gratia sit acceptatio ad gloriam, gratis dictum est, quòd aliquid requiratur ad obtinendam gloriam, quòd non erat requisitum ad obtinendam gratiam; atq; adeo quòd fides implicita sufficiat ad gratiam, & nihilominus explicita requiratur ad gloriam.* Inde *concludit, quòd qui ignorantiâ inuincibili euangelij laborant, sine fide explicitâ per solam implicitam, quemadmodum gratiam, ita & gloriam obtinere possunt. — Et vt,* inquit, *summatim omnia comprehendamus, quicumq; locus in Scripturâ de necessitate fidei explicitæ Christi loquitur, intelligendus est seclusâ ignorantiâ inuincibili.* Dominicus etiam Bannes, quamuis in sententiam Cani propendeat, scribit nihilominus: *Hoc speciale est in actu fidei in Deum iustificatorem, quod talis actus est necessarius necessitate finis, vt medium sine quo homo non iustificabitur. — Alij verò actus fidei in Christum, aut in mysterium Trinitatis explicitè etiam post prædicationem euangelij, non sunt ita necessarij ad iustificationem, vel ad salutem æternam, vt non posit esse opinio probabilis, quod sine illis actibus posit homo iustificari & saluari.* Tandem quum secundum Canum hanc posuisset conclusionem; *Ad salutem primam, scilicet ad iustificationem, non est modò necessaria omnino, tamquam medium*

4. dist. 1. qu. vnica art. 2.

In 2. 2. qu. 2. art. 8.

L

um sine quo non, fides explicita Christi: mox contra eumdem subjungit aliam, in hæc verba conceptam; *Non est error aut hæresis, nec temerarium aut scandalosum asserere, quòd possit aliquis modò adsequi vitam æternam sine fide explicitâ Christi, sed quod sufficit ad ingressum vitæ æternæ id, quod ad iustificationem satis est.*

LIIX. Nolo ista prolixiùs aut operosiùs excutere. Mihi satis est suppeditasse facundiæ vestræ materiam, vt jacula inuectiuarum, quæ in me nequicquam vibratis, in vestros doctores & socios rectiùs & felicius torqueatis. Quæ verò vos agitant intemperiæ, quòd symbolum Apostolicum appellatis *symbolum Calixtinum?* Non equidem tanto me dignor honore, vt tantæ necessitatis, dignitatis & majestatis symbolum, quod ipsis sanctissimis Apostolis quoad singula verba acceptum ferre solent doctores vestri, à me denominationem accipiat. Num vobis sordere cœpit, & arridere Censura à Iesuitis Hispanis in illud edita, infrunita, impia, — *contactuq; omnia fœdans immundo?* Nam si ita non esset, nomenclaturam illi ab eo, quem hæreticum esse, & per illud ipsum symbolum Antichristo atque atheismo viam parare existimatis, non inderetis. Clamatis enim ex meâ opinatione, de sufficientiâ scilicet symboli Apostolici, manifestè sequi, nec teterrimos plerosque errores ab Apostolis & & Patribus damnatos esse hæreses damnabiles; nec esse anathematizandos, qui negant pleraque in Scripturis reuelata; nec esse meliore conditione orthodoxos cacodoxis: item falsa credere, modò pallio symboli velentur, sufficere ad salutem; adeoque perinde esse, cui te sectæ adjungas: Calixti religionem non esse nisi figmentum humanum; (articuli videlicet symboli Apostolici non sunt nisi figmentum humanum) Ecclesiam, eam scilicet, quæ per totum terrarum orbē diffusa vnâ fide symbolo Apostolico inhæret,

Sectione 1, num. 7.

Vide Relat. de stratag. Ies, c. 19.

Sectione 2. num. 12.

esse confusionem plùs quàm Babylonicam, quòuis schismate deteriorem, quàuis hæresi perniciosiorem: me denique Machiauellicæ impietati velificari, Antichristo & atheismo viam parare.

LIX. Desinite, quæso, *in me stolidæ conuicia fundere linguæ*, & mucronem grandiloquentiæ vestrę in eos conuertite, qui explicitam & certam Christi Seruatoris fidem obtinendæ saluti necessariam esse negant; aut saltem, num verè necessaria sit, dubitant, vel non nisi probabile id esse existimant. Quales opinationes, vt vobiscum loquar, non proponunt aut defendunt Doctores Protestantes, sed Pontificij & Iesuitæ. De falsis credendis (nam horum quoque mentionem inijcitis) socios itidem vestros Iesuitas legite. Gregorius de Valentiâ Tomo III, disp. I, quæst. II, puncto V: *Quandoq. potest contingere, vt quis teneatur conari ad eliciendum adsensum fidei supernaturalem circa id, cuius contrarium est re ipsâ verum.* Nempe *si synodus episcopalis, aut etiam communis consensus plurium Theologorum statueret, aliquam propositionem esse propositam ab Ecclesiâ & de fide; atq. ideo iuberetur quis præbere illi propositioni adsensum fidei; tunc talis teneretur conari ad eliciendum talem adsensum ex præcepto fidei, & aliàs incurreret peccatum hæresis, quod ad voluntatem suam attinet.* Tanti videlicet à populis episcopos & doctores Pontificios fieri oportet. *Et tamen quum synodus episcopalis, & plures etiam Theologi, errare possint; posset contingere, vt quod ab Episcopis vel Doctoribus aliquibus proponitur tali credendum, falsum reipsa esset.* Quin Franciscus Toletus Instructionis sacerdotum libro IV, cap. III: *Si rusticus circa articulos credat suo episcopo proponenti aliquod dogma hæreticum, meretur credendo, licet sit error, quia tenetur credere, donec ei constet esse contra Ecclesiam.* Præiuit Gabriel Biel ad distinct. XXV Tertij, quæ-

Ovid.

 stione

ſtione vnicâ, art. I, notabili II, coroll. IV: *Si quis ſimplex & ineruditus audiret Prælatum ſuum prædicare aliquid contrarium fidei, de quo tamen non tenetur habere fidem explicitam, — & ita captiuaret intellectum ſuum credendo illud propter Deum, putans hoc Eccleſiam credere—; talis non ſolum non peccaret, ſed etiam ſic credendo falſum, mereretur.*

LX. Si dicerem hujuſmodi opinationes inuectas eſſe, vt Epiſcopi & Pontifices, auctoritate eorum in immenſum adauctâ, cœco quodam nulliſque limitibus circumſcripto obſequio colantur, injuſtam eam veſtram interpretaremini. Sed ignoſcite, quòd ego vix aliter queam accipere. Poteſt impunè ignorari Chriſtus, poſſunt ignorari articuli fidei: at nemo impunè feret, qui Pontificis definitioni, quæcumq; & quacumque de re, vtut obſcuriſſimâ & hactenus incertâ, fuerit, adſenſum denegarit, etiamſi rationes, ob quas definitum, neque proferantur, neque proferri aliquando vllæ poſſint. Majus itaque crimen, & præſentiori periculo ac pœnæ obnoxium, quamcumque Papæ definitionem, vtut nullâ apparente ratione ſubnixam, ſollicitare vel in dubium vocare, quàm Chriſti diuinitatem aut articulos Chriſtiani ſymboli ignorare. Nec aliò collimat, quæ toties & tantopere inculcatur, implicita fides. Nempe ſi credatur, quod credit Eccleſia, res ſaluæ ſunt. Paullò antè laudauimus Ioſephum Acoſtam, quòd neceſſitatem ſymboli Apoſtolici rectè vrſerit, & ſufficientiam eius non malè explicarit. Ne tamen Ieſuitam non agnoſcas, articulum de Eccleſiâ exponens, quum bene dixiſſet, Eccleſiam eſſe *congregationem hominum Chriſtum doctrinamq́, Chriſti profitentium, non Hiſpanorum, aut barbarorum, aut nationis & gentis cuiuſdam numero & ſorte definitam, omnia terrarum ſpacia, omnes temporum ſucceſſiones complexam;*

Libro 5, cap. 7.

nam, ſubijcit, *Huius caput eſſe Romanæ vrbis Pontificem, Petri ſucceſſorem, Chriſti vicarium, pleniſſimâ ipſius in terris auctoritate pollentem, cui cæteri omnes Chriſtiani, etiam Reges & Principes, pareant.* Exſtant variæ variorum veterum in Symbolum expoſitiones. Qui articulum de Eccleſiâ ita expoſuerit, vel eiuſmodi additamento locupletarit, nemo inuenitur. Quod ſi autem ſalus in tuto eſt, modò credatur, quod credit Eccleſia: maximè profectò in tuto erit, modo credatur, quod credit caput eius Romanus pontifex. Et ſi hic pleniſſimâ Chriſti in terris auctoritate pollet, pollebit quoque auctoritate non ſaltem promulgandi ſed condendi articulos fidei ad ſalutem neceſſariæ, & ſacramenta. Atque ita quidem, quemadmodum diximus, articulum de Eccleſiâ catechumenis exponi vult Acoſta: quamquam memorat, *eum à vulgaribus catechiſtis fere omitti.* Neque verò Iapanenſibus catechumenis quidquam tale proponebatur, ſi credimus epiſtolæ, quam de eorum conuerſione ad Michaëlem Turrianum Ieſuitam ſcripſit ex eadem ſocietate Iohannes Baptiſta Montius, Bungo, v Id. Octobris, anno cIↃ IↃ LXIV. L. 4 epiſt. Iapanicarum.

LXI. Etiamſi verò conatus & conſilia ad concordiam collimantia Ieſuitæ vt apparet, (quamquam omnes pati eiſe truculentiâ mihi nondum patior perſuaderi) horreant & auerſentur; quum tamen nullus dubitem, quin diſſidiorum tædium multos ceperit, multorum etiam peruicaciam diuturnæ calamitates domuerint, & duritiam emollierint: (iubet Hippocrates πέπονα φαρμακεύειν, at nec temporis mora, nec æſtus & ignis, quibus ad maturitatem excoqueretur, huic Germaniæ morbo defuit:) non ſpero manſuetis ingeniis, paciſque ſiue politicæ ſiue eccleſiaſticæ ſtudioſis, pa- Aphor. 22 lib. 1.

 triæq;

triæque amantibus ingratum fore, si pluribus argumentum, cujus vberiùs tractandi horribilis Moguntinorum maledicentia necessitatem imposuit, certè occasionem præbuit, prosequar. Nihil præscribo: quod diuinis literis & venerandæ antiquitati, quod pietati & veritati consentaneum esse existimo, in medium profero. Tantum valeat, quantum cum his congruit. Suum cuique judicium esto liberum, nec aliter obnoxium, quàm quà veritatis euidentiâ & vi rationum impellitur.

— Si quid nouisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his vtere mecum.

LXII. Primùm autem repeto, quod dictum fuit
Numero 38 priùs, non per aliam fidem seruari tardos & indoctos, per aliam ingeniosos & eruditos, sed per vnam & eamdem omnes Christianos, siue rudes & discipulos, siue literis excultos & doctores; præsertim adultos & rationis vsu præditos. Fidem dico, quâ credimus Deum nos & cætera omnia creasse: propter nos autem à peccatis redimendos & saluandos vnigenitum Dei Filium factum esse hominem, & virtute Spiritus sancti è virgine natum: esse igitur vnum Deum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, ita agnoscendum, colendum & adorandum: Filium illum Dei pro nobis incarnatum, vt peccata nostra expiaret passum esse, crucifixum & mortuum, resurrexisse, adscendisse in cœlum, ibi gloriosum regnare, indeque rediturum ad judicandum viuos & mortuos. Illum hominum cœtum, qui hæc credit, & à quo nos hæc didicimus, & cui hæc credendo nos conjunximus, esse ecclesiam Christi & populum Deo dilectum: apud quem, in quo, & cum quo, mediante fide qualem diximus obtineatur remissio peccatorum; & tandem, quum è morte rediuiui resurrexerimus, æterna

vita

vita & felicitas. Hæc secundum Dei ordinationem & beneplacitum per doctrinam Noui testamenti ab Apostolis vbique terrarum euulgatam & prædicatam ita inter se sunt connexa, vt aliud absque alio rectè, & quemadmodum sub Nouo testamento oportet, cognosci non possit: prioribus etiam positis sequuntur nonnulla posteriora, vt qui priora credit, hoc ipso ad ea credenda inducatur, quum diuelli nequeant. Ita positis illis, quæ de Deo Patre, Filio incarnato, & Spiritu sancto credi oportet, sequitur eum cœtum, qui hæc credat, esse ecclesiam siue populum Dei, in quo remissionem peccatorum & jus adeundæ cœlestis hereditatis sit habiturus, qui se illi eadem credendo, siue per fidem, nec non caritatem, (quomodo enim qui membra sunt vnius corporis, se mutuò non diligant?) conjunxerit. Ista sunt, quibus adsentiri ex parte intellectus, ne per ejus ignorantiam salute priuemur, necesse est.

LXIII. Scripsistis Vos ipsi, Domini Moguntini: Quum quorumdam articulorum fides explicita sit simpliciter necessaria ad salutem tamquam medium, eorum etiam simplex inscitia æternùm damnat. Rectè. Si jam inter nos conueniat, quinam articuli ad salutem simpliciter necessarij, & quorum simplex inscitia æternùm damnet, multùm profecerimus. De necessitate medij ac præcepti, item explicito & implicito, postea videbimus. Eiusmodi autè articulos aio contineri symbolo Apostolico, simpliciter & sententiâ, quam pridem non semel, aliquando nostris, aliquando alienis verbis, protulimus, accepto. Idem testatur & docet vniuersa antiquitas; idem Scholastici; idem vestri doctores & Iesuitæ. Quos vti eatenus probo, ita non possum non admirari, imò, serio reprehendere, quin palàm reijcere & damnare, Sectione 1, num. 11.

quod

quòd alij, num fides explicita Christi Redemtoris & sanctissimæ Trinitatis ad salutem necessaria sit, dubitant, alij expresse negant. Nec video, quomodo cum tali opinione vel doctrinâ consistere possint fundamenta Christianismi: vt proinde oboriatur suspicio, apud Vos, modò agnoscatur principatus Pontificis, impunè posse ignorari Christum.

LXIV. Inter necessitatem præcepti & medij distinguere cœperunt nonnulli Scholastici, præsertim posteriores. Quod necessarium est necessitate medij, à Dei beneplacito & ordinatione pendere oportet. Diuini enim fuit arbitrij constituere, quodnam obtinendo fini, qui est salus animarum & æterna beatitudo, deputare vellet medium. Quum autem ad hunc finem hominem, vt hominem, siue vt rationalem creaturam perduci consentaneum fuerit, videri possit ex rei naturâ requiri, certè nihil magis esse congruum, quàm vt homo non sine agnitione Redemtoris sui, & tanti per ipsum præstiti beneficij, seruetur. Proximum igitur & immediatum, vt ita dicam, medium est notitia & fides Redemtoris Iesu Christi θεανθρώπȣ, cum quâ complicatur, vt ostendimus, aliorum quoque nonnullorum notitia & fides, quòd sine hisce itidem cognitis & creditis integra esse nequeat. Loquimur autem hîc de fide non aliter, quàm quatenus ab intellectu remouet ignorantiam, per quam actus fiduciæ, spei, caritatis, cultusque Deo Creatori & Redemtori debiti vnà cum ipsâ salute excluderentur. Cæterùm quod ad salutem eiusmodi necessitate medij à parte nostrâ exigitur, siue per nos præstari oportet, id quoque necessarium est necessitate præcepti. Quod enim Deus voluit à parte nostrâ medium esse, id quoque nobis vt adhiberemus, vel in actum traducere-

duceremus, præcepit siue injunxit. nam & aliàs ad eum, qui omnibus præest, & omnes in finem dirigit, pertinet, vt media consequendo fini necessaria præscribat, & ea reapse suscipi siue in actum transferri præcipiat.

LXV. Hactenus igitur quod necessarium est necessitate medij, idipsum etiam necessarium est necessitate præcepti. Idem quoque positiuè concurrit, & simpliciter est necessarium, adeo vt si desit, quacumq; tamdem occasione vel caussâ defuerit, salute excidas; nec locum inueniat excusatio ab ignorantiâ moraliter insuperabili, vel vndecumque petatur. Quæ verò necessaria sunt solâ necessitate præcepti, tanto rigore non constringuntur, quin si per ignorantiam inculpabilem, vel virium, aut obiecti, aut adminiculorum operi necessariorum absentiam & defectum omittantur, veniam inueniant. Quæ tamen ipsa etiamsi non referantur proximè ad finem vltimum, vt media: possunt nihilominus ad alium non-vltimum finem, verbi gratiâ, augmentum, conseruationem vel confirmationem gratiæ, vt particularia media, quorum ineuitabilis defectus aliunde suppleri queat, referri. Ita se habet, quod adultos attinet, vsus sacramentorum. Nec multùm absimilis ratio obseruationis mandatorum diuinorum moralium. Neque enim hæc obseruatio ad impetrandam æternam salutem concurrit positiuè, vt vera caussa, vel medium: nisi forte *medium* appellare libeat, quidquid inter initium salutis & finem reapse possessum intercedit, vel eum quocumque modo præcedit: quæ fuerit vocabuli, vti hic adhibetur, impropria & æquiuoca acceptio. Nec omnino malè Becanus: *Tametsi generatim loquendo, obseruatio præceptorum sit quoddam medium necessarium ad salutem, quia qui non obseruat præcepta non potest saluari;* Tract. de virt. Theolog. c. 12.

 uari;

uari; tamen quando ſpeciatim loquimur de neceſſitate medij, quatenus diſtinguitur à neceſſitate præcepti, certum eſt, obſeruationem præceptorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Ratio eſt, quia hoc propriè vocamus neceſſarium neceſſitate medij, quod poſitiuè concurrit ad ſalutem. — Obſeruatio autem præceptorum præciſè ſumta, quatenus talis eſt, non concurrit poſitiuè, ſed negatiuè, quia ſolum efficit, ne impediatur aut amittatur iuſtificatio. Hæc habet à Vazquezio; cujus etiam ipſius verba non pigebit adſcribere: *Aliter concurrit obſeruatio præceptorum ad conſequendam æternam beatitudinem, & illa, quæ communiter dicuntur media. nam obſeruatio præceptorum negatiuè ſolùm neceſſaria eſt ad ſalutem ſimpliciter, ne ſcilicet per tranſgreſſionem præcepti impedimentum aliquod opponamus ſaluti noſtræ, & iuſtificationi, & eam amittamus; non autem poſitiuè, quia ipſa obſeruatio præceptorum, non eſt neceſſaria poſitiuè ad conſequendum iuſtificationem per quam ſolam ſalutem conſequimur.*

Ins, diſp. 169, cap. 1.

LXVI. Hiſce ita expoſitis repetimus rerum ad fidem ſpectantium diſtinctionem, cujus etiam ſuperiùs facta fuit mentio. Nempe alia antecedere, alia conſtituere, alia conſequi. Quæ autem conſtituunt, hæc ipſa ſecundum ſe, & ſubſtantiam, vt ſic dicam, ſuam, & quemadmodum declaratum eſt, cognitu & creditu ſunt neceſſaria, neceſſitate tum medij, tum præcepti, & continentur ſymbolo Apoſtolico. Antecedentium & Conſequentium cognitio non ad quoſuis pertinet, ſed ad perfectiores: nam quemque horum notitiâ, quantum datur, ſe decet perficere; & quo perfectior fuerit, eò quoque ad ſemetipſum in veritate conſeruandum & ab erroribus tuendum erit inſtructior: inprimis verò & maximè ad eos pertinet, qui aliorum ſunt doctores & magiſtri. Quorum quum varij ſint gradus, quò quiſq;

Num. 44.

excel-

excelſiore fungitur officio, & plures ac ſublimiores habet regere & inſtruere, eò quoque ipſum talium cognitione magis pollere oportet: Archiepiſcopum itaque præ Epiſcopis: Epiſcopos præ Curatis ſiue Parochis: vt inferiores e difficultatibus, inter quas hærere intricatos aliquando contingit, ſuperiorum operâ & ſcientiâ expediri poſſint. Sed hujuſmodi diuerſitas ipſam fidei ſaluificæ, vt ſic loquar, ſubſtantiam, ſiue quatenus ad ſalutem gemina illâ neceſſitate medij & præcepti neceſſaria eſt, non variat, ſicut pridem dictum, & ex ſe manifeſtum. Lubet apponere nonnulla verba, quibus Michael, titulo epiſcopus Sidonius, reapſe ſuffraganeus Moguntinus, quum ibi ante CII annos Apoſtolici ſymboli de Eccleſia articulum populo exponeret, vſus fuit; vel eo nomine, quod hæ conciones Moguntiæ & habitæ, & typis excuſæ. *Chriſtus*, ait, hat einem Menſchen mehr Weißheit/Kunſt/ verſtand der Schrifft geben/ dann dem andern. Aber alſo/daß ein jeder die gaben/ ſo er entpfangen hat/nicht jhm ſelbſt zu nutz vnd Ruhm brauchen ſol/ſondern zu wolfart/nutz/ vnd aufferbawung der gantzen Gemein Gottes. Die Gaben ſeind nicht ſeyn / ſonder der Kirchen vnd Gemein Chriſti. Es haben auch dieſe / ſo ſolche Gaben entpfangen haben/ von der Gaben willen kein vorteil zur Seligkeit nicht/ dañ die ſchlechten einfeltigen/die ſolche Gaben nicht haben.

LXVII. Habuit Michaël hic Sidonius Moguntiæ eo, quo dixi, tempore de articulo Eccleſiam concernente conciones quatuor; nec vno verbo mentionem inijcit Romani Pontificis: vti neque ad eumdem articulum *Inſtitutio Chriſtiana de Symbolo Apoſtolorum*, ex ſcito Concilij prouincialis Moguntini ſcripta & edita

anno superioris seculi XLIX. Quod addo, vt discrimen inter Moguntinorum, qui ante seculum fuerunt, & Iesuitæ Acostæ explicationem, de quâ antea, obiter indicem. Idem Michaël homiliâ ad quartum præceptum Decalogi, Prælatos sui officij acriter & seuere admonet: quamquam paucis verbis rem transigi, vel ad emendationem traduci non posse agnoscit. Meine Herrn / inquit, die Geistlichen (puto eum intelligere Episcopos & Canonicos) werden es auch nicht alle gut heissen / wann man jhnen jhr süß lüstiges leben wehren / vnd sie auff jhre Ampt weisen / mit müh vnd Sorg vnnd Arbeit beschüdden vnnd beschweren wolt. — Das Ampt der Kirchendiener / Außerwehlten Kinder Gottes / stehet darin / daß sie auffmerckens sollen haben auff die Herd vnd Gemein / die jhm Gott mit seinem Blut erkaufft hat / dann GOtt hat jhnen seine Gemein also vbergeben / das er rechenschafft vber die Seelen seines Volcks von den händen der Fürstehern fordern wil. Derhalben müssen sie jhre Arbeit / Müh vnd sorg dahin wenden / daß durch jhren vnfleis deren Seelen keine verderbe / die Gott mit seinem Blut bezahlt vnd erlöst hat / sonder den Fürstehern der Kirchen / den Hirten / gehöret es zu / das sie dem Ertzhirten / vnserem Gott / alle Seelen seiner Gemein in sein ewiges Reich / vnd in seine Seligkeit in gantzer vollkommener Zahl vberliffern sollen / dann jhre eigene Seele stehet darfür / wo eine einige Seele mangelt / die sie durch jhren Vnfleis haben verderben lassen. Hæc velim, vt sibi dicta esse omnes Episcopi & Canonici existiment.

LXIIX. Hac occasione, quâ in Concionatorem Mogun-

Moguntinum incidimus, jungemus Iohannem Ferum Franciſcanum, qui poſt Michaelem Sidonium in ſummâ æde Moguntinâ conciones habuit; & apponemus verba, quibus cauſſam morborum eccleſiam affligentium aperit, & ad quærenda & adhibenda remedia Prælatos excitat. Dominicâ VI poſt Pentecoſten concione ſextâ, quum expoſuiſſet, nauiculam Chriſti Eccleſiam primum quidem ſæuis perſequutionum procellis, deinde verò diuturnis hæreſium tempeſtatibus agitatam fuiſſe, Da daſſelbig inquit, eine lange Zeit gewerct vnd doch mit Gottes genade vnd groſſer Arbeit der Vater getiſchet ward/ kame das Schifflein in ein ander gefährligkeit. Die Fiſcher wurden faul/ entſchlugen ſich der Arbeit/ fingen an zu trachten nach Reichthumb/ Ehr/ Wolluſt/ vnd guten tagen/ lieſſen das Schifflein fahren vnd ſchweben wie es kundt. Vber daß namen ſie auch jhres gleichen/ daß iſt/ faule/ vngeſchickte/ fleiſchliche/ eigengeſuchige vnnd Weltliebende Menſchen ſo viel in das Schifflein/ daß es nicht mehr kundt tragen/ war ſchier zu grundt gangen. Vnd alſo ſteht das Schifflein noch heut zu Tag. Dominicâ IV poſt Epiphania, concione ſecundâ: Sonderlich ſchlaffen die Häupter der Kirchen / warten allein jhres Prachts/ Wolluſts/ vnd Geitz/ ſeind gantz ertruncken in der Welt Ehr / haben kein acht auff die Schäfflein Chriſti/ vergeſſen auch jhres eygenen Heyls/ gedencken nicht wie ſie der gefallenen Kirchen wieder auffhelffen/ den einfallenden Wölffen wehren/ die Schäfflein Chriſti jhnen befohlen erhalten/ laſſen ſich auch nicht bewegen die gemeine gefährligcheyt / ſo der gantzen Chriſtenheit vor-

steht. Ihr keiner gedenckt/ was thue ich Vnsinniger? Die Herde Gottes ist mir befohlen zu weyden/ Bald muß ich erscheinen vor dem Richterstul Christi/ der sein thewres Blut für die Schäflein vergossen hat. Was wil ich jhm da antworten? Dominicâ proximè sequente, concione itidem secundâ: Der böse Geist hat der heiligen Christlichen Kirchen nimmermehr so viel schadens künden thun/ wenn die Hirten vnd Häupter nicht geschlaffen/ sonder gewachet hetten/ Ihr ist die Schuld am grösten. Vnd wie wollen sie es jmmermehr vor dem höchsten vnd strengesten Richter verantworten/ daß so viel tausend Seelen durch jhr hinlessigkeit verderben/ welche Christus mit seinem heiligen Blut erkaufft hat? Ja daß sie allein die Vrsach seind/ daß der böse Geist so viel vnglücks in der Kirchen angericht hat? Nun wolan der Schad ist geschehen/ wir sehen daß der Acker voll Vnkrauts/ die Kirch voll Irrthumb/ Sünd/ vnd vnfriedens ist. Die Lehr ist vermischet vnd gefelscht/ das Leben ist befleckt/ Fried vnd Einigkeit ist zertrent. Wehe allen denen/ die Vrsach daran seind. Talem statum siue faciem ecclesiæ suæ Pontificiæ ille agnouit. Pium autem & salutare est monitum, quod Dominicâ II post Pascha, concione quartâ inculcat: Wir sollen bitten vnd wünschen/ daß wir wieder vnter einen Hirten vnd in einen Schafstal kommen/ auch das aller Irrthumb/ Zanck/ Hader/ Eifer/ Widerwillen/ vnd zertrennung auß der heiligen Christenheit genommen/ dargegen aber Fried/ Lieb/ vnd einigkeit an die stat kommen/ vnd wir alle vnsern rechten Hirten erkennen/ auch vnsern von

Gott

Gott gegebenen Oberkeiten / vnd vorgengern folgen vnd gehorsam seyn / vnd vns gegen einander halten / als die in einen Schafstal gehören / einen Glauben / ein Tauff / ein Gott / ein Christum / ein Euangelium / vnd ein Hoffnung vnsers Berufs haben. Das (sprich ich) sol ein jeder bitten vnd wündschen / wenn er bey diesem Evangelio hört / daß nicht mehr dann ein Hirt vnd Schaffstal soll vnd kan seyn. Der böse Geist fleißt sich wol allzeit solche Einigkeit zu hindern / desto mehr aber sollen wir jhm zu wider stehn / vnd sprechen wie der Engel im Zacharia sagt: Der HErr wolle dich straffen vnd schelten / oder dir wehren O Satan / Ja der HErr der Hierusalem erwehlet hat. Lasset vns bedencken liebe Brüder / was Frewd / Glück / vnd sicherheit folgen würde / wenn Gott sein gnad geben / daß beyde / die Hirten vnd auch der Schaffstal reformiret vnd wieder zu recht bracht würden. Hæc ex concionatoribus Moguntinis, Iesuitis Moguntinis concordiæ ecclesiasticæ studium damnantibus, nullosque ecclesiæ suæ errores & abusus, (quum vitam & sanguinem, quàm vel tantillum de fide Romanâ, hodiernâ scilicet Hildebrandinâ, deperdere malint) agnoscentibus, aut si apud illos & hæc & alia irrita fuerint, cæteris tamen viris bonis & piis, concordiæque studiosis ob oculos posita sunto.

Eph. 4. 5.

Zach. 3. 2.

Sectione 1, num. 10.

LXXX. Sed vt è diuerticulo in viam redeamus, sicut paulo ante innuebamus, nec sua laude nec fructu carebit, si qui laici vocantur articulis fidei plenius intelligendis operam, quantam capacitas ingenij & ratio conditionis, qua viuitur, admittit, impendant; atque adeo nec Antecedentia, quæ appellauimus, nec Consequentia

quentia penitus negligant. Ad Clericorum verò officium, eorumque qui partes alios docendi & instruendi susceperunt, vt hæc quoque, quantum satis fuerit, intelligant, omnino pertinet. Eos videlicet oportet esse
1 Tim. 3, 2. *διδακτικοὺς, aptos & idoneos ad docendum*; ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον
2 Tim. 2, 15. τῆς ἀληθείας, *rectè secare siue partiri sermonem veritatis*; τοὺς
Tit. 1, 9 & 11 ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν, *aduersarios veritati salvificæ contradicentes conuincere, eisq; os obturare*. Quod sine tali scientiâ fieri non potest. Respiciendo igitur officium docendi, & actus hinc dependentes, talis scientia siue eruditio ad eiusmodi finem necessaria est necessitate medij, & proinde etiam necessitate præcepti. Vnde manifestum, quantopere errent & peccent, qui officia, dignitates & reditus ordinis clericalis, idoneâ ad obeunda officia facultate non instructi inuolant. Quò autem sublimiora officia, & excelsiores dignitates, & pinguiores reditus, eò quoque ab omni parte instructiores oportebit esse, qui illæsâ conscientiâ velint fungi & frui.

Num. 44. LXX. Ad Antecedentia antea retulimus, quæ de animæ immortalitate, de Deo & attributis diuinis ex naturæ lumine cognosci possunt. Nec improbabile
3. dist. 25, apparet dictum Richardi Mediauillani: *Credere deliberati-*
princip. 2, *uam transgressionem diuinorum præceptorum esse peccatum mo-*
qu. 1 ad 3. *rale, necessarium est ad salutem tamquam aliquid, quod est de dictamine rationis naturalis in generali: & sic videtur esse de antecedentibus ad fidem.* Quod repetit & probat Astesanus Summæ libro II, titulo LV, art. II. Eodem referuntur motiua ad fidem & religionem Christianam inducentia, siue argumenta eam præ aliis, quæ in toto orbe sunt, sectis & superstitionibus probabilem demonstrantia. Præcipuam autem partem horum Antecedentium facit cognitio Scripturæ & librorum canonicorum Veteris

& Noui

& Noui testamenti, qui sint, quot sint, quomodo exponi debeant, & ex eis articuli saluificam fidem constituentes deduci, siue quænam sint illa Scripturarum dicta & testimonia, quibus articuli, quos diximus, ina dificentur, contineantur, euincantur. Etiamsi fuerint, qui libros diuinitus inspiratos exstare ignorent, (quales tamen hodie inter Christianos inueniri non fit verosimile) & ne quidem vnius vel Prophetæ vel Apostoli nomen cognitum habeant, modò in seruatorem mundi Iesum Christum juxta tenorem & contextum symboli Apostolici simplice, viuâ nihilominus & efficace fide crediderint, salutis jacturam non facient. Tolerari potuisset in homine è rudi & infimâ plebe, quod tamen tolerari nec potuit nec debuit in eo, qui *in arte concionandi celeberrimus, quum inter disputandum citatus fuisset locus ex Euangelio, qui non soleret in ecclesiâ legi, negauit locum illum esse in Euangelio. productus fuit Euangeliorum liber, quem is numquam antea viderat. rogat quodnam sit volumen illud. respondent, librum esse, qui integra quatuor Euangelistarum volumina complecteretur. tum ille, Triginta (inquit) iustis annis concionandi officio functus sum, neq; vmquam sciui fuisse alia Euangelia, præter eas partes, quæ passim in ecclesiâ leguntur.* Hoc exemplum tamquam sibi compertum memorat Isidorus Clarius oratione primâ in Euangelium Lucæ.

LXXI. Quum autem quæ symbolo Apostolico continentur hæc ipsa sint, quæ cuiuis ad salutem cognosci & credi necessaria; hinc liquet, hæc etiam ipsa in Sacris libris, qui scripti sunt, *vt credamus Iesum esse Christũ Filium Dei, & vt credentes vitam habeamus* æternam, per se & primariò proponi atque intendi: cætera verò in ordine ad hæc ipsa, siue quatenus ad eorum manifestationem & pleniorem declarationem faciunt; & proinde iis Ioh. 20, 31

 cogni-

cognita esse oportere, quibus ex officio incumbit docere, explicare, probare, defendere. Non malè Thomas Secundâ secundæ, quæst. 1, art. VI ad primum: *Dicendum, quòd aliqua sunt credibilia, de quibus est fides secundum se: aliqua verò sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solùm in ordine ad alia; sicut etiam in aliis scientiis quædam proponuntur vt per se intenta, & quædam ad manifestationem aliorum.* Igitur, inquit, *per se ad fidem pertinent illa, quæ directè nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, & alia huiusmodi. Et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quædam verò proponuntur in Sacrâ scripturâ vt credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem: sicut quòd Abraham habuit duos filios, quòd ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus, & alia huiusmodi, quæ narrantur in Sacrâ scripturâ in ordine ad manifestationem diuinæ maiestatis, vel incarnationis Christi: & secundum talia non oportet articulos distinguere.* Talia videlicet sunt propemodum innumera: & proinde si secundum ea articuli fidei distinguerentur & multiplicarentur, ipsi quoque in immensum excrescerent. Talia quoque multa meræ sunt narrationes rerum gestarum, quæ in sensus euidenter incurrerunt, & aliunde etiam, quàm ex reuelatione & sacris literis, instar aliarum rerum inter homines gestarum, cognosci possent. Articulus autem fidei, si rectè & propriè loquamur, neque per experientiam aut euidentiam, neque per lumen naturæ, sed per reuelationem diuinam peculiarem, ab eâ, quâ se omnibus hominibus, etiam
Rom. 1, 19 & 20. gentilibus, inditâ eis intelligendi facultate, & operibus suis ob oculos positis, manifestauit, diuersam, cognoscitur: & secundum substantiam suam cuiuis creditu est necessarius, adeo vt ignoratio ejus salutem excludat.

Arti-

Articulus à Scholaſticis ex Richardo San-Victorino communiter dicitur & deſcribitur eſſe *indiuiſibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum.* Thomas rectè, *arctat neceſſitate finis*, hoc eſt, conſequendo fini neceſſarius eſt tamquam medium, ſiue neceſſarius eſt neceſſitate medij diuinitus ad obtinendum ſummum bonum deſtinati, & proinde etiam neceſſitate præcepti diuini.

LXXII. Idem Thomas poſt aliquammulta quæſt. II, art. V: *Determinatio virtuoſi actus ad proprium & per ſe obiectum virtutis eſt ſub neceſſitate præcepti, ſicut & ipſe virtutis actus: ſed determinatio actus virtuoſi ad ea, quæ accidentaliter vel ſecundariò ſe habent ad proprium & per ſe virtutis obiectum, non cadit ſub neceſſitate præcepti niſi pro loco & tempore. Dicendum eſt ergo, quòd fidei obiectum per ſe eſt id, per quod homo beatus efficitur. Per accidens autem, aut ſecundariò ſe habent ad obiectum omnia, quæ in ſacrâ Scripturâ diuinitus traditâ continentur, ſicut quòd Abraham habuit duos filios, quòd Dauid fuit filius Iſai, & alia huiuſmodi. Quantum ergo ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, ſicut & tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, ſed ſolùm implicitè, vel in præparatione animi, inquantum paratus eſt credere quidquid diuina Scriptura continet: ſed tunc ſolùm huiuſmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei conſtiterit in doctrinâ fidei contineri.* Si articulus fidei à reuelatione, qualem diximus, pendet, & cuiuis ſeruando creditu eſt neceſſarius vtráque neceſſitate medij & præcepti, vt eſt omnino; tum ſanè *Abrahamum habuiſſe duos filios, Dauidem fuiſſe filium Iſai, & alia huiuſmodi*, non ſunt articuli fidei. Potuiſſent illa à quouis alio eorum temporum homine vel ſcriptore cognoſci, aut literis conſignari. Neque enim Scriptura dicitur diuina, quòd ſingula quæ in eâ continentur di-

uinæ peculiari reuelationi imputari oporteat, (verbi gratiâ, de duobus filiis Abrahami, de patre Dauidis, quæ sunt exempla Thomæ; de serie & successione regum Ierosolymæ & Samariæ; quòd Herodes fuerit rex Iudææ, Pilatus præses; aut quod Timotheo scribit sanctus
2 Tim. 4, 13. Paulus, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, adfer quum venies:*) sed quòd præcipua, siue quæ primariò & per se respicit ac intendit Scriptura, nempe quæ redemtionem & salutem generis humani concernunt, non nisi diuinæ illi peculiari reuelationi debeantur: in cæteris vero, quæ aliunde siue per experientiam siue per lumen naturæ nota, consignandis diuinâ adsistentiâ & spiritu ita scriptores sint gubernati, ne quidquam scriberent, quod non esset ex re, vero, decoro, congruo.

LXXIII. Nempe diuina peculiaris reuelatio de mediis ad salutem nostram facientibus supponit, quæ ex lumine naturæ siue de Deo & attributis diuinis, siue de præceptis moralibus cognosci possunt; & cum his etiam ita complicatur, vt sine eis plenè exponi nequeat: quin & imbecillitati humanæ subuenitur & consulitur, dum per Scripturas explicantur & inculcantur illa, quæ absolutè quidem sine Scripturis cognosci possent, à plurimis tamen, quæ est eorum in excolendo naturæ lumine negligentia, absque Scripturarum ductu & adminiculo non cognoscerentur. Præterea Scriptura majore sui parte ad modum historiæ est contexta. Pleraque enim salutem nostram attinentia, si aliquanto pleniùs & accuratiùs cognosci debeant, ita se habent, vt ad modum historiæ (qui tradendi modus alias inprimis gratus, & captui hominum, etiam rudium, est accommodus) rectissimè & aptissimè commemorentur & exponantur. Nempe quomodo Deus hoc vniuersum propter

pter hominem, & in eo ipsum tandem hominem crea-
uerit; quomodo homo peccarit lapsusque sit; quomo-
do in gratiam receptus & Redemtor promissus, prodi-
turus ex semine Abrahami & posteritate Dauidis; quo-
modo propter hunc ipsum Redemtorem, definito tem-
pore juxta promissiones diuinas ex semine Abrahami &
Dauidis nasciturum, populo Abrahamitico siue Israëli-
tico tradita fuerit possidenda terra Canaan, quibusque
conditionibus & successibus; vbi passim occurrunt do-
cumenta & exempla diuinam prouidentiam, justitiam,
benignitatem, tutelam piorum & impiorum pœnas, &
vtrorumque sortem ob oculos ponentia: quomodo
denique Redemtor ille, quum tempus esset expletum,
natus sit, in terris & inter homines versatus, quomodo
locuerit, miracula patrarit, passus sit & mortuus, resur-
rexerit, adscenderit in cœlos, per Apostolos suos euan-
gelium in orbe terrarum prædicari fecerit, & ecclesiam
Noui testamenti condiderit. Hæc quando plenè com-
memorantur, complicantur & concurrunt multa aliun-
de nota, vel saltem quæ ad instar communis historiæ co-
gnosci possent; & proinde non poterunt haberi articu-
li fidei, qui sunt enunciationes de Deo aut operibus di-
uinis salutem nostram attinentibus, quę secundum sub-
stantiam suam sine jacturâ salutis ignorari, & tamen nisi
ex peculiari reuelatione & peculiari diuinæ gratiæ auxi-
lio cognosci & credi nequeunt. Hi, inquam, nisi voca-
bulo abutimur aut ludos facimus, sunt articuli fidei, &
omnes symbolo Apostolico continentur. Loquor au-
tem, vt sæpe dictum, de credendis quatenus talibus,
quorum videlicet simplex ignoratio cum statu gratiæ
& jure potiundæ beatitudinis consistere non posit. Re-
ctè itaque Suarez tomo tertio in Tertiam, disp. XLVI,

 sectio-

sectione primâ: *Non omnia, quæ in Scripturâ habentur, inter articulos fidei annumerantur.* Inconsideratè autem Adamus
15 Nov. an. 1601. Tannerus Colloquij Ratisbonensis sessione vndecimâ, *Centum,* inquit, *possunt dari articuli pro vno,* (imò centies mille, si tales admittas) *qui non omnibus & singulis Christianis, distinctè, speciatim, & absolutè sint credendi, hoc est, quando illis non proponuntur ab illo, qui habet autoritatem. Secundo Geneseos dicitur, fons ascendebat de terrâ. Item Tobiæ VI dicitur, quòd Tobias secum duxerit canem. Id ergo omnibus fidelibus necessariò credendum est?* Regerit D. AEgidius Hunnius: *Estne ergo articulus fidei, quod canem secum duxerit Tobias?* Respondet Tannerus: *Maximè, maximè, maximè.*

LXXIV. Dices, interim certum esse, quod talia, etiamsi è censu sint rerum vulgarium, & aliunde sciri possent, hodie tamen non cognoscantur nisi ex sacris literis, quas Deo inspirante & gubernante scriptas esse credimus. Concedo, virtute hujus principij, *Quidquid Scriptura tradit, certissimè verum est,* talibus nos adsentiri. Cæterùm quæ in Scripturâ supra naturam sunt, & facultatem cognoscendi humanam excedunt, peculiari diuinæ reuelationi accepta ferimus, & quia Deus se hæc reuelasse per suum ipsius Spiritum testimonio diuino sed occulto nos certos reddit, ideo credimus fide, qualem Deo dicenti & testificanti debemus: quæ fides secundum se est simpliciter apprehensiua, non discursiua. Reliqua, quæ in sensus incurrerũt aut aliunde nota fuerunt Deus scriptoribus peculiariter non reuelauit; gubernauit tamen eos per suam adsistentiam, ne quidquam scriberent à vero alienum. Neque talia difficultatem credendi, quasi supra naturam essent, vel captum mentis humanæ transscenderent, inuoluunt. Sicut itaque sacri ipsi scriptores non apprehenderunt talia, tam-
quam

uam peculiariter à Deo reuelata; ita nec est, quòd nos d eum modum apprehendamus, vel eo modo reuelata sse credamus. Virtute tamen admissi principij, quod iximus, quando discursus instituitur, adsensum præ- emus. Aliud est autem per discursum adsentiri, aliud er simplicem apprehensionem fidei. Quamquam di- ursus sæpe fidei inseruit, vt res credenda intellectui pplicetur, & ad fidem perueniatur. Hæc ita explican- a putamus: gratias tamen habituri, si quis explicarit ccuratius. Breuiter, articulus fidei non est, qui citra ericulum salutis ignorari potest. Excedit autem intel- gendi facultatem, per quam mens humana rerum co- itionem naturaliter adipiscitur; neque nosceretur, si Deus peculiariter reuelasset: & creditur propter ctoritatem vel testificationem diuinam, ad quam rcipiendam siue agnoscendam diuinâ etiam peculia- gratiâ mens eleuatur. Supernaturalis igitur est fides, on solum ratione finis, quia scilicet ad æternam & su- rnaturalem beatitudinem consequendam necessaria necessitate medij: verùm etiam ratione tum objecti od creditur, quia id non obijceretur humano intel- tui cognoscendum, nisi esset diuinitus reuelatum; m principij, propter quod creditur, (vocant nónnul- *ationem obiecti formalem sub quâ*) quod est testificatio iina: tum subjecti, quod credit, quia ad hanc testifi- ionem percipiendam mens supernaturali gratiâ, vt imus, attollitur.

LXXV. Si quæsiueris, quid statuendum de ho- ne, qui hanc vel illam historiam, verbi gratiâ de Am- ne & Thamara, historiæue aliquam partem Scripturâ mprehensam repudiauerit? respondebo, casum e- modi fingi, non dari, nempe vt Scripturam quis re- 2 Sam. 13.

cipiat,

recipiat, & partem tamen eius, quam recipit, rejiciat. Interim fieri poteſt, vt liber aliquis vel libri pars innoxiè in dubium vocetur, quòd teſtium vel codicum conſenſu, quali cætera comprobantur, fulciri non videatur. Si itaque dubitandi ratio fuerit, nemini dari poteſt crimini, quòd canonicam auctoritatem alicujus ſcripti, particulæue eius in dubium vocet, aut

Cap. 22, 43. planè neget. Ita quod eſt apud Lucam de angelo Dominum confortante, eiuſque ſudore ſanguineo *& in græcis & in latinis codicibus complurimis non reperiri* teſtatur Hilarius medio libro decimo de Trinitate. *Ambigit igitur, vtrum hoc in libris variis aut deſit, aut ſuperfluum ſit: incertum enim*, inquit, *hoc nobis relinquitur de diuerſitate librorum.* De quâ etiam, quod hunc locum attinet, Hieronymus dialogo ſecundo contra Pelagianos cap. VI: vbi itidem de varietate lectionis & codicum circa vltima Marci: quæ *in raris*, ait, *ferri euangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus*; & proinde teſtimonium inde ſumtum reijci poſſe exiſtimat, epiſtolâ ad Hedibiam, quæſtione III. Vndecim primos verſus capitis octaui apud Iohannem non habet Syrus interpres, nec exponit Chryſoſtomus; vti neque Nonnus, neque Theophylactus. Similiter inſignis ille in epiſtolâ Iohannis locus,

1 Ioh. 5, 7. *Tres ſunt qui teſtificantur in cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*; non ſolùm deſideratur in paraphraſi Syriacâ, codicibusq; nonnullis manuſcriptis latinis, & præteritur ab interpretibus Oecumenio ac Bedâ, ſed etiã Leo magnus epiſtolâ x, capite quincto, recitans quæ præcedunt & quæ ſequuntur, omiſit. Codex igitur, quo vſus, non habuit. Quod itidem de codice Auguſtini apparet ex eius contra Maximinum Arianum libro III, cap. XXII. *Epiſtolam ad Hebræos Latina conſuetudo inter canoni-*

canonicas scripturas non recipit, ait Hieronymus semel atq; iterum, commentario videlicet ad VI & IIX Iesaiæ capita. Qui scribens ad Dardanum testatur, quemadmodum eo tempore Latini rejectâ hac epistolâ diuersum senserint à Græcis, ita vicissim *Græcorum ecclesias Apocalypsin Iohannis eâdem libertate*, contrà quàm Latini facerent, *non suscepisse*. Hinc igitur Amphilochius Iambis ad Seleucum: Epist. 129.

τινὲς δέ φασι τὴν πρὸς Ἑβραίους νόθον,
οὐκ εὖ λέγοντες. Et mox:
τὴν δ' ἀποκάλυψιν τὴν Ἰωάννου πάλιν
τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δέ γε
νόθον λέγουσι.

Quidam epistolam ad Hebræos notham dicunt, sed perperam. Rursus Apocalypsin Iohannis quidam approbant, plures autem notham pronunciant. Nazianzenus sanè genuinis Scripturis carmine, quo eas recenset, non annumerat: vti nec synodus Laodicena canone vltimo, qui in codice canonum vniuersæ ecclesiæ est CLXIII. Epistolas Iacobi, Iudæ, posteriorem Petri & duas postremas Iohannis multi veteres genuinas negarunt, vti tradunt Eusebius historiæ libro tertio, & Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis. Librum Estheræ prætereunt, nec canonicis accensent Nazianzenus carmine, quod laudauimus; & Melito Sardianus epistolâ ad Onesimum, quæ exstat apud Eusebium historiæ libro IV, cap. XXV. Athanasius quoque in Synopsi & epistolâ ἑορταστικῇ à canonicis separat: quosdam tamen adjungere monet Amphilochius. Hæc ideo comemorauimus, vt appareret, posse librum quemdam canonicum, aut libri particulam in dubium vocari, vel etiam repudiari, saluâ fidei integritate, & saluâ concordiâ eorum, qui fortè sententijs discrepant.

LXXVI. Qui verò Scripturam, vel librum Scripturæ eo, quo diximus, modo per diuinam reuelationem aut adsistentiam confectum esse agnoscit, de veritate illius dubitare nequit, etiamsi sæpe de sensu quorumdam locorum dubitare contingat. Aliud est enim negare enunciati cujusdam Scripturâ contenti veritatem; aliud, negare hunc vel illum eius esse sensum. Dicendum autem cum Augustino: *Si aliquid offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non adsequutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigo.* Idem tractatu XIIX in euangelium Iohannis: *Valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda paruuli sumus, — hanc tenentes regulam sanitatis, vt quod secundum fidem, quâ imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus: quod autem secundam sanam fidei regulam intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus; hoc est, vt etiamsi quid nescimus, bonum tamen & verum esse minimè dubitemus.* Neque existimandum est articulum fidei negari ab eo, qui ejusmodi articulum hoc vel illo dicto contineri aut euinci posse negauerit. Manifestum itaque cum fide & caritate dubia & dissensum, quod interpretationem locorum Scripturæ attinet, consistere posse. Voluit enim Deus, vt idem obseruat Augustinus, Scripturam alicubi obscuram esse difficilemque intellectu, *ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumq; vilescunt. — Magnificè igitur,* inquit, *& salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret.* Et Isidorus de summo bono libro I, cap. XIIX: *Ne de obscuris desperatio fiat, ea quæ manifesta sunt satiant; & ne de intellectis fastidium existat, ea quæ clausa sunt desiderium*

Epist. 19.

2 de doct. Christ. c. 6.

derium excitant. Et bene Gregorius Magnus homiliâ XVII super Iezechielem; *Scriptura quidem tota propter nos scripta est, sed non tota intelligitur à nobis. Multa quippe in illâ aperta sunt, vt pascant paruulos; quædam verò obscurioribus sententiis, vt exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta plus grata sint. Nonnulla autem ita in eâ clausa sunt, vt dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostræ cæcitatis, ad humilitatem magis quàm ad intelligentiam proficiamus.* Eidem Scriptura *est quasi fluuius planus & altus; in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Præfat. in Moral. c. 4.

LXXVII. Quoniam Scriptura apertis imbecilliores pascit, obscuris robustiores exercet, ideo ex eius lectione quiuis, cui legendi copia, vtilitatem & fructum eximium poterit reportare: Quòd igitur arceantur, qui legere possent & vellent, nouus est error, & noua tyrannis, priscis & melioribus seculis inaudita. Pastoribus autem, & quibus alios docendi & regendi cura est concredita, ex officio incumbit, vt Scripturam cognitam habeant, & quantum muneri obeundo satis sit, intelligant. Hinc etiam hodie juxta Pontificale Romanum Episcopus consecrandus interrogatur, *si omnem prudentiam suam, quantum ei capax sit natura, diuinæ Scripturæ sensibus accommodare velit.* Et mox, *Vis ea, quæ ex diuinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis?* Quando capiti eius bifida siue bicornis mitra imponitur, id fieri dicitur, *quatenus armato capite, cornibus vtriusq; Testamenti terribilis appareat aduersariis veritatis.* Nemini tamen Deus imposuit onus vel obligationem intelligendi siue penetrandi, quidquid Scripturâ continetur, vel singulorum ejus dictorum certum & indubitatum sensum reddendi. Quin multorum interpretatio incerta & ambigua, quamdiu hic erit mundus,

 & per

& per ſpeculum ac ænigma videbimus, manebit. Quid alios dicere non oportebit, quum dixerit magnus Augustinus, *Non ſolum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, ſed etiam in ipſis Sanctis ſcripturis multò neſcio plura, quàm ſcio?* Et epiſtolâ ad Voluſianum; *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ vſq; ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tantâ in eis perueniatur difficultate, ſed quum quiſq; ibi fidem tenuerit, ſine quâ piè rectèq; non viuitur, tam multa, tamq; multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaq; non ſolùm in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet, Quum conſummauerit homo, tunc incipiet.* Nos his hactenus declaratum imus, quòd multorum locorum Scripturæ indubitatus ſenſus abſque detrimento ſalutis humanæ ignoretur, & quòd tum interpretationem talium, tum quæſtiones plurimas, quæ circa res Scripturis traditas moueri ſolent aut poſſunt, in medio & indeciſas vſque ad finem ſeculi relinqui oporteat.

Epiſt. 119, cap. vlt.

Epiſt. 3.

Sirac, 18,6.

LXXIIX. Idem affirmamus quod ea attinet, quæ Conſequentia fidem ſuperiùs appellauimus, quæ ſunt articulorum fidem conſtituentium corollaria & appendices quædam. Non ſunt tamen vnius generis, & proinde opus diſtinctione. Obſeruandum autem fuerit, eos qui Chriſtiani audire cupiunt, & articulum quemdam fidei nihilominus expreſsè & directè negant, hæreticos eſſe, & quidem propriè & in rigore hæreticos. Si ob defectum inſtitutionis ſimpliciter neſciant, haberi poterunt

runt tamquam catechumeni & imperfecti Christiani. Sed si propositum & eatenus non incognitum positiuè negent, id est, tamquam falsum reijciant, hæretici fuerint. Loquimur autem de articulis fidei secundum substantiam suam acceptis, & quatenus cuiuis adulto rationis vsum habenti sunt ad salutem creditu necessarij. Quamuis enim judicium de hominis Christum professi damnatione nemo sibi temerè arrogare debeat; videtur tamen de eo, qui articulum fidei illo, quo diximus, pacto negauerit, in sequiorem partem sine temeritate pronunciari posse. Sicut etiam potest de homine Christianum se gerente, qui tamen palàm impiè viuat. Apostolus sanè hæreses inter opera carnis, quæ regno Dei excludant, numerat Gal. vi, 20. Quod inprimis de eo hæreseos genere, quale descripsimus, capiendum.

XXC. Huic proximum est, si quis non quidem articulum quemdam fidei disertè neget, ea tamen neget aut ponat, è quibus per pronam & certam consequentiam articulus euertatur. Sit in exemplum, si quis, quòd non legatur in Scripturâ Christus risisse, neget *Christum esse risibilem*: existimans fortè aut risibilitatem necessariò & per se non consequi humanam naturam, vt hac positâ eam quoque necesse sit poni; aut diuinâ potentiâ ab humanitate Christi fuisse remotam. In promtu quidem est argumentari; *Omnis verus homo est risibilis. Christus non est risibilis. Ergo non est verus homo.* Argumentum est validum, & consequentia firma. Noster autem, qualem ponimus, articulo, *quòd Christus verus sit homo*, firmiter adhæret & adsentitur. Interim non animaduertit aut intelligit, opinionem suam simul cum articulo non consistere, siue alterum ab altero euerti. Id enim si videret & intelligeret, vtrumque simul non amplecteretur.

tur, sed aut errorem suum missum faceret, aut ex affectu erga suam opinionem, quod nonnullis contingit, articulum fundamentalem ei postponeret, & expresse negaret, atque ita verus hæreticus euaderet. Quamdiu autem fundamentum retinet, & firmo adsensu amplectitur, æternam damnationem homini intentare nolim. Malim mansuetè errorem ob oculos statuere; monere, docere, à nouitate deterrere. Pono enim hominem solo errore intellectus abripi: à malitiâ, ambitione, pertinaciâ immunem esse; neque, si conuictus fuerit, modo vim argumentorum adsequi possit, contra quam demonstrari & euinci intellexerit, siue reclamante conscientiâ suâ, quidquam adserturum aut defensurum. Lubens tamen fateor, quamdiu errore tali laborat, ad officium docendi in ecclesiâ admitti non posse. Quamuis enim articulum secundum substantiam, & quatenus cuiuis ad salutem creditu est necessarius, teneat; in eo tamen explicando (explicare autem doctoris est officium) aberrat. Hoc in exemplum ita prolatum esto.

XXCI, Affine videri queat, quod de Aphthartodocetis memorat Nicephorus. *Quorum ista*, inquit, *fuere verba: Nos quidem per necessitatem naturæ, affectiones eius, famem scilicet & sitim & reliquas circumferimus. Christus verò, vtpote qui sponte suâ passus sit, non itidem atq; nos naturæ legibus subseruit.* Bene, quòd passum esse Christum fatentur. De iisdem Euthymius Panopliæ titulo XVI: *Dominum quidem molestias & cruciatus pertulisse dicunt, vt famem, & sitim, & lassitudinem, & reliqua; non tamen eodem, quo nos, modo ea pertulisse. Nos enim, inquiunt, naturali necessitate perferimus: Christus autem sponte cuncta sustinuit. Non enim naturæ legibus erat obnoxius.* Eadem iis tribuit Damascenus libro de hæresibus. Ortum duxerunt, vt ex his ipsis

Lib.17.c.29

aucto-

auctoribus intelligimus, ab Eutychianis. Breuiter tangit Iſidorus Originum libro IIX, cap. VI. Pluribus autem exponit Liberatus Breuiarij cap. IX. Venerant Alexandriam ad Timotheum epiſcopum, amicum & ὁμόψηφοι, Seuerus Antiochenus & Iulianus Halicarnaſſæus Eutychiana labe infecti, & proinde ſedibus ſuis extorres. Mota eſt à monacho quodam quæſtio, num corpus Domini ante paſſionem fuiſſet corruptibile, id eſt, paſſionibus ſecundum naturam, vt alia humana corpora, obnoxium, vel incorruptibile; φθαρτὸν vel ἄφθαρτον. Seuerus, parum congrue ſuis hypotheſibus, reſpondit, fuiſſe corruptibile, Iulianus incorruptibile. *Horum itaque ſinguli ſtatuere* ſiue ſtabilire *reſponſum proprium volentes ſcripſerunt libros aduerſus alterutrum. Qui venientes in multitudinem ciuitatis eccleſiam illam diuiſerunt: & alios quidem fecerunt Corrupticolas* (Phthartolatras) *appellari, verùm incorruptibilis atis adſertores, Phantaſiaſtas*, quaſi ſcilicet docerent, Chriſtum non verè fuiſſe paſſum, ſed ſaltem paſſionis φάντασμα ſiue ſpeciem præ ſe tuliſſe. Seueri ſententiam ſequutus eſt Timotheus ipſe Alexandrinus; Iuliani verò Gaianus, qui Timotheo ſucceſſit, ſed non ſine ſchiſmate, oppoſito ei Theodoſio, qui cum Seuero faceret; vnde exorta nomina Gaianitarum & Theodoſianorum.

XXCII. Cæterùm non apud ſolos Eutychianos ſe continuit opinio ἀφθαρσίας, ſed ad ipſos quoque orthodoxos diffudit, vt intelligere eſt ex initio ſecundi librorum, quos contra Neſtorianos & Eutychianos ſcripſit Leontius Byzantinus. *Hæc eſt*, ait Nicephorus, *hæreſis Aphthartodocetarum, quâ multi mortales ſunt correpti, non ſolùm ex his qui honores & magiſtratus geſſerunt, ſed etiam hierarchæ primarij, & monachi vitâ illuſtres, & ex ſacerdotali ordine alij, atq; adeo ipſe etiam Imperator Iuſtinianus. Et is plurimùm*

rimùm opinioni ei inhæsit, non quidem ille altiùs dogma tale inuestigans, verùm verbi ipsius significationi acriùs insistens, videlicet qui haut quaquam tale quiddam de Christo, propter summum ipsius ergo illum amorem & desiderium, audire constituerit. Princeps etenim iste tanto in Christum pietatis ardore flagrasse, ab eis qui res illius memoriæ posteritatis mandarunt, dicitur, quanto alius, qui ante eum imperium obtinuerit, nemo, ter maximo illo Constantino semper excepto. Nempe existimauit sine dubio, ad dignitatem siue sublimitatem personalis vnionis pertinere, vt caro deitati vnita non relinquatur obnoxia imbecillitatibus naturæ, sed supra communem conditionem eleuetur, & sicut ab animâ per visionem diuinam beatâ in corpus, ita multò magis à deitate personaliter vnitâ in humanitatem redundet immunitas perpessionum, siue dos ἀφθαρσίας, quâ tamen ante resurrectionem suam non sit vsus Dominus, atque adeo liberrimè suaque sponte passus. Hinc Aphthartodoceta apud Leontium, *Vehementer*, inquit, *magnum mysterium vnionis turbat, si Verbum non dedit corpori suo à principio, vt esset incorruptibile, sed æquè atq; nobis ipsis ei in posterum hoc reseruauit.* Quum autem antagonista de somno, manducatione, lassitudine, & similibus obijceret, & diceret, *Numquam dices phantasiam ista fuisse, id est, inane visum; Numquam, inquit ille, sic insanus ero: verè siquidem hæc accidebant, sed volente Verbo & permittente carni.*

XXCIII. Si Nicephoro fides, Iustinianus errorem suum edicto confirmauit, & Eutychium Constantinopolitanum in exilium ejecit, eiecturus etiam Anastasium Antiochenum, (dictum Sinaitam, cujus exstat ὁδηγὸς contra Acephalos, & nonnulla scripta alia) errori seriò resistentem, nisi morte præuentus decessisset, ante quam tamen Eutychium reuocari jusserit. De edicto & Ana-

& Anastasio eadem habet Euagrius, quem exscripsit & sequutus est Nicephorus, mitiore tamen censurâ & judicio, quàm reperit apud Euagrium, juxta cujus sententiam Iustinianus ἀπαξάπαντα ταράχου καὶ θορύβων πληρώσας, καὶ τἀπίχειρα τούτων πρὸς τῷ τέρματι τοῦ βίου κομιζάμενος, ἐς τὰ κατώτατα μετεχώρησε δικαιοτήρια. Interpres Christophorsonus Euagrij acerbitatem vertendo adauxit. *Quum*, inquit, *omnia omnino turbâ ac tumultu compleuisset, mercedemq; his rebus debitam in extremo vitæ suæ tempore reportasset, ad supplicia iusto Dei iudicio apud inferos luenda profectus est.* At Nicephorus sperat, *si quid in eo desideratum, id infinitâ Dei misericordiâ restrictum & contectum iri:* memoratque, quomodo memoria eius Constantinopoli & Ephesi celebretur; & quod in præfatione sextæ synodi Patres honorifice de eo loquantur. Intelligit autem synodum πενθέκτην Trullanam, in cujus procemio synodus œcumenica quincta celebrata dicitur ἐπὶ τῶν χρόνων Ἰουστινιανοῦ τοῦ τῆς θείας λήξεως, *temporibus Iustiniani diuinæ quietis*; vel diuinâ quiete seu hereditate potiti. Baronius tamen Iustiniano vbique infestus Euagrio accedere mauult, quàm Nicephoro: etiamsi aliter judicent Romani Pontifices. Gregorius enim magnus libro III, epistolâ IV: *Dicunt piæ memoriæ Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem synodum fuisse constituta. — Nos teste conscientiâ fatemur, de fide eiusdem sancti Chalcedonensis concilij nihil motum, nihil esse violatum: sed quidquid prædicti Iustiniani temporibus actum est, ita actum est, vt fides Chalcedonensis concilij in nullo vexaretur.* Agatho epistolâ ad Imperatores Constantinum, Heraclium & Tiberium: *Aemulator veræ & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Iustinianus Augustus, cuius fidei rectitudo, quantum pro sincerâ confessione Deo placuit, tantum remp. Christianam exaltauit. Et vtiq; ab omnibus*

Lib. 4 sub finem.

Lib. 5. c. 1.

Lib.17, c.31

An.565. §6.

gentibus eius religiosa memoria veneratione digna censetur, cuius fidei rectitudo per augustissima eius edicta in toto orbe diffusa laudatur. Et alia epistolâ, quæ è synodo Romana ad œcumenicam sextam scripta, & à cxxv latinis episcopis subscripta: *Magni illius Iustiniani vt virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem restaurauit.* Exstat vtraque hæc Agathonis epistola actione quarta œcumenicæ synodi sextæ. Non crediderunt igitur eorum temporum Romani pontifices, nec episcopi siue orientales siue occidentales, Iustiniani errorem, qui vtique non poterat eis esse incognitus, fuisse capitalem, aut ipsum propterea ad supplicia justo Dei judicio apud inferos luenda profectum.

XXCIV. Plurima ejusmodi in exemplum proferri possent, nisi tædium foret iis immorari. De errore Monotheletarum idem fere posset dici. Quòd si quis dixerit, vnam vtriusque naturæ esse voluntatem, & non de facultate volendi, sed de actu, & quidem completo, intellexerit, hoc sensu, quòd velit humana, quidquid diuina, atq; ita prorsus ad objectũ volitum volendo terminetur, quemadmodum diuina: si quis, inquam, hoc pacto intellexerit, à vero non aberrauerit, Sed si de facultate volendi accipiatur, promtum fuerit argumentari; Vbi non est voluntas humana, ibi non est humana natura. Sed in Christo &c. Quid autem, si qui eo errore tenetur, non intelligat voluntatem ad essentiam vel integritatem humanitatis pertinere, & existimet hanc absque illâ posse esse perfectam? Sanè non obstante suo illo errore credet Christum integrum & perfectum esse hominem.

XXCV. Præfatione ad Serenissimum Princi- Augustum loquuti sumus, & vsi exemplo, quemadmodum

dum hîc repetimus. Verum quidem est, nonnullos dum intimiora mysteriorum rimantur, & operosiorem vel accuratiorem explicationem modiq; determinationem moliuntur, impingere, quin nonnumquam adeo infeliciter eâ in re versari, vt doctrinam, quam illustrare conabantur, non modò obscurent & inuoluant, sed euertant. Ab initio ecclesiæ apud omnes Christianos ex Scripturis certum fuit, per Adami peccatum esse factum, vt omnes, qui ex ipso per viri & fœminæ copulam nascuntur, peccato & damnationi nascantur obnoxij: nec hinc, nisi per Dei gratiam & Christi meritum liberari posse. Cœpit temporibus Augustini occasione controuersiæ Pelagianæ inquiri, in quonam propriè peccatum illud ab Adamo tractum consistat. Itum est ab aliis atque aliis in diuersas tum sententias, tum loquendi formulas. Patrum autem memoriâ exortus est, qui diceret, peccatum illud esse ipsam hominis ab Adamo descendentis naturam & substantiam. Hac verò positâ siue explicatione siue definitione, peccatum illud nullum fuerit: si sit, dicere oportebit, aut Deum peccati esse caussam, aut aliud rerum præter Deum independens dari principium. Improba profectò declaratio, quæ siue rem declarandam è medio tollit, siue tanta parit absurda. Auctor tamen opinionis ex eâ talia necessariò conse-

qui non vidit aut intellexit. Quod si vidisset aut intellexisset, missam sine dubio fecisset. Non est igitur accusandus, quasi docuerit peccatum originis non esse verum peccatum, quod ipse in immensum potiùs exaggeratum ibat; aut quòd Deum peccati auctorem statuerit, duóve summa rerum principia esse crediderit: à quibus omnibus seriò abhorruit. Docuit tamen, è quo ista necessariò fluunt & deducuntur, & per pronam quidem facilemque consequentiam. Et hæc igitur & aliæ similes opiniones ab ecclesiâ meritò arcentur, & exulare jubentur, ne per eas ad euertenda & abneganda præcipua fidei dogmata, quod procliue admodum, homines inducantur: etiamsi auctores & adsertores earum, cætera bene sentientes & credentes, æterno exitio adjudicare non ausim, modò errorem per ignorantiam amplexi retineant, non ob animi improbitatem, pertinaciam & superbiam, aut quòd suum emolumentum vel existimationem diuinę glorię & veritati anteponant, sed quòd melioris sententiæ non sint capaces. Hæc ibi.

XXCVI. His nunc addimus, quò vicinior est error euersioni fundamenti, siue quò proniùs promtiúsque & per pauciores & euidentiores consequentias à posito errore ad euertendum fundamentum iri potest, eò quoque periculosiorem illum esse, & magis vitandum. Quamquam itaque qui eiusmodi errorem per

meram

meram ignorantiam & ſine malitiâ errauerit, propter eum gehennæ non fuerit adjudicandus; non tamen poterit admitti ad munus docendi in eccleſiâ, certè vt errorem ſuum diſſeminet aut doceat, concedi ei non debet, nempe propter periculum, quod diximus, ab admiſſo illo errore ad euertendum fundamentum, quò via ducit, & quidem prona, pergendi. Quamuis enim ipſe, de quo agitur, eò non progrediatur; viam tamen munit, quâ ne progrediantur alij, meritò metuitur. Hujuſmodi igitur errores itidem hæreſes appellantur, etiamſi alio modo hæreſes ſint, quàm quæ articulum quemdam fundamentalem directâ contradictione ſiue negatione immediatè euertunt. Opponuntur enim articulo neque ſecundum mentem & intentionem hominis, neque per im̃ediatam formalem contradictionem, ſed mediante conſequentiâ, quam tamen ille, vt hîc ſe habere ponimus, non capit aut admittit. Si verò à theſi quapiam, quæ erronea exiſtimatur ad euerſionem articuli per longas ambages, varias videlicet & multas conſequentias eundum ſit, tum quòminus eſt periculi, eò quoque minus opinio illa hæreſeos notam meretur; præſertim ſi inter eas, quas diximus, conſequentias incertæ quædam ſint & ambiguæ: minimè omnium verò, ſi quomodo theſis controuerſa articulum fidei tangat aut concernat, vix aut ne vix quidem poſſit animaduerti. Non eſt recens vitium, crimen hæreſeos immerentibus impingere. Philaſtrius Brixienſis primus inter Latinos peculiarem librum enumeratis hæreſibus impleuit. Ei verò hæreſis eſt, terræ motum à cauſſis naturalibus deriuare; *Cometas & Pogonias, & Hyadas, Hados & talia nomina* admittere, *quum Scriptura pauca nomina ſiderum nobis dixerit*; dies à planetis appellare; duodecim ſigna Zodiaci,

Hær. 101; 102; 111; 119; 129; 126; 128; 147 & ſeqq.

Zodiaci, & stellas fixas ponere; Psalterij omnes psalmos Dauidi non tribuere; verba Caini Gen. IV, 14; Zachariæ de funiculo mensorio; Iesaiæ de Cherubin & Seraphin, & labiis carbone tactis non recte intelligere, aut per commodam allegoriam explicare. Atque vtinam numquam essent mota, quorum determinatio æque siue superflua, siue incerta.

XXCVII. Cæterùm constat, priscos Patres in illis primis synodis & symbolis siue confessionibus concepisse & edidisse formulas loquendi, αὐτολεξεὶ in Scriptura non expressas, quibus tamen summa fidei nostræ mysteria ita efferuntur & explicantur, vt contra hæreticos veritas dilucidè proponatur, & eorum amphiboliæ, quibus se occultare, vel incautos decipere consueuerant, elidantur. Quid itaque de eiusmodi antiquis symbolorum & confessionum formulis statuendum? Respondeo, idiotis & hominibus e vulgo necessitatem nullam incumbere, vt cognitas habeant, aut intelligant: ad eruditos & docendi officium in ecclesiâ obeuntes idipsum pertinere. Nihil autem illis secundum rem & substantiam dogmatis aliud priscos Patres adstruxisse aut docuisse, quàm quod Sacrâ Scripturâ & symbolo Apostolico continetur. Bene Augustinus tractatu XCVII in euangelium Iohannis: *Aduersus impietatem Arianorum hæreticorum nouum nomen PATRI HOMOVSION condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt: hoc enim vocatur Homousion, quod est, Ego & Pater* Ioh. 10, 30. *vnum sumus.* Et Ambrosius libro tertio de fide ad Gratianum, cap. VII: *Quid est aliud, cur Ariani homousion Patri nolint Filium dici, nisi quia nolunt verum Dei filium confiteri? sicut auctor ipsorum Eusebius Nicomediensis epistolâ suâ prodidit, dicens, Si verum Dei filium & increatum dicimus, homousion*

cum

cum Patre incipimus confiteri. Hac quum lecta esset epistola in concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, quod id viderunt aduersariis esse formidini, vt tamquam euaginato ab ipsis gladio ipsorum nefandæ caput heresis amputarent. Item Hilarius libro de synodis aduersus Arianos, paullò ante finem: *Displicet cuiquam in synodo Nicanâ Homousion esse susceptum? Hoc si cui displicet, necesse est placeat, quòd ab Arianis sit negatum. Negatum enim idcirco est Homousion, ne ex substantia Dei Patris Deus Filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus prædicaretur.* Idem igitur est credere Christum Deo Patri ὁμοούσιον, quod est credere verum Deum & vnigenitum Dei Patris filium. Idem, inquam, est secundum rem, quamuis formula efferendi sit diuersa.

XXCIIX. Quid autem, si quis rem teneat & admittat, formulam tamen eam non saltem ignoret, sed propositam & inculcatam admittere nolit, ac rejiciat? Respondeo, si quis, quid ea sibi velit aut significet, intelligat, non potest eam non admittere, modo sua sibi mente constet: quandoquidem, vt diximus, in re omnino idem est *Patri esse ὁμοούσιον, & vnigenitum esse Dei Patris filium ac verum Deum.* Si autem vim & sensum vocabuli per mentis imbecillitatem adsequi nequeat, aut quid aliud, quàm quod diximus, eo significari persuasus sit, & proinde admittere ipsum renuat; fundamentum nihilominus tenet, & propterea inferno hominem addicere equidem nec velim, nec ausim. Memorat Rufinus, quòd in Ariminensi synodo *Orientales, callidi homines & versuti, simplices & imperitos Occidentalium sacerdotes circumuenerint, hoc modo proponendo eis, Quem magis colere & adorare vellent, Homousion an Christum? Illisq; inquit, virtutem verbi, quid ὁμοούσιον significaret, ignorantibus, velut in fastidium* Lib. 1 hist. eccl. c. 21.

quod-

quoddam & exsecrationem sermo deductus est, Christo se credere, non Homousio, confirmantibus. Sic multorum (præter paucos, qui scientes prolapsi sunt) animi decepti contra ea, quæ Patres apud Nicæam conscripserant, venientes, ὁμοούσιον, quasi ignotum & à Scripturis alienum sermonem, auferri de fidei expositione decernunt. Interim haut inuitus largior, eiusmodi siue rudes & tardos, siue scrupulosos homines ad docendum in ecclesiâ nec idoneos esse, nec admitti hodie posse, nec permitti debere, vt opinione suâ divulgatâ vel defensâ alios turbent, siue quæ bene constituta sunt, & stabilita vniuersæ ecclesiæ tot seculorum vnanimi consensu (cui se opponere alioquin magnæ temeritatis & arrogantiæ fuerit, & excusari, nisi fortè per mentis & judicij inopiam, vix possit) in dubium vocent aut conuellant.

XXCIX. Sicut autem Nicæna synodus, quum pronunciauit Iesum Christum γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, nihil aliud docuit, quàm esse vnigenitum Dei filium & verum Deum; ita quoque Constantinopolitana nihil aliud voluit, quàm Spiritum sanctum esse Deum, quum profitetur se credere εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον. Neque Ephesina synodus, quum contra Nestorianam diuulsionem affirmat beatissimam virginem matrem esse θεοτόκον, & Verbum Dei Patris carni καθ᾽ ὑπόστασιν vniri; neque Chalcedonensis, quum aduersus Eutychianam confusionem prædicat ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, *vnum & eumdem Iesum Christum, in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè, inseparabiliter manifesta-*

nifestatum, nequaquam discrimine naturarum propter vnionem sublato, sed potius vtriusq; naturæ, in vnam personam & vnam hypostasin concurrentis, proprietate seruatâ; aliud quidquam docent, quàm vnum & eumdem Iesum Christum Dei esse filium & hominis filium, atque adeo verum Deum & verum hominem. Primæ igitur & priscæ synodi, etiamsi formulis & vocabulis ἀγϱάφοις vtantur, nihil tamen aliud proponunt aut inculcant, quàm quod secundum rem ipsam & dogmatis substantiam Scripturâ vel symbolo Apostolico continetur: aut certè quod ita se habet, vt articulo juxta Scripturam & symbolum posito ipsum quoq; poni oporteat, vel si id negetur, itidem articulum negari necesse sit, duce vtrobique certâ & manifestâ consequentiâ. Nam, vt præclare docet Vincentius Lerinensis, *Christi ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in ijs vmquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua. — Denique, quid vmquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur*, citra metum hæreticæ versutiæ, *hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius prædicabatur*, quum videlicet nullum esset ab hæretica peruersitate periculum, *hoc idem postea instantiùs prædicaretur, quod anteà securiùs colebatur, hoc idem postea sollicitiùs excoleretur.* Cap. 32.

XC. Credenda igitur, quæ saluificam fidem constituunt, successu temporum vel additamentis posteriorum non multiplicantur aut crescunt. In quam sententiam Tertullianus libro de præscriptionibus, cap. VI: *Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus*

adsignauerunt. Et cap. VII: *Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post euangelium. Quum credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus.* Iungimus Romanum pontificem Celestinum, cujus ad Ephesinam synodum epistola, quæ in editione Peltani tomo secundo, cap. IV legitur, hæc sunt verba: *Fidei dogmata à Patribus tradita pro virili propugnare debemus. Quibus quoque, iubente Apostolo, nullam nouam doctrinam adiungere fas fuerit, sed traditam simpliciter conseruare.* Et alia ad ipsum Nestorium, quam Annalibus suis inseruit Baronius: *Quis vmquam non dignus est anathemate iudicatus, vel adjiciens vel detrahens fidei? Plene iterum ac manifeste tradita ab Apostolis nobis nec augmentum nec imminutionem requirunt. Legimus in libris nostris, non addi debere, non detrahi: magna quidem & addentem & detrahentem pœna constringit.* Hinc Iohannes Maxentius Libello fidei, cap. primo: *Catholicam fidem augmentum aliquod posse recipere, improbum est credere.*

Anno 430, num. 17.

Deut. 4, 2. 12, 32.

XCI. Audiamus etiam obiter aliquos Scholasticos. Thomas in Quartum dist. XVII, quæst. III, art. I, qu. V; vnde translata in Supplementum quæst. VI, art. VI: *Ministri ecclesiæ instituuntur in Ecclesiâ diuinitus fundatâ, & ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ: & quia Ecclesia fundatur in fide & in sacramentis, ideo ad ministros ecclesiæ nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua sacramenta instituere, aut instituta remouere, non pertinet: sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.* Guilielmus Occam Dialogi parte primâ, libro II, cap. XII: *Sicut quantum ad ea, quæ spectant ad fidem nostram, & nequaquam ex voluntate humanâ dependent, non potest Summus pontifex, nec etiam tota Ecclesia*

Dei

test de assertione non-verâ facere veram, nec de assertione non-falsâ facere falsam: ita non potest de assertione non-catholicâ facere catholicam, nec de assertione non-hæreticâ facere hæreticam: & ideo non potest nouum articulum fidei facere, nec de non-hæresi potest facere hæresin quocunque modo. quia sicut veritates catholicæ absque omni approbatione Ecclesiæ ex naturâ rei sunt immutabiles, & immutabiliter vera, ita immutabiliter sunt catholicæ reputandæ: & consimiliter sicut hæreses absque omni damnatione Ecclesiæ sunt falsæ, ita absque omni damnatione Ecclesiæ sunt hæreses. Repetit & exscribit Biel in Tertium, dist. xxv, quæst. vn, art. 111, dubio 111. Thomas VValdensis Doctrinalis fidei libro 11, cap. xx11: *Quomodo possit articulus post tot annos suscitatus esse catholicus, id est vniversalis, quum Patribus nostris iam lapsis annis mille & quadringentis superfuit ignotus; non creditus, quia inauditus? Talis ergo articulus etsi posset esse fidelis* siue verus, *non tamen esset catholicus,* vel ad salutem necessarius. *Declarauit ergo Nicænum concilium antiquum consubstantialitatis articulum, non autem creauit nouum. Et ita datur adhuc sacris conciliis episcoporum & doctoribus (maximè denunciante sede Romanâ) contra insurgentes hæreses fidem antiquam effodere, quali per seriem sanctorum Patrum vsque ad ipsos Apostolos fidei fundatores excurrat, non sauciata, non læsa; quæ in dubio ad omne dubium amputandum auctoritatem habet grauissimam. Si autem ab ipsis Apostolis per seriem sanctorum Patrum non habet egressum, tardè volet in posteris esse fides. — Non ergo existimo tutum, quòd fideles credant seris magistris VVicleuisticis, & Hussitis in traditionibus articulorum nouorum, imò nec quorumcunque, qui non ab ipsis Apostolis fidem illam inceptam doceant, & per Ecclesiæ Patres traductam in formâ fidei veræ, probent. Iohannes inde ait: Quod audistis ab* 1 Ioh. 2, 24.
initio, in vobis maneat. Vbi in illam canonicam BEDA, Illam (inquit) fidem, illa dogmata toto corde sectamini, quæ à primis

 ecclesiæ

eccleſiæ naſcentis temporibus, Apoſtolorum voce percepiſtis. Ipſa enim ſunt ſola, quæ nos diuinæ gratiæ participes reddant. Hæc ex Beda VValdenſis.

XCII. E recentioribus Andreas Vega libro primo de Iuſtificatione cap. VI: *Numquam Patres ſibi in Conciliis vſurparunt auctoritatem faciendi catholicas veritates aliquas, quæ non eſſent catholicæ. Hæc enim auctoritas diuinæ eſt Dei, & habentium ſpiritum propheticum.* Melchior Canus de Locis Theologicis libro XII, cap. III: *Nec Concilia, nec ſedis Apoſtolicæ Pontifex, nec ſancti Scripturarum interpretes nouas fidelibus reuelationes edunt, ſed quas ab Apoſtolis accepit Eccleſia, vt poſteris integras & illibatas tradant, aut illas exprimunt & interpretantur, aut certè conſequentia & connexa colligunt, aduerſa & repugnantia manifeſtant.* Guilielmus Eſtius in Quartum, diſt. XXIII, num. III: *Sicut in poteſtate Petri aut Iacobi non fuit condere nouum articulum fidei, ita ad eorum poteſtatem non pertinuit noui ſacramenti inſtitutio.*
Num. 50. Suarezium ſuperiùs audiuimus docere, *expoſitionem ab eccleſiâ factam per explicationem nouæ propoſitionis in antiquâ aliquâ contentæ numquam eſſe nouum articulum, quia non pertinet ad materiam veluti ſubſtantialem fidei explicitè ab omnibus credendam, quæ ſufficienter in ſymbolo explicata; ſed pertinere ad doctrinam fidei, quam oporteat ſciri à doctoribus eccleſiæ iuxta temporũ varietatem vel neceſſitatem.* Hoc ipſum eſt, quod nos quoq; dicimus; nempe Apoſtolico ſymbolo contineri omnia credenda, quæ cuiuis ad ſalutem neceſſaria; à ſynodis in vſum doctiorum & doctorum proponi, quæ ad hæc ipſa preſſius explicanda, & ad oppoſitas hæreſes, ſiue validè proſternendas, ſiue accuratè euitandas, faciant. Repetitur, inquam, idem, quod habet articulus, verbis hæreticos directè ferientibus; aut certè vel ponitur vel reijcitur, quod poſito articulo ſiue poni ſiue reijci

ſici res ipſa per neceſſariam & euidentem conſequenti-
am euincit.

XCIII. Agnoſcenda autem eſt & prædicanda, ſi-
cut in omnibus aliis, ita potiſſimùm in hiſce, quæ ad ho-
minum ſalutem & eccleſiæ informationem faciunt, ſin-
gularis Dei prouidentia. Sunt enim religionis noſtræ
Chriſtianæ duo præcipua myſteria, nempe Trinitatis, &
Incarnationis ſiue Vnionis perſonalis duarum in Chri-
ſto naturarum; quorum fide non modò à gentilibus,
ſed à Iudæis quoque & Muhammedanis diſcernimur.
Quum igitur hæc duo omnium ſumma ſint & Chriſtia-
nis quaſi propria myſteria, quorum prius ad θεολογίαν,
poſterius ad οἰκονομίαν veteres retulerunt; ſi vtrumq; ab
improbitate hæretica vindicetur & dextrè explicetur,
maximæ difficultates jam ſuperatæ erunt, cum quibus,
ſi quæ aliæ ſuperfuerint, comparari neutiquam pote-
runt. Fecit itaque, qui omnia ſapientiſſimè gubernat,
& ad ſui nominis gloriam, ſuæque eccleſiæ emolumen-
tum dirigit, vt priuſquam diſcerperetur Romanum im-
perium, & eruditionem barbaries opprimeret, & priuſ-
quam ipſæ orientis & occidentis eccleſiæ implacabili
ſchiſmate diuellerentur; fecit, inquam, vt imperium
Chriſtianis Imperatoribus ſubderetur, & fecit vt, quum
res imperij adhuc vtcunque integræ, & eccleſiæ vnitæ
eſſent, haberentur per iſtam opportunitatem prima illa
& celeberrima œcumenica concilia, à quibus vtrumq;
myſterium, et quæ cùm ad θεολογίαν tum ad οἰκονομίαν per-
tinent, per luculentas formulas accuratè exponeren-
tur, in vſum non tam vulgi quàm doctorum, & quidem
totius poſt futuræ eccleſiæ, & informationem vniuerſæ
poſteritatis, variis poſtilla caſibus & euentibus expo-
nendæ, & nunquam parem opportunitatem & paria

concilia habituræ. Nos etiam his acquiescamus, Dei prouidentiam & benignitatem laudemus, & medendis ecclesiæ miserè afflictæ & distractæ vulneribus inuigilemus. Atque ita quidem præcipuis Christianæ fidei articulis, horumque explicationi prospectum. Quum Pelagius & adseclæ peccatum originis & necessitatem gratiæ impugnarent, per Mileuitanam, & deinceps Arausicanam synodum his quoque dogmatibus, quantum satis esse queat, consultum. Quin non nemini videri possit, post tot emensa secula vix vllam alicujus momenti moueri posse quæstionem, de quâ non pridem in communem quamdam sententiam pij & eruditi conuenerint.

XCIV. Vnum adhuc addo, si de dogmate conueniat, quatenus verbis communibus vsuque quotidiano receptis, & à quouis intelligi aptis effertur; non autem conueniat, quatenus idem per terminos scholæ & solis eruditis vsitatos proponitur; posteriorem hunc dissensum non posse censeri capitalem, nec satis fore caussæ, quare de ipso fundamento dissidium esse existimetur. Certè quemadmodum dogma populo proponi & à populo credi oportet, ita est consensus; atq; eatenus idipsum omnibus ad salutem sufficit. Terminos disciplinarum & scholæ adhibere & applicare, non est nisi eruditorum. Quos si alij aliter accipiant & accommodent, non propterea turbari debet ecclesia, & abrumpi vnio atq; concordia fidelium. Si dicam, Deus hominum suo crimine & diaboli fraude in peccatum & exitium prolapsorum misertus, misit vnigenitum suum Filium. Ille pro hominibus homo factus, passus & mortuus, resurgens & adscendens in cœlos remissionem peccatorum & æternam vitam iis promeruit. Hoc suum

suiq;

ſuique Filij tantum beneficium Deus per prædicatio-
nem euangelij hominibus facit annunciari & exponi;
Qui ſe peccatores agnoſcunt & dolent, euangelio adſen-
tiuntur, in Filium credunt, & in eius merito ac morte
confidunt, illi Deo reconciliantur, remiſſionem pecca-
torum conſequuntur, è ſtatu iræ & damnationis in ſta-
tum gratiæ & ſalutis transferuntur, in eo permanſuri &
æternæ gloriæ certo futuri participes, ſi ex quo credide-
runt & reconciliati Deo ſunt, obſeruationi mandato-
rum diuinorum operam dederint, ſecundum carnem
non vixerint, & præeunte ac cooperante ope diuinâ à
peccatis contra conſcientiam committendis ſibi caue-
rint. Sic in præſente vitâ juſtificabitur homo, & in fu-
turâ glorificabitur. Si ad hunc, inquam, modum ver-
bis ex communi vſu loquendi depromtis, & à quouis
intelligi facilibus vtar, non poterit de dogmate ita pro-
poſito inter pios & manſuetos Chriſtianos eſſe diſſen-
ſus. Nemo enim quidquam iſtorum ita propoſitorum,
niſi quis forte tetrâ & malitioſâ contendendi & cauil-
landi prurigine laboret, in dubium vocabit. At ſi di-
cam, Hoc eſt cauſſá efficiens principalis; hoc à principa-
li proxima; hoc inſtrumentalis à parte Dei; hoc à parte
hominis; hoc non niſi diſpoſitio; hoc ipſa cauſſa forma-
lis; hoc materialis; hoc neceſſarium per ſe; hoc ex hy-
potheſi: ſi, inquam, ita loqui cœperim, tum facilè con-
tigerit me à nonnullis, vel planè non intelligi, vel aliter
intelligi, quàm ipſe velim, atque adeo controuerſiam
moueri de vſu atque applicatione huiuſmodi termino-
rum; quæ tamen non niſi ſcholaſtica fuerit, nec, ſi de
dogmate popularibus verbis expoſito conuenerit, tan-
ti facienda, vt propter eam vinculum Chriſtianæ cari-
tatis & concordiæ abrumpatur.

XCV.

XCV. Nunc ſubijcio quæ quum Præfatione ſæpius memoratâ eamdem rem tractarem, addidi. Accedit, inquam, quòd priſtina eccleſia, vtut maximè Pontificia, ad hæc proxima vſque tempora, quibus primum Roma per indices ſuos expurgatorios horribili audaciâ lituram imperauit, doceat jubeatque omnes morientes, nemine excepto, *agnoſcere & dolere, ſe Deum multùm offendiſſe; credere verò, ſe non propriis meritis, ſed paßionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute & merito ad gloriam peruenire;* item dicere, *Domine Deus, ego pono mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti inter me & judicium tuum: & quamuis meruerim æternam mortem propter peccata mea, interpono tamen meritum paßionis eiusdem, loco meriti, quod ego miſer deberem habere, & non habeo.* Qui expungunt, rationem facti ſui Deo reddent: ſed vt etiam eccleſiæ reddant, vrgendi erunt. Reliqui fundamentum ſalutis hìc ſaluum integrumque agnoſcamus, Deo gratias eo nomine agamus, nec temerè caritati renunciemus aut hoſtilem animum induamus, ſi fortè genera cauſſarum diſtinguentibus, & quid hic forma, quid materia, quid diſpoſitio, quid inſtrumentum vocari debeat, quærentibus non vſquequaque conueniat. Talia verò quum determinaſſet ſynodus Tridentina, ſubijcit, *Hanc de iuſtificatione doctrinam niſi quisque fideliter firmiterque receperit, iuſtificari non poterit.* Doctrinam fideliter firmiterque recipere eſt, niſi fallor, veram agnoſcere, & ad-

Seſſione 6, cap. 7.

ſenſum

sensum præbere: quod nemo poterit, nisi quid doceatur intelligat. At quæ hic de dispositione, finali, formali, instrumentali caussa docentur, simplices & rudes Christiani, quorum numerus est longe maximus, æquè bene, vt puto, intelligent, ac quod statim sub initium eius explicationis dicitur, *inseruiuisse peccati & potestate diaboli & mortis non modo gentes per vim naturæ, sed ne Iudæos quidem per ipsam etiam literam legis Moysi liberari aut surgere posse*. Cap. 1.

XCVI. Sed ego hic vestri propemodum obliuiscor, Domini Moguntini. Quia scripsi *Romam, Inquisitionem & Indicem expurgatorium lituram imperasse consolatorio illi monito morientium, quo iubentur sperare, se ad gloriam non propriis, sed passionis domini nostri Iesu Christi meritis peruenturos*; ideo nescio quam draconis caudam mihi affingitis. Sectione
Vos autem, adsumto ore draconis, exclamatis, Abomi- 11, num 7[illegible]
nanda calumnia! Quis Papa? quæ Inquisitio? quando? vbi? quis Index? quo folio? quo anno, vbi impressus, horribilem illam lituram imperauit? Notorium calumniatorem meritò Calixtum habebit orbis, donec id monstrauerit. — Mendacium Calixti, quo vt se tueretur, non nisi caussæ desperatæ pessimus indigebat patronus. Videtur mihi de Vobis posse dici, quod de dracone per Cadmum interemto Poeta:

— postquam solitas accessit ad iras
Caussa recens, plenis tumuerunt guttura venis,
Spumaq; pestiferos circumfluit albida rictus.

Ego verò miror, Vos in patriâ hospites, & rerum vestrarum domesticarum adeo esse ignaros. Iuuabo Vos, quantum potero; & quæ Vos mihi, si forte nescirem, indicare æquius foret, inuersâ vice Vobis comiter monstrabo. Quin pridem monstraui. Scripsi videlicet Digressione de arte nouâ: Index Romanus in Tri- Pag. 447.

dentinâ synodo confectus, mox à Pio quarto perlectus & approbatus, deinceps à Sixto v, à Clemente I I X, & nuper etiam ab Vrbano I I X auctus, recognitus, confirmatus, librum proscribit, cui titulus, *Ordo baptizandi cum modo visitandi iuxta ritum sanctæ Romanæ ecclesiæ, Venetiis apud Iohannem Guariscum & socios, anno cIɔ Iɔ LXXV, nisi corrigatur.* Quid autem corrigi debeat, docet nos Index Hispanicus in hunc modum:

Fol. x x x i v *ad medium, deleantur illa verba*, Credis non propriis meritis, sed passionis domini nostri Iesu Christi virtute & merito, ad gloriam peruenire?

Ibidem, paulò pòst, deleantur illa verba, Credis quòd dominus noster Iesus Christus pro nostrâ salute mortuus sit? & quòd ex propriis meritis, vel alio modo nullus possit saluari, nisi in merito passionis ipsius?

Fol. x x x v *in vltimâ lineâ, deleantur illa verba*: Non erit desperandum, vel dubitandum de salute illius, qui supra positas petitiones corde crediderit, & ore confessus fuerit.

Index Hispanicus editus est jussu Gasparis Quiroga, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani, generalis in Hispaniâ Inquisitoris, de consilio supremi senatus Hispanicæ inquisitionis; & excusus Madriti apud Alfonsum Gomezium Regium typographum, anno cI ɔ I ɔ xxcIv. Romanus passim prostat, editus etiam non ita du-

dum

dum Coloniæ apud heredes Antonij Boetzeri, anno cIↄ Iↄ c xxvii. Habetis in propinquo Francofurtenses nundinas: comparate Vobis codices, vel saltem facite Vobis ostendi: ostensos autem inspicite, & desinite vociferari, Quis Papa? quæ Inquisitio? quando? vbi? quis Index? quo folio? quo anno, vbi impressus, horribilem illam lituram imperauit? Notorium calumniatorem meritò Calixtum habebit orbis, donec id monstrauerit. Ego id pridem, & modò iterum monstraui. Quales itaque Vos nunc orbis habebit? Equidem de Vobis draconis caudam concinnantibus nihil aliud pronuncio, quàm quod de Cadmæo paullò antè memorato dracone Poëta; *—furit ille, & inania duro*

Vulnera dat ferro, figitq́, in acumine dentes.

XCVII. Specimen sanè insignis artificij efformatâ istâ draconis caudâ edidistis. Mihi tamen aptare eam non potestis. Cedat in ornatum vestrum, & sit pro monili, aut pro zonâ, & præbeat Vobis vsum, quem Franciscanis sua restis, vel Augustinianis cinctus coriaceus. Quoniam autem ad eam lustrandam hîc delapsi sumus, alteram quoque squamam, priori proximam & contiguam, contemplemur. Scripsi ego Iteratâ ad Colonienses compellatione, reformationis auctores de- Pag. 150.
testatos esse immanem ambitionem & tyrannidem Pontificis, qui dici cœperit *dominus deus noster, regum rex & orbis terrarum monarcha, cui vni omnis in cœlo & in terrâ tradita potestas.* Hinc Vos Domini Moguntini, quâ estis solertiâ, squamam caudæ draconis vestræ apponendam efformatis. *Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor Sidera.* Satanica planè ca- Sectione
lumnia! Nemo nisi impius, nisi blasphemus ita loquitur, aut 11, num. 8.
sentit. Mirum non esset, si tam execrabili mendacio incita-

tus, illud Apostolicum quis regereret: *Percutiat te DEVS, paries dealbate*! Sed dicere malim: Parcat tibi bonus IESVS, miser Calixte, vt resipiscas! Vel ostende palàm, quis? vbi? quando sic cœperit loqui? vel si id nequeas, in hujus Solis oculis tartaream resorbe calumniam. Quo vultu, quoue animo augustissimus Cæsar, aliique Catholici Reges & Principes, atque adeo ipse Serenissimus Dux tuus Augustus, tam portentosum accepturi sint mendacium, ipse videris. Parcite verò voci & vehementiæ, ô Domini Moguntini. Ruditati vestræ iterum suppetias feram, & indicium faciam. Vtendam petite à quodam vicino Vobis Iurisconsulto vltimam partem Corporis Canonici glossati. Quærite inter Extrauagantes Iohannis XXII, titulo de Verborum significatione, capitulum *Cùm inter*. Legite glossam; in fine eius, satis aliàs prolixę, inuenietis hæc verba: *Credere DOMINVM DEVM NOSTRVM PAPAM — sic non potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censeretur.* Hæc Vobis, vt videtur, sunt incomperta: sed nullus dubito, Canonicum illud corpus glossatum in Romanâ curiâ plurium manibus teri, quàm Sacra biblia. Vultisne autem ex illis Glossis plura? Quærite capitulum *Quanto*, quod est tertium de Translatione episcopi, titulo septimo primi Decretalium. Ibi ad verba, *Veri Dei vicem*, hæc inuenietis accumulata: Papa *dicitur habere cæleste arbitrium: & ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia vnius rei applicando alij: & de nullo potest facere aliquid: & sententiam, quæ nulla est, facit aliquam, quia in his, quæ vult, ei est pro ratione voluntas; nec est qui ei dicat, Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare. Idem de iniustitiâ potest facere iustitiam, corrigendo iura & mutando: & plenitudinem obtinet potestatis.* Addo, sed alienâ fide, Philippi scilicet Mornayi, de quâ tamen, quum annum & locum quo libri editi exprimat, non puto dubitari posse, *Paulum quinctum libris suorum*

quasi

quasi in tabellâ depictum hac inscriptione, *PAVLO V VICE-DEO; CHRISTIANAE REIPVBLICAE MONARCHAE INVICTISSIMO; ET PONTIFICIAE OMNIPOTENTIAE CONSERVATORI ACERRIMO. Quo & pridem stilo*, inquit, *Tolentini legitur*, *PAVLO III OPT. MAX. IN TERRIS DEO. Substernuntur Principum, Regum, Cæsarum sceptra & diademata.* Hæc Mornayus Præfatione in Mysterium iniquitatis. Allegat librum Benedicti de Benedictis Bononiæ editũ anno cIↃ IↃ c IIX: & Theses Caraffæ excusas Neapoli, anno cIↃ IↃ c IX. Quid est PLANE SVPREMVM IN TERRIS NVMEN, nisi Deus in terris? At hunc titulum Gregorio XIII tribuit Thomas Stapletonus, dedicato ei suo de Principiis doctrinalibus opere.

XCIIX. Sed etiam cætera, *Regum Rex*, &, *cui vni omnis in cœlo & in terrâ tradita potestas*, monstrari vobis vultis? Monstrabo. Dicetis fortè, vitio vobis verti non posse, si glossas juris canonici in numerato non habeatis, quum Theologi sitis. Non pugnabo equidem, quamuis dicat Canus, *iuris huius doctrinam quasi ex alterâ parte Scholasticæ Theologiæ respondere*. Est autem extra controuersiam, Theologos non decere, vt in Tomis & actis Conciliorum hospites sint. Explicate itaque tomum Conciliorum vltimum, quærite concilium Lateranense, habitum sub Iulio II & Leone X pontificibus, post initium superioris seculi. Eo in concilio oratione, quæ sessione primâ fuit habita, Iulius II audit *totius orbis princeps*. Sessione quartâ, *alter Deus in terris*. Sessione sextâ Leo X appellatur *Leo de tribu Iuda, radix Dauid*, item *Sponsus Ecclesiæ*. Sessione octauâ: *Celi leo rex quadrupedum, tu alter Leo, hominum non alter rex tantùm, sed regum rex, & orbis terrarum monarcha*. Sessione IX, verbis ad eumdem Leo-

De Locis libro I.

nem factis: *diuinæ maiestatis tuæ conspectus.* Item: *In te vno, vero atq; legitimo Christi & Dei vicario, propheticum illud debuit rursus impleri,* Ps. 72, 11. *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Item; *Non ignari* Principes scilicet Christiani, *omnem tibi vni in cælo & in terrâ traditam à Domino potestatem.* Sessione decimâ: *Arripe gladium diuinæ potestatis tibi traditum bis acutum, & iube, impera & manda, — Reges ad id in compedibus magnitudinis magni Regis liga, & nobiles in manicis ferreis censurarum constringe, quoniam tibi data est omnis potestas in cælo & in terrâ.* Euoluite editiones conciliorum Colonienses tum veteres, tum recentiores Binianas, vel Parisiensem, vel Venetam, vel ipsam Vaticanam: in omnibus hæc omnia inuenietis. Quid itaque nunc superest, nisi vt resorbeatis quæ aduersus me euomuistis, *portentosa mendacia; abominandas, satanicas, tartareas calumnias*; & omnis hæc Cerberea spuma & aconitum per guttur vestrum Vobis in pectus remeet? Doleo equidem vestram vicem, & quòd adeo *furor iraq; mentem præcipitant*, vt fere nisi talia proferre ad Vos per Vos non liceat. Spero autem multos vestri dissimiles, quæ ad animos Christianorum ab odiis liberandos, & mutuo amore deuinciendos faciant, haut illubenter audituros. In horum itaque gratiam & Dei gloriam negocium, quod agere cœpimus, prosequamur.

XCIX. Consequentia fidem siue connexa cum fide si vlteriùs extendantur, quàm ad ea, quæ proximè consequuntur aut connectuntur, ita videlicet, vt articulo posito ea quoque necessariò poni, vel articulum negari si ipsa negentur, oporteat, indice eius rei euidenter certâ & ineluctabili consequentiâ; si, inquam, vlteriùs extendantur, & ad alia transferantur, quæ num fundamentali articulo congruant an repugnent non est in

est in procliui dijudicare; talia non saltem sine vllo ecclesiæ periculo aut damno, sed magno etiam cum commodo præteriri & silentio sepeliri possunt. Quòd si tractare libeat, sine dispendio vnitatis & caritatis tractare oportet: nec ægrè ferre, si non omnibus eadem arriserit opinio. Negari non potest, cum ætate ecclesiæ creuisse numerum quæstionum articulis annatarum; quarum aliis occasionem præbuerunt argumenta & objectiones hæreticorum; alias excitauit curiositas, auxit ardor contentionis. Et harum quidem aliæ articulos ipsos propiùs attingunt, aliæ ab iis longiùs absunt. Ita quando agitur de notionibus diuinis, de proprietatibus & relationibus, quomodo & ii se inuicem & ab essentiâ distinguantur, personasue constituant; quæstiones sanè sunt de rebus articulum fidei concernentibus, nullo tamen modo de ipso articulo proximè & immediatè. Neque enim illico articulum fidei vel affirmauerit, vel negauerit, qui hic modalem aut virtualem aut ejusmodi aliquam distinctionem siue admiserit siue rejecerit. Negari tamen non potest, quæstionem esse de re, quæ ipsum fidei articulum si non admodum è propinquo, non tamen etiam admodum remotè attingat: & nihilominus tali, quæ à paucissimis possit capi, à nemine verò eâ certitudine, cui non nisi cum jacturâ salutis adsensus subtrahatur, determinari. Longiùs à fundamento absunt quæstiones hujusmodi, An in rebus creatis inueniatur diuinæ trinunitatis vestigium, vel imago, & qualis? An Filius à Patre generetur vt verbum vel conceptus mentis; Spiritus autem ab vtroque procedat, vt amor, qui voluntatis est? An potuerit alia persona, quàm Filius, incarnari? An plures personæ vnam naturam potuerint assumere? An si homo non peccasset, nihilo-

hilominus Filius Dei incarnandus fuiſſet? An potuerit aſſumere & ſibi perſonaliter vnire naturam brutam vel inanimatam? An ex vtero prodierit non dilatato clauſtro virginali? Et de quibus peculiari tractatu diſputauit Dominicus de Dominicis Venetus, An ſanguis Chriſti effuſus manſerit vnitus Deitati? Qualis fuerit filiatio Iohannis Euangeliſtæ ad Beatam virginem? Rectè Auguſtinus quum ageret de corporibus, in quibus apparuerunt angeli, Enchiridio ad Laurentium c. 11x. *Quum iſta,* ait, *quærantur, & ea, ſicut poteſt, quiſq; coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium ſe ſcire quod neſciunt. Quid enim opus eſt, vt hæc atq; huiuſmodi affirmentur vel negentur vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur?* Nempe ad peritiam & eruditionem fortè faciant, ſed ad fidem, per quam ſeruamur, nihil faciunt. A curioſis tamen aut otioſis ingeniis ſæpe, ſæpiùs ab inquietis & ambitioſis ea mouentur, quæ nihilo majorem habeant vtilitatem quàm certitudinem: atque adeo quemadmodum nulla ſuppetunt argumenta, quibus finiantur vel terminentur; ita in anxiâ eorum diſquiſitione opera ludatur. Bonum autem factum & publicè vtiliſſimum, hoc ipſum

De curâ pro mort. cap. 17. oſtendere & ob oculos ponere. *Non enim paruus eſt fructus,* ait idem Auguſtinus, *ſi aliqua obſcura & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum ſaltem certumq; ſit nobis non eſſe quærenda: & quod vnuſquiſq; vult diſcere, putans prodeſſe ſi ſciat, diſcat non obeſſe ſi neſciat.*

Enchir. ad Laur. c. 21. Et alibi: *In quibuſdam rebus nihil intereſt ad capeſſendum Dei regnum, vtrum credantur, an non; vel vtrum vera ſiue ſint ſiue putentur, an falſa. In his errare, id eſt, aliud pro alio putare, non arbitrandum eſt eſſe peccatum; aut ſi eſt, minimum eſſe atq; leuiſſimum.* Quin ad Vin-

Lib. 3, c, 15. centium Victorem de animæ origine ſcribens, quum dixiſ-

dixiſſet eum nonnulla poſuiſſe & affirmaſſe, quæ cum certâ & fundamentali doctrinâ conciliari non poſſent, ſubijcit nihilominus: *Abſit, vt te arbitreris hæc opinando à fide catholicâ receſſiſſe, quamuis ea fidei ſint aduerſa catholicæ, ſi coram Deo, cuius in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixiſſe reſipiſcis,* (fortè *reminiſceris*: locus enim de mendo ſuſpectus) *non te tibi ipſi eſſe credulum: — ac ſtudere te ſemper etiam propriam ſententiam non tueri, ſi improbabilis detegatur, eò quòd ſit tibi cordi, proprio damnato iudicio, meliora magis & quæ ſint veriora ſectari. Iſte quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non-catholicis, ipſâ eſt correctionis præmeditatione ac præparatione catholicus.* Conſideramus enim hîc, vt id iterum repetamus & moneamus, doctrinas & errores, quatenus ad intellectum pertinent: & quatenus illæ ſolius intellectus perfectiones, iſti vitia ſunt. Nam ſi, non quia rectiùs non intelligas, ſed quia nolis videri erraſſe, vero vinci detrectes, atque adeo Eccleſiam turbis inuolui malis, quàm tuæ exiſtimationi quidquam detrahi, non is ampliùs error intellectus eſt, ſed prauitas voluntatis. Qui itaque in controuerſiâ quamuis non maximi momenti aduerſus teſtimonium conſcientiæ ſuæ errorem vtut aliàs minimè capitalem ſequitur aut defendit, & Eccleſiam turbare pergit, is gratiâ Dei excidit, non quidem ob errorem, vt error eſt in intellectu, ſed vt à voluntate comprobatur, atque adeo propter peccatum voluntarium & contra conſcientiam.

C. *Ex quæſtionibus & logomachiis,* ait ſanctus Apoſtolus Paulus, *naſcitur inuidia, lis, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, peruerſæ exercitationes hominum mente corruptorum.* 1 Tim. 6, 4. Nempe ita comparata ſunt ingenia multorum, vt quæſtiones curioſæ & ocioſæ in contentionem deductæ hujuſmodi exitus ſæpe ſortiantur. Bene itaque de eccleſiâ

merentur, qui abrumpunt, sopiunt, sepeliunt. Diximus
Num. 17. alibi, præclarè monuisse Irenæum, *Melius est nihil omnino scientem quempiam, ne quidem vnã caussam cuiuslibet eorũ, quæ facta sunt, cur factum, & credere Deo, & perseuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quàm per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere*, &c. Et Hilarius quum sub finem libri de Trinitate decimi, locum ex decimo ad Romanos expendisset, *Prope te verbum est in ore & in corde tuo: hoc est verbum illud fidei quod prædicamus: nempe si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum suscitauit ex mortuis, seruaberis:* quum inquam, hunc locum expendisset, subiungit, *Non in incerta diffluere, neq; ad stultiloquia efferuere, neq; ratione aliquâ virtutes Dei ventilare, neque modo circumscribere potestatem, neq; caussas inuestigabilium sacramentorum retractare*, &c; *Dominum Iesum confiteri, & à Deo suscitatum à mortuis credere, salus est.* Et mox: *In simplicitate itaq; fides est, in fide iustitia est, in confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundia genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est*
Orat. 26 edit. græcolat. Par. *æternitas, Iesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.* Gregorius Nazianzenus quum in eumdem Apostoli locum incidisset, verba in hunc modum fecit: *Nihil tibi necesse est in cælum ascendere, vt Christum illinc trahas: nec in abyssum descendere, vt hinc eum à mortuis extrahas, nimirum vel primam ipsius naturam curiosiùs inuestigans, vel postremam carnis assumtæ dispensationem.* ἢ τὴν πρώτην πολυπραγμονῶν φύσιν, ἢ τὴν τελευταίαν οἰκονομίαν. *Prope te, inquit, verbum est: mens & lingua thesaurum hunc habent, illa videlicet credendo, hæc confitendo. Quid his diuitiis compendiosius? Quid hoc beneficio facilius & promtius?* Post pauca

sub-

subijcit: οὐδὲν ἂν ἦν τῆς πίστεως ἡμῶν ἀδελφοὶ ἀδικώτερον, εἰ γε τοῖς σοφοῖς ἐπῆλθε μόνον, καὶ τοῖς δεινοῖς ἐν λόγῳ, καὶ ταῖς λογικαῖς ἀποδείξεσι. *Nihil fide nostrâ, fratres, iniquius fingi posset, si in eruditos tantùm dicendiq; facultate ac logicis demonstrationibus excellentes caderet, popularis autem multitudo, vt auro & argento, aliisq; rebus, quæ hîc in pretio habentur, & à plerisq; auidissimè expetuntur, sic hac quoq; frustraretur.* Paullò antè elegante hac vsus erat similitudine, Quemadmodum Deus res totius mundi eminentissimas, cœlum, solem, aërem, aquam, omnibus communes fecerit, omniumque vsibus exposuerit, quippe omnium vitæ necessarias; aurum autem & argentum & gemmas, res vtique preciosas, paucis concesserit: ita quoque doctrinam omnium saluti necessariam omnibus impertiuisse; non item docendi & disputandi facultatem. τῷ Θεῷ χάρις, ὅτι καὶ τὰ ἐξαίρετα δίδωσι, καὶ διὰ τῶν κοινῶν σώζειν ἐπίσταται. *Deo sunto gratiæ, quòd, vt eximia largitur, ita per communia salutem hominum operari nouit.*

CI. Quæstionès autem fundamentalibus doctrinis superadditæ vel annatæ temporibus Augustini incrementum non leue videntur cepisse. Occasionem inprimis præbuerunt disputationes cum Pelagianis de peccato originis, & de necessitate gratiæ. Prior ansam dedit quæstionibus de quidditate, vt loquuntur, peccati originalis, quam tamen Augustinus numquam ausus fuit definire; & de origine animæ, quam itidem extricare non potuit: posterior excitauit quæstiones de modo, quo operetur gratia, num ita vt necessitatem imponat siue determinet, vel aliter; item de voluntate Dei quod salutem hominum attinet, & de prædestinatione ab æterno factâ: in quibus omnibus expediendis non æquè feliciter versatus fuit Augustinus. De quibus non

diu post eius obitum Celestinus episcopus Romanus e-
Cap. 11. pistolâ ad episcopos Galliæ: *Omnium bonorum affectuum atq; operum & omnium studiorum, omniumq; virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fatemur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratiâ omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus & facere.*
Cap. 13. *— Profundiores verò difficilioresq; partes occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.*

Præfat. CII. Idem Augustinus *de Trinitate libros iuuenis incoauit, senex edidit.* In quibus imaginem Trinitatis in creaturis, præsertim in humanâ animâ, venatur, & abstrusiora summi hujus mysterij de generatione Filij & processione Sancti spiritus rimatur. Quàm feliciter, nolim equidem definire. Summopere autem placent, quæ operi sub initium eius præmisit, & quibus id conclusit.
Lib. 1, c. 3. *Quisquis,* inquit, *hæc legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me; vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam tendentes ad eum, de quo dictum est,*
Ps. 105, 4. *Quærite faciem eius semper. — Quisquis ergo quum legit, dicit, Hoc non bene dictum est, quoniam non intelligo; loquutionem meam reprehendat, non fidem. Et fortè verè potuit dici planiùs. — Videat ergo, vtrum alios in talibus rebus quæstionibusq; versatos intelligat, quum me non intelligit. Et si ita est, ponat librum meum, vel etiam, si hoc videtur, abijciat; & eis potiùs, quos intelligit, operam & tempus impendat. — Qui verò hæc legens dicit, Intelligo quidem qvid dictum sit, sed non verè dictum est; afferat, si placet, sententiam suam, & redarguat meam, si potest. Quod si cum caritate & veritate fecerit, mihiq; etiam, si in hac vitâ maneo, cognoscendum facere curauerit, vberrimum fructum huius laboris mei cepero. Quòd si mihi non potuerit, quibus id potuerit,*

euerit, me volente ac libente, præstiterit. Concludens ita loquitur: *Domine Deus vnus, Deus trinitas, quæcumq; in his libris dixi de tuo, agnoscant & tui; si qua de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.* Hanc magni & sancti viri moderationem & modestiam vtinã omnes hodie imitentur. Istæ verò eius speculationes magnam faciunt partem primi Sententiarum, & materiam siue occasionem præbent quæstionibus & disputationibus interpretum Scholasticorum. Quas si videre Gregorio Nazianzeno contigisset, ægerrimè sine dubio tulisset. Argumento mihi sunt eius verba Oratione περὶ τῆς ἐν διαλέξεσιν εὐταξίας, quæ etiam paullò antè allegabatur, & in latinâ quidem editione Levvenclauij est VII, in veteri græcâ Basileensi XXIII, in græcolatinâ Parisiensi XXVI. Verba illa ita habent: ἔδει ἕνα θεὸν πατέρα γινώσκειν, ἄναρχον καὶ ἀγέννητον, καὶ υἱὸν ἕνα γεγεννημένον ἐκ τοῦ πατρός, καὶ πνεῦμα ἓν ἐκ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, παραχωροῦν, πατρὶ μὲν, ἀγεννησίας· υἱῷ δὲ, γεννήσεως· τὰ δ' ἄλλα συμφυὲς καὶ σύνθρονον, καὶ ὁμόδοξον καὶ ὁμότιμον· ταῦτα εἰδέναι, ταῦτα ὁμολογεῖν, μέχρι τούτου ἵστασθαι, τὴν δὲ πολλὴν φλυαρίαν, καὶ τὰς βεβήλους κενοφωνίας τῶν λόγων, τοῖς σχολὴν ἄγουσιν ἀποπέμπεσθαι. *Vnum Deum Patrem agnoscere oportebat, principij expertem & ingenitum; & vnum Filium ex Patre genitum; & vnum Spiritum ex Deo substantiam habentem, hoc solo nomine Patri cedentem, quòd non ingenitus sit, hoc item Filio, quòd non sit genitus, cætera autem eiusdem omnino naturæ, dignitatis, honoris, gloriæ. Hæc, inquam, agnoscere oportebat, hæc confiteri, hîc gradum figere: prolixas autem nugas & profanas verborum nouitates ad ociosos homines amandare.*

CIII. Quæstionum autem curiosarum & ociosarum, quæ tum huic mysterio, tum aliis doctrinis à Scholasticis sunt superadditæ, & nec vsum habent, nec vnde certò definiantur, & proinde sine dispendio ædi-

ficationis & salutis ignorari penitus & in perpetuum poterant, nullus est modus aut numerus. Nihilominus Concilium Tridentinum non pauca eiusmodi determinauit, numeroque necessario credendorum apposuit, atque eo pacto dissensionum incremento materiam suppeditauit, & schisma, quoad potuit, auxit & stabiliuit. Quædam in exemplum proferam. Certum est, quid sacramentum sit, vel quid propriè sacramentum constituat, & proinde quot verè & propriè sacramenta sint, ex Scripturâ non posse colligi. De traditione siue vnanimi priscæ ecclesiæ consensu idem fatetur Vazquez. *Patrum*, inquit, *testimoniis hoc confirmare*, quòd VII sint sacramenta, *superuacaneum est, quia nullus eorum de numero quidquam speciatim definiuit.* Nihilominus Tridentini sessione septimâ, de sacramentis canone primo: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, — aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè sacramentum, anathema sit.* De charactere Gabriel Biel infimæ ætatis Scholasticus in Quartum dist. VI, quæst. II, art. I, notabili III; *Est*, inquit, *signum spirituale à Deo solo animæ impressum in susceptione initerabilis sacramenti, manens indelebiliter de lege communi.* At paullò pôst conclusione primâ: *Characterem esse ponendum eo modo, quo definitus est, nec ratio necessaria demonstrat, nec euidens auctoritas probat.* Item: *Omnia quæ attribuuntur characteri, puta significare, configurare, distinguere, disponere, rememorari, obligare, æquè soluuntur sine charactere sicut cum charactere. Omnia enim operatur sacramentum ipsum sine charactere.* Et iterum art. III, dubio V: *Omnia de charactere dicta pro magnâ parte voluntaria sunt, & modicâ ratione fulcita.* Nihilominus ibidem Tridentini, canone IX: *Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet,*

In 3, disp. 119, cap. 1.

licet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, anathema sit. Mox eadem sessione de Baptismo canone primo: *Si quis dixerit baptismum Iohannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Ante sesquiannum disputationem de Baptismo pro licentiâ capessendi titulum Doctoris in Theologiâ sub meo præsidio in hac academiâ habuit reuerendus & clarissimus vir, Brandanus Dætrius Hamburgensis, hodie in Frisiâ orientali ecclesiastes aulicus & Superintendens. Ex eâ disputatione nonnulla, quæ ad rem faciunt, hîc repetemus.

CIV. Primùm igitur ostenditur, quæstionem *Num baptismus Iohannis eamdem vim habuerit cum baptismo Christi,* ociosam esse. Ideo enim id quæritur, vt constet, num idem fuerit, vel diuersus. Doctrina autem de sacramentis, si quæ alia, practica est. At ad praxin à nobis in administrando baptismo exercendam nihil facit, siue baptismus Iohannis cum baptismo Christi planè idem fuerit, siue non fuerit. Cujus rei cognitio si ad praxin necessaria, ideo necessariam dici oporteret, ne à Iohanne baptizatos perperam hodie vel ad baptismum Christi admittamus, vel ab eo arceamus, atque ita, si idem sit, baptismum Christi iteremus admittendo, aut si non sit idem, necessario remedio homines istos fraudemus arcendo. Sed non est, quod in alterutram partem peccatum iri metuamus. Per hanc itaque quæstionem siue solutam siue non solutam neque meliùs neque deteriùs se habebit praxis nostra. Num. 14.

CV. Deinde ostenditur, quàm variè & Patres & Scholastici eâ de re senserint, modò hanc, modò illam opinionem amplexi. Effectum autem remissionis peccatorum baptismo Iohannis tribuisse Basilium magnum,

gnum, Cyrillum Ierosolymitanum, Optatum Mileuitanum, Gregorium Nyssenum, Iuuencum presbyterum, Aurelium Prudentium, alios. Deniq; infertur in hunc modum: Quum quæstio de baptismo Iohannis mere problematica sit, fructu careat, & ad Christianam praxin, vti priùs ostendimus, nihil faciat; atque adeo variè & in diuersas partes semper fuerit agitata, ingens est audacia Tridentinorum, pronunciantium, *Si quis dixerit baptismum Iohannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Non vrgebo, rationes pro alterâ, quàm pro istâ sententiâ, probabiliores dari. Esto, sint æquè probabiles; imò pro istâ vel probabiliores sunto: probabilitatem tamen non excedunt, nec irrefragabilem certitudinem gignunt. Nec alio loco quàm opinionis habitũ est hactenus, quidquid de eâ quæstione siue his siue illis, siue pluribus siue paucioribus visum fuit.

Num. 44 & seqq.

CVI. Quæro igitur ex Tridentinis, aut quibuscumque partes eorum tuentibus, num Deo, penes quem salutis & damnationis est arbitrium, jubente, *dicentes baptismum Iohannis & Christi eamdem vim habuisse*, æterno exitio addixerint? Si Deo nec volente, nec jubente, nec adsentiente; anathema, quod vibrarunt, irritum est: imò ingente & intolerabili insolentiâ & ὑπερηφανείᾳ partes Dei sibi arrogarunt, & vel super Deum ipsum sese extulerunt, vtpote qui damnatos volunt, quos Deus non vult damnari. Sin ajunt, se damnasse illos Deo ita volente, quum hactenus opiniones istæ liberæ & indifferentes fuerint, nec vel ex Scripturâ vel ex testimonio Ecclesiæ aliud constiterit, quàm Deum ad alterutram opinionem sub jacturâ æternæ salutis neminem obligare; quæro primùm, quî factum, quòd Deus jam mentem & voluntatem mutarit? deinde quæro, vnde

vnde ipsis constet, & vnde edocti sint, quòd Deus *dicentes, baptismum Iohannis & Christi eamdem vim habuisse*, quos pridem damnatos non voluit, jam velit damnari? Si ex Scripturâ id colligi posset, erutum inde dudum, & ab ipsis ecclesiæ primordiis, fuisset. Si tamen vel ex Scripturâ vel ex certis & indubitatis principiis idipsum deduci & euinci hodie potest, age deducant, euincant, vt videamus. Sed hoc præstare nequeunt. Nouas autem sibi factas reuelationes haut, credo, jactabunt, quum talibus ecclesiam non regi ipsi fateantur. Vnde igitur, inquam, constat ipsis, quòd Deus eos, de quibus modò loquimur, damnari velit? An dicent, sibi suoq; Pontifici Deum arbitrium vitæ & mortis transscripsisse, vt etiamsi damnatio quorumdam ex Scripturâ & reuelationibus diuinis colligi non possit, damnentur nihilominus, quos ipsis lubeat damnari? At hoc vnde probabunt? Et quid hoc fuerit aliud, quàm in templo Dei siue Ecclesiâ sedere, & ibi se tamquam Deum ostentare? Quum igitur ostendere nequeant, aut Deum velle, vt *dicentes baptismum Iohannis & Christi eamdem vim habuisse*, damnentur; aut potestatem damnandi, quos lubeat, sibi diuinitus collatam esse; consequens est anathema illud non modò ridiculum esse, si quid in re adeo seriâ possit esse ridiculum, & irritum, sed etiam improbum. Quanto rectiùs dixissent, quemadmodum ante annos plures quàm mille ducentos dixit sanctus & magnus doctor Augustinus, *Si quisquam contendat etiam in baptismo Iohannis dimissa esse peccata, non ago pugnaciter.* L. 5 de bapt. cont. Donat. c. 10.

CVII. Quoniam autem anathemata, quæ ipsi vnà cum suo Pontifice ejaculantur, infallibilitate niti volunt, & erroris esse immunia; quum ex iis vnum erroneum esse modò palàm fecerimus, non huic vni tan-

tum, sed etiam reliquis omnibus infallibilis auctoritas detrahitur, vt terrere neminem debeant, nec propter ea aut eorum auctores, quod sanciunt, pluris æstimari, quam quod profectum ab hominibus fallere & falli procliuibus. Refert auctor historiæ concilij Tridentini, fuisse in eo, qui *indignarentur tantam in Patribus ad articulos definiendos & anathemata pronuncianda promtitudinem, ipsis neq; rerum, quæ tractarentur, satis intelligentibus, & ab aliis edoceri fastidientibus.* Quod itaque docent, siue vt ipsi loqui amant, definiunt; tantum valeat, quantum eius per Scripturam & primæ priscæque ecclesiæ consensum potest demonstrari. Quod non potest, nouitatibus in Christianæ fidei negocio intolerabilibus, aut certe opinionibus liberis & indifferentibus annumeretur. Hæc ex illa disputatione huc transferre libuit: è qua mox plura.

Libro 7.

CIIX. De Confirmatione eosdem Tridentinos jam ante diximus sub anathemate definiuisse, vnum esse è septem verè & propriè dictis sacramentis, à Christo Domino institutum. Materia eius hodie apud Pontificios oleum balsamo mixtum, & ab episcopo consecratum, in quod intincto pollice signum crucis in fronte pingitur. Forma, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine P. F. & Sp. S. Amen.* De ministro Tridentini: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Ferreæ fuerit frontis, qui dixerit, siue ex Scripturâ, siue ex Consensu antiquitatis demonstrari posse, quòd Dominus Christus Iesus tale instituerit sacramentum, quale ex sententiâ Pontificiorum modò descripsimus, cuius materia remota, proxima, item forma & minister sint, quales diximus. Allegant quidem

Num. 103.

De Confir. can. 3.

impo-

impoſitionem manuum Apoſtolicarum, ad quam in primâ eccleſiâ conſequebatur viſibilis quædam effuſio donorum Spiritus ſancti. At quid hæc ad hodiernam Pontificiam confirmationem, illis, quas diximus, materiâ & formâ conſtantem: ad quam nulla talis ſequitur donorum effuſio; in quâ nulla etiam prorſus eſt manus impoſitio. Epiſcopi quidem, pollice in chriſma intincto crucem in fronte deſcribunt, & deinde alapam impingunt: ſed neutrũ eſt propriè dicta manus impoſitio.

CIX. Veteres hanc ceremoniam (ceremonias autem liberas & indifferentes eſſe cupimus, nec odiosè vel morosè impugnamus) baptiſmo conjungunt, & in eâ deſcribendâ vehementer variant. Materia, forma, miniſter, quales Pontificij requirunt, è veterum teſtimoniis elici numquam poterunt. Diſſentiunt etiam hîc à Pontificia cæteræ per vniuerſum orbem eccleſiæ. Græci veteris ritus tenaces vngunt quidem: ſed idem ille, qui baptizauit, presbyter mox in fronte etiam vngit, nec epiſcopis vlla vnctio reſeruatur. Vtitur autem hujuſmodi verbis: Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, ἀμήν. *Signaculum doni Spiritus ſancti, amen.* Videatur Trullanus canon xcv: & Ieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus reſponſo primo ad articulum ſecundum Auguſtanæ confeſſionis. E Trullano canone diſcimus *& frontem, & oculos, & nares, & os, & aures* inungi: quum juxta Cyrillum Ieroſolymitanum frons, aures, nares & pectus vngantur. In Bibliothecâ Patrum leguntur Seueri, qui ſeculo ſeptimo, quum jam dominarētur iis in partibus Saraceni, Alexandrinus patriarcha fuit, de baptiſmi ritibus liber; & Ordo baptiſmi ſecundum vſum Aethiopum. Ex iis manifeſtum, quàm varient vngendi modi, & formulæ verborũ inter vngendum adhibitorum.

Catecheſi myſtagogicâ 1.

Quæ varietas euincit, ceremoniam esse liberam & indifferentem: minimè verò sacramentum à Christo institutum, in tali materiâ, & sub tali formulâ, & à tali ministro, quemadmodum Pontificij definiunt, administrandum. De Abassinis autem adserit Nicolaus Godignus, *ignotum illis esse Confirmationis sacramentum.* Idem de Ruthenis affirmat Iohannes Sacranus, Canonicus Cracouiensis, Elucidario errorum ritus Ruthenici. Idem de Moscouitis Alexander Guagninus descriptione Sarmatiæ Europææ. Verba eius apponemus. *Confirmationis seu inunctionis sacramentum maximè abhorrent: hocque argumento vanam & damnabilem confirmationem esse approbant, quòd in synodis omnibus ferè dictum sit, præcipuè verò in Nicænâ, Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Quum autem vnum sit baptisma, vnum etiam esse Chrisma, & virtutem eamdem Sacerdotis & Episcopi circa sacramenta distributa, dicunt esse.*

Lib. 1 de rebus Abassinorum cap. 35.

CX. In hac sanè sententiâ conueniunt cum Armeniis, imò cum omnibus Græcis, apud quos nulla vnctio à baptismo auellitur, sed simul cum baptismo, ab eodem qui baptizat, siue presbyter sit, siue episcopus, peragitur. Adhibetur etiam formula ab eâ, quæ apud Pontificios in vsu, penitus diuersa, vt antè ostensum. Et Græcis ad eum modum statuentibus & agentibus, non tamen à Latinis, quando ante annos ducentos de vnione actum fuit Florentiæ, & aliqua tandem inita, inuitati vel adacti sunt, vt suum ritum formulámue missam facerent, & Latinam admitterent. In literis vnionis declaratur consensus de processione Spiritus à Patre, Filioque, & adjectione vltimæ hujus voculæ ad symbolum factâ; item de Purgatorio, & animabus post purgationem Deum videntibus; denique de primatu Romani

pon-

pontificis. Hæc tria ſunt capita, quibus vnio, quamquam minimè durabilis, innixa. Antoninus, qui ſynodo interfuit, eâ de re ita ſcribit: *Errant Græci in tribus communiter. Primò, quòd Spiritus ſanctus procederet à Patre, ſed non à Filio. Secundò, quòd non erat purgatorium poſt hanc vitam. Tertiò, quòd Eccleſia Orientalis & Conſtantinopolitana non eſſet ſub Eccleſiâ Romanâ, nec Patriarcha Conſtantinopolitanus eſſet inferior Romano pontifice. Horum quodlibet eſt hæreticum. In aliis ritibus ſuis, qui non important hæreſin (licet rationabiliores ſint ritus Eccleſiæ Occidentalis ſeu Romanæ) fuerunt permiſſi manere, ſicut quòd celebrent in fermentato; quòd baptizent in aliâ formâ quàm nos, videlicet, Baptizetur ſeruus Dei N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Item quòd ordinati in ſacris vtantur matrimonio contracto ante ſuſceptionem ipſorum ordinum ſacrorum. Item quòd nutriant barbam. Item quia dent ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie omnibus, etiam paruulis, & multa alia.* Inter illa multa alia fuerit etiam ritus chriſmatis, quà formulam & miniſtrum à Latino hodierno planè diuerſus. Ferebantur igitur à Pontifice & Romanâ eccleſia ante annos ducentos, nec anathemate feriebantur, ſed potius vnionis nexu ſociati habebantur, qui circa eum ritum in alia omnia irent, qui videlicet dicerent, non eſſe à Chriſto inſtitutum aliquod ſacramentū ſub hac formâ, *Signo te ſigno crucis &c.* cujuſque ordinarius miniſter ſit ſolus epiſcopus, non quiuis ſimplex ſacerdos. Dixit autem etiam olim Hieronymus epiſtola ad Euagrium: *Quid facit, exceptâ ordinatione, epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Et Chryſoſtomus in primam ad Timotheum de epiſcopis: τῇ χειροτονίᾳ μόνῃ αὐτῶν ἀναβεβήκασι. *Solo ordinandi iure ſunt ſupra presbyteros.* Non igitur Hieronymo, non Chryſoſtomo, & ne quidem ipſis Romanis pontificibus vel ante du-

Summæ hiſtor. tit. 22, cap. 11.

 centos

centos annos anathema erat, *si quis diceret, Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem.* Vnde itaque tanta potestas, imò tanta intemperies Tridentinis? Quorum definitionibus quæ de baptismo Iohannis objecimus, hîc nunc iterum objecta volumus.

Sectione 1, num. 5. CXI. Dicitis, Domini Moguntini, religionem delicatam magis, quàm tenerrimam oculi pupillam, vel vnius atomi accessu recessuq; periclitari. Vester ergo Pontifex & vestri Tridentini quo jure tot accessus siue additiones, (vt paucis speciminibus modò ostendimus, pluribus autem ostendi facilè posset, & aliàs fortè ostendetur) fecerunt? Quo jure, quáue injuriâ tot tantæ arrogantiæ & ambitionis horribiles Dictatus adjecit Hildebrandus, alio nomine Gregorius septimus? De quibus in vitâ ejus Onufrius Panuinius, quam secundo tomo Defensionis Bellarmini inseruit Iacobus Gretserus, *In mediâ,* inquit, *Quadragesimâ Romæ in Basilicâ Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, primò synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum congregauit; in quâ circa XXX* (sunt autem XXVII) *edidit capitula, seu canones, quos DICTATVS appellauit: quorum maior pars antea parum in vsu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum vmquam attentata: verùm ad firmissimum Ecclesiæ statum iaciendum & ad omnia tentanda, quæ animo agitabat,* animo videlicet vniuersalem dominatum meditante, *idonea.* Ita quidem Onufrius. Gretserus tamen in margine ausus fuit adjicere; *Hæc omnia decreta ex iure diuino deducuntur, partim directè, partim indirectè. Nec quidquam noui sanxit Pontifex, sed quæ apud multos in obliuionem venerant.* Baronius etiam adserit, sententias istas *hactenus in ecclesiâ catholicâ vsu receptas fuisse.* Si hactenus, vel ad hæc vsque Hildebrandi tempora vsu

(Margin: Anno 1074; An. 1076, num. 11.)

ta vsu receptæ, qui potuerunt vigente vsu apud multos in obliuionem venire? Si autem seculo vndecimo, quo Hildebrandus vixit, in obliuionem venerant, ostēdatur ex anteriorum seculorum genuinis & fide dignis monumentis, prisco illo æuo in vsu fuisse, siue ab ecclesiā & populo Christiano creditas & receptas, nempe *Quòd Romana ecclesia à solo Domino sit fundata:* annon fundata, vt aliæ, operâ & ministerio hominum? *Quòd solus Romanus pontifex iure dicatur vniuersalis:* at Gregorius magnus, *Absit,* inquit, *à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur.* Et epistolâ ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum: *Sanctitas vestra in suis epistolis neminem vmquam Vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, quum alteri honorem offert indebitum.* Iohannem ipsum Constantinopolitanum, qui hunc sibi titulum sumebat, ita compellat: *Tu quid Christo, vniuersalis scilicet ecclesiæ capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris Vniuersalis appellatione supponere?* Item: *Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratiâ, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt ecclesiæ constituti, & nemo se vmquam Vniuersalem vocare voluit.* Mox vocabulum illud *stultum, superbum, peruersum, temerarium, nefandum* appellat, *quo vocari nullus præsumsit, qui veraciter sanctus fuit.* Epistolâ quę proximè sequitur, Aniano diacono Constantinopolitano inscripta, *In isto,* ait, *scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quàm fidem perdere.* Epistolâ ad Imperatorem Mauritium: *Ego fidenter dico, quia quisquis se Vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum præcurrit.* Plures sunt isti Dictatus, quàm ut hic omnes examinari possint: manifestiores autem absurditatis, quàm vt opus sit. *Quòd* *unicum*

Lib. 4, epist. 32.

Epist. 36.

Epist. 38.

Epist. 39.

Epist. 30.

unicum est nomen in mundo, Papæ videlicet. Quid hoc aliud est, quàm Papam in mundo Deum esse? *Quod solus possit uti Imperialibus insignis: Quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur: Quòd illi liceat Imperatores deponere: Quòd à fidelitate iniquorum,* Regum puta & Imperatorum, quos iniquos esse judicauerit, *subiectos potest absoluere.* Vbi & à quibus ante Hildebrandum hæc vel audita, vel facta? Lib.6, c.35. *Lego & relego,* ait Otho Frisingensis, *Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc,* Henricum videlicet quartum, quem imperio deturbare, datis etiam successoribus, conatus est Hildebrandus, *à Romano pontifice excommunicatum, vel regno priuatum.*

CXII. Sicut æternam salutem, quæ supernaturalis est beatitudo, largiri & conferre non est nisi Dei & Christi; ita quoque quid ad eam obtinendam à parte hominis præstari, siue quid fide diuinâ & supernaturali credi debeat, constituere & sancire, itidem non est nisi Dei & Christi. Peculiari itaque diuinâ opus est reuelatione, absque quâ fuerit, nemo mortalium sibi sumere poterit, vt dicat aut definiat, hoc vel illud ad æternam salutem obtinendam creditu esse necessarium. Quidquid autem tale, id à Christo Domino plenè & perfectè est traditum, & ab Apostolis eorumque successoribus promulgatum & inculcatum; vti pridem abundè est demonstratum. Credendis, præter legem naturæ siue moralem, quam numquam posthaberi vel negligi oportet, addidit Seruator signa in externis sensibilibusque ritibus posita, siue sacramenta *quædam pauca,* vt loquitur L 3 de doct. Christ. c.9. Augustinus, *eademq. factu facilima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* In quem sensum idem alibi:

alibi: *Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit.* Epist. 118.
Credenda, quæ nunc potissimùm consideramus, continentur articulis symboli Apostolici, quorum inter se nexum & necessariam cohærentiam alibi exposuimus. Num. 10 & seqq.
Quamuis paucos esse doctores Pontificios, qui saluti consequendæ integri symboli Apostolici fidem necessariam statuant, itidem è superioribus pateat. Iam nos quoque dicimus & pertendimus, hanc fidem nec *accessum* pati, nec *recessum:* & miramur ac conquerimur, Pontificios propemodum ad recessum quàm ad accessum æquè procliues esse. De recessu patuit ex eorum doctrinâ, quos, quòd fides Filij Dei incarnati ad salutem sit necessaria, aut negare aut dubitare pridem ostendimus. Accessus magis adhunc manifesti: & nos paullò antè aliquos per synodum Tridentinam factos ob oculos posuimus. Neque enim ante eam anathema erat, vel jacturam salutis patiebatur, si quis nec plura nec pauciora sacramenta, quàm septem, diceret; vel Iohannis baptismo effectum remissionis peccatorum tribueret; vel characterem non poneret; vel Confirmationis ministrum non modò episcopum, sed etiam presbyterum admitteret. Annon accessus siue additiones sunt, quas fecisse Hildebrandum ostendimus? Annon accessus est, quum apud Gratianum is ipse dicit, *Peccatum paganitatis,* id est, infidelitatis, vt exponit Glossa, *incurrit, quisquis dum Christianum se adserit, sedi Apostolicæ obedire contemnit:* Dist. 81, can. 15. aut quum Bonifacius VIII *dicit, definit & pronunciat, subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ omnino esse de necessitate salutis?* C. Vnam sanctam, de maior. & obed. Si quæ de efficaciâ gratiæ, determinationibus diuinis, & prædestinatione inter Dominicanos & Iesuitas hodie agitantur controuersiæ, in alterutram

unicum est nomen in mundo, Papæ videlicet. Quid hoc aliud est, quàm Papam in mundo Deum esse? *Quòd solus possit uti Imperialibus insigniis: Quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur: Quòd illi liceat Imperatores deponere: Quòd à fidelitate iniquorum,* Regum puta & Imperatorum, quos iniquos esse judicauerit, *subiectos potest absoluere.* Vbi & à quibus antè Hildebrandum hæc vel audita, vel facta?

Lib.6, c.35. *Lego & relego,* ait Otho Frisingensis, *Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc,* Henricum videlicet quartum, quem imperio deturbare, datis etiam successoribus, conatus est Hildebrandus, *à Romano pontifice excommunicatum, vel regno priuatum.*

CXII. Sicut æternam salutem, quæ supernaturalis est beatitudo, largiri & conferre non est nisi Dei & Christi; ita quoque quid ad eam obtinendam à parte hominis præstari, siue quid fide diuinâ & supernaturali credi debeat, constituere & sancire, itidem non est nisi Dei & Christi. Peculiari itaque diuinâ opus est reuelatione, absque quâ fuerit, nemo mortalium sibi sumere poterit, vt dicat aut definiat, hoc vel illud ad æternam salutem obtinendam creditu esse necessarium. Quidquid autem tale, id à Christo Domino plenè & perfectè est traditum, & ab Apostolis eorumque successoribus promulgatum & inculcatum; vti pridem abundè est demonstratum. Credendis, præter legem naturæ siue moralem, quam numquam posthaberi vel negligi oportet, addidit Seruator signa in externis sensibilibusque ritibus posita, siue sacramenta *quædam pauca,* vt loquitur

L. 3 de doct. Christ. c.9. Augustinus, *eademque factu facilima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* In quem sensum idem alibi:

alibi: *Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit.* Epist. 118.
Credenda, quæ nunc potissimùm consideramus, continentur articulis symboli Apostolici, quorum inter se nexum & necessariam cohærentiam alibi exposuimus. Num. 10 & seqq.
Quamuis paucos esse doctores Pontificios, qui saluti consequendæ integri symboli Apostolici fidem necessariam statuant, itidem è superioribus pateat. Iam nos quoque dicimus & pertendimus, hanc fidem nec *accessum* pati, nec *recessum:* & miramur ac conquerimur, Pontificios propemodum ad recessum quàm ad accessum æquè procliues esse. De recessu patuit ex eorum doctrinâ, quos, quòd fides Filij Dei incarnati ad salutem sit necessaria, aut negare aut dubitare pridem ostendimus. Accessus magis adhunc manifesti: & nos paullò antè aliquos per synodum Tridentinam factos ob oculos posuimus. Neque enim ante eam anathema erat, vel jacturam salutis patiebatur, si quis nec plura nec pauciora sacramenta, quàm septem, diceret; vel Iohannis baptismo effectum remissionis peccatorum tribueret; vel characterem non poneret; vel Confirmationis ministrum non modò episcopum, sed etiam presbyterum admitteret. Annon accessus siue additiones sunt, quas fecisse Hildebrandum ostendimus? Annon accessus est, quum apud Gratianum is ipse dicit, *Peccatum paganitatis*, id est, infidelitatis, vt exponit Glossa, *incurrit, quisquis dum Christianum se adserit, sedi Apostolicæ obedire contemnit:* aut quum Bonifacius IIX *dicit, definit & pronunciat, subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ omnino esse de necessitate salutis?* Si quæ de efficaciâ gratiæ, determinationibus diuinis, & prædestinatione inter Dominicanos & Iesuitas hodie agitantur controuersiæ, in alterutram
Dist. 81. can. 15.
C. Vnam sanctam. de maior. & obed.

V par-

partem Pontifex determinet, quòd ab eo dudum petitum fuit & exspectatum; aut de conceptione Virginis Θεοτόκου pro Franciscanis, quò sanè propendere admodum videtur, contra Dominicanos pronunciet, nonne erit accessio, cui adsensus, & quidẽ fide, qualis diuinis reuelationibus debetur, præbendus, aut salute carendũ?

CXIII. Dicetis fortè, additiones & determinationes Pontificias non eo esse loco, vt absque detrimento & jacturâ salutis ignorari nequeant, sed negari vel impugnari non posse sine certo exitio. Necessarium igitur esse ad salutem non quidem additiones illas habere cognitas & adsensu amplecti, sed saltem non reijcere, si proponantur & in notitiam deducantur. Hic sanè occurrunt & complicantur nonnulla, quæ sine consideratione non oportet prætermitti. Primùm enim non scio quâm verè ex ipsorummet Pontificũ sententiâ id dicatur. Nempe juxta decretum Pij quarti, publicam PROFESSIONEM FIDEI facere, & juramento confirmare tenentur, *qui cathedralibus & superioribus ecclesiis præficiuntur, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & alijs quibuscumq; beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, prouideri contingit*; item *quicumque, quibus de monasteriis, conuentibus, domibus, & aliis quibuscumq; locis regularium quorumcumq; Ordinum, etiam militarium, quocumq; nomine vel titulo prouidetur.* Hi igitur omnes eâ in professione præscriptis hisce vtuntur verbis: *Profiteor, septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis à Iesu Christo, domino nostro, instituta. — Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de Iustificatione in sacro sanctâ Tridentinâ synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. — Cætera item omnia à sacris canonicis & œcumenicis conciliis, ac præcipuè à sacrosanctâ Tridentinâ synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio*

atq;

atque profiteor. — Hanc veram catholicam fidem, EXTRA QVAM NEMO SALVVS ESSE POTEST, quam in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo, eamdem integram & inuiolatam vsq; ad extremum vitæ spiritum constantissimè retinere — spondeo, voueo ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. Hæc sanè fidem istorum omnium satis explicitam exigunt; & quoniam dicitur, *extra hanc neminem saluum esse posse,* eamdem non modò ab ecclesiasticis illis & religiosis, sed ab omnibus saluandis exigere videntur. Quod etiam nisi fuerit, alia fides ad salutem necessaria erit ecclesiasticis & religiosis, alia laicis & secularibus.

CXIV. Deinde non adsequor, quomodo adsertio ad salutem non sit necessaria, si necessarium sit propositam neque negare, neque in dubium vocare; capiendo hîc affirmare, negare, dubitare, vt intellectum afficiunt. De falsitate sanè negantis certò constare non solet, nisi constet de veritate oppositæ affirmantis. Nempe in certitudine affirmati veri fundatur certitudo negandi falsi. Ita scio falsum esse si dicatur, *Homo non est risibilis*; quòd verum sit *risibilem esse*. Et si non teneor affirmare, *quòd sit risibilis*, quomodo tenebor non-negare? AEquipollent enim, *Est risibilis*; & *Non est non risibilis.* Nisi fortè negatio prohibeatur non ad liberandum ab errore intellectum, sed in honorem & reuerentiam ejus qui affirmat, siue ne ejus imminuatur dignitas & existimatio. Quomodo sine dubio hîc sese res habet: atque eatenus ad voluntatem refertur, & externum potiùs actum concernit, quàm internum. Quà actum verò internum tripliciter se habere potest intellectus circa aliquam sibi propositam enunciationem. nam si penitus ignoret, vtpote numquam oblatam vel proposi-

 tam,

tam, nullum circa eam actum exercet. At si factâ propositione concipiat quid enuncietur, aut recipit siue affirmat, aut reijcit siue negat, aut dubitat siue hæret suspensus. Definitio autem Pontificia proposita, absque dispendio salutis neque negari poterit, neque in dubium vocari. Si penitus ignoretur, aut etiam si propositam homo rudis intelligere & concipere nequeat, vtrumque innoxium esse, vt puto, largientur: cognitam verò reijcere vel in dubio ponere, minimè. Inter genuinos igitur articulos fidei & definitiones Pontificias juxta nonnullorum hypotheses id fuerit discriminis, quòd hæ sine jacturâ salutis simpliciter ignorari possint, non autem illi. Fides enim in Filium Dei pro nobis hominem factum, cum quâ cæteri articuli necessariâ quadam habitudine sunt connexi, ad salutem exigitur necessitate medij: & proinde absque eâ nemo seruari potest. Qui verò Pontificij fidem ejusmodi explicitam non requirunt, aut an requiratur dubitant, quos neque paucos neque nullius nominis esse alibi ostendimus, tantumdem tribuunt definitionibus Pontificiis, quantum articulis fidei: nempe etiamsi non necessariò credantur fide explicitâ, nihilominus implicitâ; nec, factâ propositione habendæ cognitioni idoneâ, negari vel in dubium trahi citra damnationis reatum posse. Hinc docent Canonistæ, Papam posse inducere nouos articulos, *ad cap. Cùm Christus, Extra De hæreticis.* Et Leo decimus damnat hanc Lutheri propositionem, *Certum est in manu ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei.*

CXV. Vlteriùs, Si Pontifex proponat definitionem, quæ tamen nec è Scripturâ nec è consensu primæ priscæque ecclesiæ pòssit deduci vel euinci, verbi gratiâ, *Septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora; Canem, qui consecra-*

ſecratum panem deuoret, deuorare ipſum corpus Chriſti; Beatiſſimam virginem ſine originali peccato conceptam eſſe; quum hæc, inquam, ab eo, cui definitio Pontificia innotuerit, neceſſariò ſint credenda, (neque enim poſt factam propoſitionem ad cognoſcendum ſufficientem dubitationi innoxiæ locum relinquunt) & quidem fide diuinâ; nihil autem eo modo credi poſſit, niſi per ſingularem diuinam gratiam, quâ mens ad præbendum adſenſum, nullâ alias demonſtratione vel euidentiâ fultum, diuinitus eleuetur: quæro ego, num ſuis definitionibus hanc ad adſentiendum neceſſariam gratiam addere poſſit Pontifex, vel jungere? Deus ſuo verbo eam addit & jungit: & proinde quod verbo Dei dilucidè exprimitur, aut ex eo dilucidè & euidenter deducitur, virtute & efficaciâ diuinæ diuino verbo junctæ gratiæ creditur. Pontifex igitur aut definitiones ſuas è verbo Dei (cui conſonus eſt vnanimis primitiuæ eccleſiæ conſenſus) deducat, vt videre poſſimus; aut ſe nouo verbo ſiue nouis reuelationibus niti fateatur; aut quomodo vel ei, quod verbum Dei non eſt, diuina gratia jungatur, vel quidquam ſine diuinâ gratiâ tamquam diuinum verbum diuinâ fide credi ſiue poſſit ſiue debeat, exponat.

CXVI. Sicut autem æternam beatitudinem dare eſt ſolius Dei, ita quoque media ei obtinendæ ordinare, & proinde quid credendum ſit, præſcribere & exigere. Quoniam itaque Deo placuit, vt fides in Chriſtũ eiuſmodi medium eſſet, viciſſim, quæ ad hanc ipſam conſequendam faciant, ordinat & largitur media ſiue auxilia, tum externa, miniſteriũ videlicet euangelicum & doctores, à quibus proponatur, prædicetur & explicetur, tum interna, qualia ſunt gratia & operatio Sancti ſpiritus, cujus virtute quod docetur, credatur; & cui

 niſi

nisi homines resistant & obnitantur, quod Iudæis im-
Act. 7, 51. properat sanctus Stephanus, participes fidei euadant. Solius igitur etiam est Dei fidem, præsertim quod actum ejus internum attinet, mandare, & mandando exigere. Ecclesia per homines, id est, ministros & doctores euangelij, hoc Dei mandatum hominibus proponit; quid ille credi velit ac jubeat, exponit; atque ita docendo & instruendo media obtinendæ fidei necessaria applicat: ipsa vero de suo nihil hîc mandat, nec quid interno actu fidei credi debeat, imperat, sed ministerio suo diuinum mandatum inculcat: externos tamen actus aliquos ad internum facientes præscribere potest & injungere, quales sunt symbolum memoriæ mandare, orthodoxas formulas vsurpare, à suspectis, ambiguis, & per quas veritati periculum creari queat, abstinere.

CXVII. Hinc etiam soluitur objectio vestra,
Sectione 2. num. 6. Domini Moguntini, siue quæstio, quâ quæritis, Si illud Symbolum fidei, quod mihi ad salutem sufficiat, credam esse doctrinam à Deo reuelatam; an ipsam immediatâ reuelatione hauserim à Deo, an verò per homines? Prius non dicet *Calixtus, inquitis*, nisi demens, & sibi contrarius. Si ab homine; is ne fallibis est auctoritatis, an infallibilis? Si primum; Ergo tota eius fides incerta est. Ergo & Symbolũ illud non potest credi tamquam à Deo reuelatum. Paullò ante dixeratis:
Numero 5. Nemo prudenter vult credere, nisi videat esse credendum propter infallibilem proponentis auctoritatem. Miror equidem vos ita loqui & argumentari. Vniuersalis qui-
1Tim. 3,15. dem Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, & in necessariis ad salutem non errat. Sed hoc ipsum de illâ non nisi ex Scripturâ cognoscitur: nec illa, quod credendum est, proponit nisi per particularem aliquam ecclesiam, aut etiam per particularem aliquem hominem. Quomodo autem vel ista vel iste sit auctoritatis

infal-

infallibilis? *Ergo*, infertis, *tota fides incerta est; & Symbolum non potest credi tamquam à Deo reuelatum.* Nego consequentiam. nam Deus ipse gratiâ suâ & suo Spiritu cum suo verbo & per suum verbum efficax, in animo credentis testimonium perhibet infallibile. Hinc itaque, quòd symboli doctrina, quæ summam verbi diuini & fidei complectitur, quamuis ab hominibus fallibilibus proposita, infallibili tamen fide creditur. Miror hoc Vos ignorare: discite saltem à doctoribus vestris, si ab aliis non vultis. Thomas Secundâ secundæ, quæst. 11, art. IX ad tertium ita scribit: *Ille qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendum. Inducitur enim auctoritate diuina doctrinæ miraculis confirmatæ; &, quod plus est, interiore instinctu Dei inuitantis.* Repetiit Dionysius Carthusianus Summâ fidei orthodoxæ, libro 11, art. XI. Melchior Canus de Locis Theologicis libro 11, cap. IIX: *Externæ omnes & humanæ persuasiones non sunt satis ad credendum, quantumcumque ab hominibus competenter ea, quæ sunt fidei, proponantur. Sed necessaria est insuper caussa interior, hoc est, diuinum quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidem interni, Dei beneficio ad credendum dati.* Rursus: *Articulo, Deus est trinus; & huic, Ecclesia non potest errare, & cæteris vniuersis doctrinæ Christianæ principiis adsentior per infusam fidem, non quòd Iohannes dixerit, aut quiuis alius homo, sed quòd Deus reuelauerit: huic autem, Deus reuelauit, immediatè credo à Deo motus per instinctum specialem.* Cardinalis Hosius Confessione fidei, scripta synodi Petricouiensis nomine cap. XVI: *Nos libenter concedimus, accipienda esse Euangelia, vt verba Dei intus docentis & reuelantis, neque credendum illis esse, nisi propter Dei vocem intus loquentis.* Vultis etiam Iesuitas? Dabimus. Cardinalis Toletus in caput V Euangelij Iohannis, annot. XXXIIX: *Habet quidem fides probationes pro his, qui*

nondum

nondum credunt: tamen neque hæ necessaria sunt, sicut demonstrationes scientiarum; nec qui credunt, propter eas credunt, sed propter lumen fidei à Deo infusum, intellectum inclinante ad adsensum. Alfonsus Salmero tomo IIX, tractatu III: *Ante omnia statuendum est, Deum suâ omnipotenti virtute, fidei lucernam in cordibus hominum accendisse, & per illam homines illuminasse, lumenq; illud fidei fortissimè seruasse, ut nihil in illud potuerint aut dæmones, aut mundus, aut caro, aut hæretici, sed inuictum & viuum permansisse, imò per disceptationes, & tentationes, mirabili prouidentiâ immissas aut permissas, auctum & locupletatum: de quo testatur dilectus discipulus: Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: nimirum testificans de veritate dogmatum fidei, & quòd à Deo profecta sunt.— Huic igitur diuinæ virtuti intus secretè operanti, fides Christianæ religionis omnino adscribenda est potissimum.* Nicolaus Serarius Prolegomenωn Bibliacorum cap. VII, quæst. V: *Deus in omni actu, quo sacrarum literarum creditur auctoritas, cuilibet in corde priuatum testimonium de illâ auctoritate perhibet.* Franciscus Suarez Tractatu de Fide, disp. III. sectione XII: *In actu exercito dum Deus aliquid dicit, quasi per intrinsecam reflexionem eiusdem actus in seipsum, dicit se dicere. — Hoc ergo modo diuinum verbum & rem dictam & seipsum dicit; & hac ratione per fidem infusam creditur, non per resolutionem in aliud verbum, sed per seipsum.* Gregorius de Valentia in Secundam secundæ, disputatione I, quæstione I; puncto IV; & in Analysi libro I, cap. XV: *Doctrina Christiana etsi est scripta verbis simplicibus, & caret fere artificio orationis & ornamentis: nihilominus ita vehementer lectoris mentem commonet, vt alia nulla doctrina. Quod argumento est, illius auctoritatem omnino diuinam esse, non humanam.* Idem, qui decem & septem ad fidem Christianam inducentia argumenta proposuerat, illis omnibus subjungit deci-

decimum octauum, quod ita habet: *Quum hactenus eiusmodi argumenta pro auctoritate Christianæ doctrinæ fecerimus, quæ per se ipsa satis prudentibus esse debeant, vt omnia animum inducant velle credere, tamen nescio, an non sit argumentum iis omnibus maius, quòd qui verè Christiani sunt ita se animo affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, vt præcipuè quidem propter nullum argumentum, quòd vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud, nescio quid, quod alio quodam modo & longè fortiùs, quàm vlla argumenta, animis nostris persuadet, (est autem id reuera diuinum ipsum testimonium) ad firmiter credendum moueri se intelligant.* Prudenter hæc scripsisse Valentiam adseuerat Adamus Tannerus Theologiæ Scholasticæ tomo III, disp. I, quæst, II, dubio III,

CXIIX. Sunt & alia scripta, de quibus credi meritò deberet, Vobis esse cognitissima. Catechismus ex decreto concilij Tridentini ad Parochos jussu Pij V editus, sub initium, vbi incipit explicare Symbolum: *Omnia, quæ Christianæ fidei disciplinâ tenenda sunt, siue ad Dei cognitionem, siue ad mundi creationem & gubernationem, siue ad humani generis redemtionem spectent, siue ad bonorum præmia, & malorum pœnas pertineant, Symboli doctrinâ continentur.* Deinde post aliqua: *CREDENDI vox hoc loco* putare, existimare, opinari *non significat, sed, vt docent sacræ literæ, certissimæ assensionis vim habet, quâ mens Deo, sua mysteria aperienti, firmè constanterq; assentitur. Quamobrem is credit, cui aliquid sine vllâ hæsitatione certum, & persuasum est. Neque verò existimare quisquam debet, fidei notitiam minùs certam esse, quòd ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit. etenim diuinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem non afferat, nos tamen de his dubitare non sinit. Deus enim, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus no-*

ſtris, vt non ſit nobis opertum euangelium, ſicut ijs qui pereunt. Inſtitutio ad pietatem Chriſtianam ex decreto concilij Moguntini anno cIↄ Iↄ XLIX ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo celebrati conſcripta, eodemque anno ibidem edita, itidem ſub initium ab explicatione Symboli factum: *Catechiſta autem imbuit ſermone, oſtendens ex Scripturis ſanctis, quid nos de Deo credere, quid ſentire oporteat. Deus internâ Spiritus ſui vnctione mentem intus demulcet, tenaciter infigens ei verbum per aurem acceptum; vt iam ſine haſitatione aſſentiamus verbo Catechiſtæ, & credamus veriſſima eſſe, quæ de Deo diuina eloquia prodiderunt.* Tandem, vt ſpero, intelligitis, quænam ſit illa infallibilis auctoritas, quâ permoti credimus Symbolum tamquam à Deo reuelatum; vt apud fallibiles homines eam quærere deſinatis.

CXIX. Incidebamus paullò ante in mentionem fidei implicitæ, magni ignorantiæ, quam Pontifices inter ſuos, præſertim in Italiâ & Hiſpaniâ, fouent, præſidij; nec à Vobis, Domini Moguntini, penitus neglecti. (Sectione 1, num. 9.) Dico autem Pontificiam implicitam fidem nullam eſſe fidem, & quantum auctoritatem Eccleſiæ & Pontificis extollat, tantum veram fidem deprimere & imminuere. Implicita verò fides dupliciter intelligi poteſt eſſe implicita; aut quia enunciatio quædam cognita includit virtute vnam vel plures, idque vel ſecundum naturam rei, ſi ea ſit ex cenſu naturalium; vel ſecundum propoſitum & ordinationem peculiarem diuinam, ſi inde pendeat: aut quia implicatur in alterius fide, vt ſi dicas, te credere quidquid credat Petrus. Prioris exemplum juxta vnum membrum fuerit; Enunciatio *Homo eſt rationalis*, virtute includit has, *Homo præditus eſt animâ immortali*, item *intellectu & voluntate, eſt riſibilis, aptus numerare, capax diſciplinarum.* Qui nouit primam, elicere ex eâ poteſt reliquas:

liquas: non tamen eo ipso, quo cognitam habet primam, actu etiam nouit reliquas, sed tantùm virtute, quam contingere pôtest in actum numquam educi. Exemplum juxta alterum membrum: Tempore Veteris testamenti vera erat hæc enunciatio, *Messias veniet & homines redimet.* Hæc secundum Dei propositum ac ordinationem inuoluebat siue implicabat istas, *Messias erit ipse vnigenitus Dei Filius, patietur, morietur, resurget, adscendet in cælos, inde redibit ad iudicandos viuos & mortuos.* Non tamen quisquis primæ, is etiam reliquarum notitiâ & fide prædi̇tus erat. Etiamsi igitur vtrobique prima inuoluat siue implicet reliquas; harum tamen intuitu nondum ponitur cognitio vel adsensus, sine quibus fides esse non potest. Ergo si datâ cognitione vel fide explicitâ primarum, hoc ipso ponas cognitionem vel fidem implicitam reliquarum, dico eam cognitionem vel fidem non nisi æquiuocè & solo nomine cognitionem vel fidem, reapse autem adhuc ignorantiam esse. Commodiores erunt appellationes, si cognitionem dixeris confusam vel distinctam, imperfectam vel perfectam. Nempe si tantùm primas noueris, confusam & imperfectam habes cognitionem hominis & Messiæ; si reliquas & quæ præterea eò pertinent, distinctam & perfectam. Quamdiu tamen solas primas nosti, reliquarum nullâ adhuc cognitione, si propriè loquamur, polles, sed ignorantiâ teneris: quæ, si non opus sit nosse, simplex fuerit & in merâ cognitionis negatione sita; sin, in priuatione, & proinde damnabilis.

CXX. Posterioris generis, cujus est Pontificia implicita fides, magis adhuc est ignorantia. Loquimur autem hîc de fide, prout de essentiâ fidei est nosse & adsentiri. Fiduciam enim hîc considerari nihil opus est.

 Impli-

Implicita igitur fides implicat contradictionem in adjecto. nam si fides est, notitiam & adsensum includit: sed si implicita, tum excludit. Diceris enim implicitâ fide credere, quod alius, cui plurimum tribuis, nouit, tute verò non nosti. Meminimus autem verborum Catechismi Tridentini, non ita pridem productorum: *Credendi vox certissimæ adsensionis vim habet, quâ mens Deo sua mysteria aperienti firmè constanterq; adsentitur.* Adsensus determinat intellectum ad vnam partem, & supponit enunciationis, cui præbetur, conceptum vel apprehensionem, quæ non potest esse, nisi objecto menti proposito & præsente. At hîc objectum, quod fide implicitâ credi dicitur, menti non offertur, non apprehenditur, non cognoscitur, & proinde nullo adsensu mens ad id determinatur. Iacobus Andradius Defensionis concilij Tridentini libro secundo sub finem: *Qui Ecclesiæ firmitatem & integritatem credit, multa etiam implicitâ fide prosequi debet, de quibus neq; cogitat quidem vmquam.* Suarez Tractatu de Fide, disp. 11, sect. VI, num. 11: *Quod implicitè creditur, reuera non cognoscitur, neque intellectus format proprium conceptum propositionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur.* Ergo, inquam, fides implicita, nec vniuocè, nec analogicè (nullo enim modo essentiam & definitionem fidei participat) fides est, sed tantùm æquiuocè. Dices, Nihilominus qui implicitè credere dicitur, ponitur paratus esse ad credendum, modò objectum proponatur, atque adeo in potentiâ proximâ. Respondeo, propterea non magis potest hic dici credere, quàm videre aliquod objectum is, qui actu non videat, quippe nondum oblatum aut præsens, sed sit in potentiâ ad videndum, quantumuis proximâ. Esto arca, in quâ clausâ seruentur imagines Imperatorum, Regum, Principum. Num visâ

arcâ

arca dicere possum me implicitè videre omnes illas imagines? Quale hîc videre, tale ibi credere, nempe vtrobique nullum. Alioquin ad credendum omne id, siue ad non-dissentiendum ab vllo vero, quod perspicuè ob oculos aliquando ponetur & demonstrabitur, vnusquisque lege naturæ tenetur, & promtus esse debet. Eodem itaque sensu dicendum fuerit, id omne implicitâ fide credi. Et juxta hypotheses Pontificias, pari fide implicitâ creduntur enunciationes, quæ definitæ sunt, & quæ non sunt definitæ, sed definiri possent, etiamsi numquam definiantur. Vtrasque videlicet Pontificius implicitè credens ignorat, paratus tamen ad credendum.

CXXI. Hæc igitur implicita fides, quoniam nullius in intellectu est operationis, ipsa quoque nihil est: certè in intellectu non est. Si quid est, ad voluntatem referri oportet, nempe voluntatem tuam sic alteri se subijcere, vt quidquid ille credit, hoc etiam ipse velis credere. Voluntas quidem actus suos alteri potest transscribere, & quod alius acturus, ratum habere, vt perinde sit quasi egeris ipse: censeris enim in aliquo negocio voluisse & egisse, quidquid tuo nomine voluit & egit, cui totum commisisti: sed voluntatem pari modo actus intellectus alteri posse transscribere, vt quidquid alter cognoscit & credit, hoc etiam ipse cognoscere & credere censearis, minimè fit verosimile. Cur enim, etiamsi philosophiæ & medicinæ penitus ignarus fueris, dicendo te credere & adsentiri omnibus iis, quæ ille vel iste eximius philosophus aut medicus nouit, eximius itidem philosophus & medicus non habearis? nam par est ratio. Si non potes haberi medicus, nisi necessaria medico verè & explicitè cognita habeas; nec

poteris esse Christianus, nisi necessaria Christiano fide explicitâ, quæ sola vera est fides, & non tantùm implicitâ, quæ mera est ignorantia, noueris. Quæ itaque fide non nisi implicitâ creduntur, id est, nesciuntur, aut Christiano hac fini, vt verus Christianus & fidelis sit, & finem fidei salutem animæ obtineat, necessaria nô sunt; aut implicitâ tantùm fide credi, non sufficit. Inter multa parum recta hoc tamen rectè â Vobis dictum Domini Moguntini, *Quum quorumdam articulorum fides explicita sit necessaria ad salutem tamquam medium, eorum etiam simplex inscitia æternùm damnat.* Quæritur itaque, quinam sint illi articuli? Quàm restrinxerint præcipui apud Vos Theologi, tum vetustiores tum recentiores multi, exclusis ipsis etiam symboli Apostolici articulis, pridem ostensum, vt de Canonistis & Summistis nihil dicam. Quos tamen si lubet audire, licet.

Sectione 1, num. 11.

CXXII. Glossa in rubricam primi tituli Decretalium, De summâ Trinitate & fide catholicâ: *Principales articuli fidei nostræ sunt VII, quos quilibet Christianus scire tenetur, Clerici explicitè, Laici implicitè, & credere sicut tenet ecclesia; & sunt hi: Incarnatio siue natiuitas, baptismus, passio Christi siue mors eius, descensus ad inferos, resurrectio, adscensus in cælum, aduentus ad iudicium.* Panormitanus in eamdem rubricam: *Implicitè scire est credere secundum quod ecclesia credit, ita quod suam fidem submittit fidei ecclesiæ.* Addit ex Innocentio, quarto scilicet ejus nominis Pontifice, qui in Decretales commentatus fuit: *Laici adulti debent credere vnum esse Deum, remuneratorem omnium; & credere articulos fidei implicitè.* Sed fortè satius fuerit ipsum audire Innocentium hîc commentantem. *De fide teneas,* inquit, *quia quædam est fidei mensura, ad quam quilibet tenetur, & quæ sufficit simplicibus & etiam fortè omnibus laicis, scilicet, quia oportet*

portet quemlibet adultum accedentem ad Deum credere, quia Deus est, & quod est remunerator omnium bonorum. Item oportet omnes alios articulos credere implicitè, hoc est, credere verum esse, quidquid credit Ecclesia catholica. Hanc autem mensuram excedere debent Prælati ecclesiarum, quicumq; curam animarum habent, quia debent scire articulos fidei explicitè, & distinctè, qui continentur in symbolo, scilicet, Credo in vnum Deum, &, Quicumq; vult. Episcopi etiam plus scire debent: quia de eis scire debent reddere rationem omni poscenti. — De clericis autem inferioribus satis videtur, quòd si essent pauperes, qui non possent intendere studio, quia non habent magistros vel expensas, quia oportet eos propriis manibus quærere victum, quòd eis sufficiat scire sicut simplicibus laicis, & aliquantulum plus, sicut de sacramento altaris. — In tantum autem valet implicita fides, vt dicunt quidam, quòd si aliquis eam habet, scilicet si credit, quod Ecclesia credit, sed falsò opinatur ratione naturali motus, quod Pater maior vel prior sit Filio, vel quòd tres personæ sunt tres res à se inuicem distinctæ; quòd non est hæreticus, nec peccat, dummodo hunc errorem suum non defendat; & hoc ipsum credat, quia credit Ecclesiam sic credere; & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponat: quia licet sic malè opinetur, tamen non est illa fides sua, imò fides sua fides est Ecclesiæ. Hæc Innocentius, qui ipse aliquando Pontifex fuit. Sequitur & tantum non exscribit Baptista Trouamala, Summâ suâ Rosellâ, voce *Fides.* Ad quam Angelus de Clauasio docet, errorem circa fidem aliquando esse meritorium, aliquando cum peccato veniali, aliquando cum mortali. Meritorius est secundum ipsum, *quando aliquis audit aliquem prædicatorem famosum vel episcopum prædicasse aliquem errorem; & simplex credit animo obediendi fidei, paratus tamen corrigi.* Cum peccato veniali, *vt vetula credit Trinitatem esse vnam feminam: & quia credit Ecclesiam sic tenere, sic credit; & tamen non est hæ-*

est hæretica, quia conditionaliter credit, Si ecclesia sic tenet & credit. Cum mortali, *quando homo scienter credit contra articulos fidei vel determinationem ecclesiæ.* Hæc Angelus in
Lib. 3 adv. Proleg. Brentij. Angelicâ summa. Carbonario Cardinalis Hosij, ne eum prætereamus, parum aut nihil cum fide implicitâ est commune. Ille enim *rogatus quid crederet, Symbolum recitauit. Quum porrò interrogaretur, quid præterea crederet, respondit, Quod ecclesia credit.* Rursus interrogatus, *Quid credit ecclesia? Quod ego, inquit, credo. Quumq; subinde interrogaretur, circulo hoc vsus est: — nec aliud ab illo elici potuit.* Potuisset simpliciùs & magis perspicuè respondere, Quod credenda attineat, Symbolum sibi sufficere: cætera, consequentia scilicet, & appendices, se ignorare; vti reuera ignorabat: nec ad se magnopere pertinere. Malè enim ignorantiam suam ecclesiæ affricat, dum dicit de talibus, idem eam credere, quod crederet ipse, qui nihil credebat, sed omnia ignorabat.

CXXIII. Manifestum autem est à Canonistis quales adduximus, Christianos formari, inter quos & paganos, quod cognitionem mysteriorum attinet, vix vllum sit discrimen, nisi quantum suppeditet fides implicita, quum profitetur homo, se credere quidquid credat ecclesia: quod ab ignorantiâ, quâ laborant pagani, qui
Ephes. 2, 12. 4, 18. absque Christo & absque Deo sunt in mundo, tenebris obscuratum habentes intellectum, parum differre certum est. Si tamen auctori Directorij Inquisitorum Nicolao Eymerico credimus, à Gregorio XI tamquam hæresis habita & damnata est adsertio, *Quòd laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicitè credendum: sed sufficit sibi ista conclusio in genere, Quòd credat omne illud, quod credit sancta mater Ecclesia.* Ad quem tamen vel ad quos articulos explicitè credendos teneatur, non addit. Fortè

non

non defuerunt eo tempore, qui ne quidem necessitatem credendi Deum esse & remuneratorem esse, (quod Canonistæ nihilominus faciunt) admiserint: vt his censuram suam opposuerit Pontifex. Alioquin agnoscit Suarez, *si non sit necessarium articulos omnes credere, fere non esse rationem maiorem de vno, quàm de alio.* Lubet autem quærere, cur malint dicere, Credendum esse quidquid credit Ecclesia; quàm, quidquid docet Scriptura canonica; vel, quidquid credidit primitiua Apostolica ecclesia? Fortè dicent, Quid doceat Scriptura, quid crediderit prima ecclesia, illos implicitæ fidei homines ignorare. Sed iidem, vt habet hypothesis, etiam ignorant, quid doceat ecclesia. Ecclesiam tamen hodiernam ejusque Prælatos extolli oportet, quidquid fiat de Scripturâ, & de priscâ ecclesiâ. Obseruant etiam sine dubio, hodiernam suam ecclesiam docere, quæ nec Scriptura tradat, nec prisca ecclesia docuerit.

De Fide, disput. 15. sect. 4. § 1.

CXXIV. Iubent itaque suos credere, quidquid credat hodierna ecclesia. Ea vtique hominibus constat, qui in viuis sunt. Num itaq; jubentur credere quidquid credunt homines, quicumque in ecclesiâ sunt? Tum sanè nimis varia & pugnantia credent. Vel quidquid credunt, qui in ecclesiâ orthodoxi sunt & rectè sentiunt? Sed quinam sunt, & vbi sunt illi? Reijcere igitur oportet fidem tuam in eos, quos ipse nescias. (Si ageretur de verâ & explicitâ fide, rectè diceretur, Credendum esse, in quo credendo consentiunt omnes per totum orbem Christiani: idque, nisi hodie admodum incertum & exploratu difficilimum esset, quamdam regulam siue quoddam principium suppeditaret, quo probari veritas doctrinæ posset.) Vel denique num jubentur credere, quidquid credit caput & sponsus ille

ecclesiæ, *planè supremum in terrâ numen*, Romanus pontifex? At ille aliquando est aut esse potest hæreticus, vt plerique fatentur; aliquando *nullum credit Deum, & omne infidelitatis culmen excedit*, quemadmodum de Alexandro VI scripsit Iohannes Franciscus Picus Mirandulanus, De fide & ordine credendi theoremate IV. Gretserus tamen Defensionis Bellarmini tomo I, libro III, cap. X, *Per Ecclesiam*, inquit, *quando Ecclesiam dicimus esse omnium controuersiarum fidei iudicem, intelligimus Pontificem Romanum, qui pro tempore præsens nauiculam militantis ecclesiæ moderatur ac gubernat*. Loquitur ille quidem de judice: sed quum Ecclesia sit quoddam aggregatum ex innumeris hominibus, tuque dicas, Te credere quidquid credat ecclesia; nec tamen credere possis, quidquid credunt quicumque in ecclesiâ sunt; necesse autem sit te tandem constituere, quorum fidem fidei tuæ normam, ad quam à Deo ipso eam exigi aliquando velis, facias: haut temerè inueniri alius poterit, cujus fidei tua implicita fides incumbat, præter Romanum pontificem. Dices igitur, te credere, non quidem quidquid credat Pontifex, vt ejusmodi singularis est persona, sed quidquid vt monarcha ecclesiæ (ita eum vocat Iohannes Busæus) è cathedrâ definiat. At ille fortè nihil adhuc definiuit. Definiuerunt tamen eius decessores plurima. Ita à viuis transitur ad mortuos, & ad rem ab ecclesiâ diuersam. Neque enim rescripta & decreta Pontificum sunt ecclesia: Sed ea omnia recipit hodierna Pontificia ecclesia. Quicumque igitur implicitâ fide credit, quidquid hodierna ecclesia, ille credit quidquid decretis & responsis Pontificum, quæ vmquam fuerunt, continetur; quamquam quid id sit, æquè norit cum ignarissimis; paratus videlicet amplecti, & non contradicere, modò propo-

Præfat. in P. Blesen.

proponatur & innotescat. Ita nihilominus res tandem in auctoritatem Pontificiam reuoluitur. Nempe parum apud plerosque refert Christum ignorari: sed definitioni Pontificis siue viui siue mortui absque jacturâ salutis non potest contradici. Si vero rescripta & decreta Pontificia tanti sunt, æquum fuisset ea majore sollicitudine conseruari & ad posteros propagari. nam olim satis negligenter habita fuisse, testantur labores eorum, qui vltimo æuo & nostrâ ætate colligendis operam dederunt. Quis nosset Gregorium XI definiuisse, *Si hostia consecrata in locum immundum projiciatur, à mure rodatur, à cane deuoretur, eodem projici, & rodi & deuorari ipsum corpus Christi*; nisi Directorio suo inseruisset Eymericus? Quis scit, quod articulum illum fidei Tannerinum de cane Tobiæ, cujus suprà facta est mentio, attinet, annon Pontifex aliquis definierit, Cani illi caudã fuisse? Ratio dubitandi esse potuit, quòd reducem canem *blandimento caudæ suæ gauisum esse* in textu latino habeatur, in græco omittatur. Siue verò definiuerit, siue adhuc aliquando definiat, vix poterit esse dubiũ, quin pro latino textu & caudâ canis sit pronunciaturus. Quali definitione positâ, hactenus quidem *canem Tobiæ caudatum fuisse* implicitâ fide credetur, id est, sine periculo ignorabitur; sed si innotuerit definitio, negari sine dispendio salutis non poterit.

Num. 71. Tob. 11, 9.

CXXV. Cæterùm implicitam fidem satis, vt puto, examinauimus, siue etiam exagitauimus, denique eliminauimus. Sufficientiam item symboli Apostolici satis dilucidè, nisi fallor, ob oculos posuimus. Propiùs tandem aliquando ad nostrum negocium accedamus. Vos, Domini Moguntini, quemadmodum alieni estis à concordiâ ecclesiasticâ, ita quoque à mediis ad eam facien-

facientibus; quorum ego si non primum & præcipuum, at certè non infimum esse judicaui eruditorum & moderatorum hominum collationes siue colloquia. Dicitis, Certè res ipsa loquitur, & testatissima Germaniæ experientia, vel irrita semper fuisse id genus colloquia, vel perniciosa ferè sanctitati. Quomodo verò perniciosa sanctitati? Qui sanctus est, & de veritate certus, non turbabitur aut contaminabitur profanis aliorum erroribus: at qui profanus est & à veritate aberrat, sanctorum & rectiora sentientium operâ & commercio emendari poterit. Nec planè verum fuerit, *irrita semper fuisse eiusmodi colloquia*; quamuis per ea ad vltimum, qui intenditur & desideratur, finem nondum sit peruentum. In colloquio Augustæ, anno superioris seculi xxx, inter septenos vtrimque delectos habito magna apparuit de non paucis neque minimi momenti rebus concordiæ spes: neque nulla Ratisbonæ, anno cIↃ IↃ XLI. Quòd si autem de eo, quod primis non successit conatibus, planè desperandum, abrumpendi quoque erunt, quod Deus tamen auertat, tractatus, qui hodie de pace Germaniæ restaurandâ Monasterij & Osnabrugæ cœpti sunt, & calamitosissimum ac perniciosissimum bellum cum miserabili communis patriæ exitio continuandum. nam consilia hactenus agitata aluerunt potiùs, quàm exstinxerunt.

Sectione 1, num. 4. (margin note beside "Dicitis")

CXXVI. Additis, me non posse ignorare, omnes Prælatos & Doctores Germaniæ catholicos, sacramenti votique nexu se Rom. Pontifici deuinxisse, vitamque & sanguinem malle, quam vel tantillum de fide Romanâ deperdere. Sanè notum est mihi Iuramentum professionis fidei, quod ex præscripto Pij quarti præstatur, de quo superiùs: notum quoque mihi est ex Pontificali Romano juramen-

Sectione 1, num. 10. (margin note beside "CXXVI")

Num. 113. (margin note beside "superiùs")

ramentum, per quod qui episcopi ordinantur, se Pontifici obligant, non absimile ei, quo vasalli ligij suis dominis obligantur. Non jurant se propagare & propugnare velle veritatem euangelij & religionis Christianæ, sed inter cætera, *Non ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra, vel præiudicialia, personarum, iuris, honoris, status, & potestatis eorum, machinentur. Et si talia à quibuscumq; tractari vel procurari nouero, impediam hoc pro posse, & quanto citiùs potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam peruenire &c. — Hæreticos, Schismaticos, & rebelles eidem Domino nostro, vel Successoribus prædictis, pro posse persequar & impugnabo.* Respondeo breuiter, Iuramentum non debere esse vinculum iniquitatis. Quod doctrinam, in quam jurasti, attinet, si de veritate ejus, quum jurares, persuasus fuisti, bene habet. Sin postea euidenter tibi demonstretur, quædam eius capita manifestâ falsitate laborare, juramento ad retinendum aut propugnandum errorem, de quo in conscientiâ conuictus fueris, non teneris. Pariter vbi constiterit, Pontificem sibi arrogare potestatem indebitam, tyrannicam; subditos contra legitimum Principem ad rebellionem & perfidiam incitare, aut etiam censuris compellere; infallibilitatem ejus nullam esse: vbi, inquam, de talibus constiterit, ad ejusmodi potestatem vel infallibilitatem adserendam, vel facta probanda nullum juramentum, quod aliquando talium ignarus præstiteris, te adigit. Per *hæreticos & schismaticos* à Pontifice Protestantes designari nullum est dubium. At non spero Episcopos Germaniæ existimare, se juramento ad Protestantès *pro posse persequendos & impugnandos* obligari. Scitum est illud, *In malis promissis rescinde fidem.*

Implicita igitur fides implicat contradictionem in adjecto. nam si fides est, notitiam & adsensum includit: sed si implicita, tum excludit. Diceris enim implicitâ fide credere, quod alius, cui plurimum tribuis, nouit, tute verò non nosti. Meminimus autem verborum Catechismi Tridentini, non ita pridem productorum: *Credendi vox certissimæ adsensionis vim habet, quâ mens Deo sua mysteria aperienti firmè constanterq; adsentitur.* Adsensus determinat intellectum ad vnam partem, & supponit enunciationis, cui præbetur, conceptum vel apprehensionem, quæ non potest esse, nisi objecto menti proposito & præsente. At hîc objectum, quod fide implicitâ credi dicitur, menti non offertur, non apprehenditur, non cognoscitur, & proinde nullo adsensu mens ad id determinatur. Iacobus Andradius Defensionis concilij Tridentini libro secundo sub finem: *Qui Ecclesiæ firmitatem & integritatem credit, multa etiam implicitâ fide prosequi debet, de quibus neq; cogitat quidem vmquam.* Suarez Tractatu de Fide, disp. 11, sect. v1, num. 11: *Quod implicitè creditur, reuera non cognoscitur, neque intellectus format proprium conceptum propositionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur.* Ergo, inquam, fides implicita, nec vniuocè, nec analogicè (nullo enim modo essentiam & definitionem fidei participat) fides est, sed tantùm æquiuocè. Dices, Nihilominus qui implicitè credere dicitur, ponitur paratus esse ad credendum, modò objectum proponatur, atque adeo in potentiâ proximâ. Respondeo, propterea non magis potest hic dici credere, quàm videre aliquod objectum is, qui actu non videat, quippe nondum oblatum aut præsens, sed sit in potentiâ ad videndum, quantumuis proximâ. Esto arca, in quâ clausâ seruentur imagines Imperatorum, Regum, Principum. Num visâ

arcâ

arcâ dicere possum me implicitè videre omnes illas imagines? Quale hîc videre, tale ibi credere, nempe vtrobique nullum. Alioquin ad credendum omne id, siue ad non-dissentiendum ab vllo vero, quod perspicuè ob oculos aliquando ponetur & demonstrabitur, vnusquisque lege naturæ tenetur, & promtus esse debet. Eodem itaque sensu dicendum fuerit, id omne implicitâ fide credi. Et juxta hypotheses Pontificias, pari fide implicitâ creduntur enunciationes, quæ definitæ sunt, & quæ non sunt definitæ, sed definiri possent, etiamsi numquam definiantur. Vtrasque videlicet Pontificius implicitè credens ignorat, paratus tamen ad credendum.

CXXI. Hæc igitur implicita fides, quoniam nullius in intellectu est operationis, ipsa quoque nihil est: certè in intellectu non est. Si quid est, ad voluntatem referri oportet, nempe voluntatem tuam sic alteri se subijcere, vt quidquid ille credit, hoc etiam ipse velis credere. Voluntas quidem actus suos alteri potest transscribere, & quod alius acturus, ratum habere, vt perinde sit quasi egeris ipse: censeris enim in aliquo negocio voluisse & egisse, quidquid tuo nomine voluit & egit, cui totum commisisti: sed voluntatem pari modo actus intellectus alteri posse transscribere, vt quidquid alter cognoscit & credit, hoc etiam ipse cognoscere & credere censearis, minimè fit verosimile. Cur enim, etiamsi philosophiæ & medicinæ penitus ignarus fueris, dicendo te credere & adsentiri omnibus iis, quæ ille vel iste eximius philosophus aut medicus nouit, eximius itidem philosophus & medicus non habearis? nam par est ratio. Si non potes haberi medicus, nisi necessaria medico verè & explicitè cognita habeas; nec

poteris esse Christianus, nisi necessaria Christiano fide explicita, quæ sola vera est fides, & nón tantùm implicita, quæ mera est ignorantia, noueris. Quæ itaque fide non nisi implicitâ creduntur, id est, nesciuntur, aut Christiano hac fini, vt verus Christianus & fidelis sit, & finem fidei salutem animæ obtineat, necessaria nô sunt; aut implicitâ tantùm fide credi, non sufficit. Inter multa parùm recta hoc tamen rectè â Vobis dictum Domini Moguntini, *Quum quorumdam articulorum fides explicita sit necessaria ad salutem tamquam medium, eorum etiam simplex inscitia æternùm damnat.* Quæritur itaque, quinam sint illi articuli? Quàm restrinxerint præcipui apud Vos Theologi, tum vetustiores tum recentiores multi, exclusis ipsis etiam symboli Apostolici articulis, pridem ostensum, vt de Canonistis & Summistis nihil dicam. Quos tamen si lubet audire, licet.

Sectione 1. num. 11.

CXXII. Glossa in rubricam primi tituli Decretalium, De summâ Trinitate & fide catholicâ: *Principales articuli fidei nostræ sunt VII, quos quilibet Christianus scire tenetur, Clerici explicitè, Laici implicitè, & credere sicut tenet ecclesia; & sunt hi: Incarnatio siue natiuitas, baptismus, passio Christi siue mors eius, descensus ad inferos, resurrectio, adscensus in cœlum, aduentus ad iudicium.* Panormitanus in eamdem rubricam: *Implicitè scire est credere secundum quod ecclesia credit, ita quod suam fidem submittit fidei ecclesiæ.* Addit ex Innocentio, quarto scilicet ejus nominis Pontifice, qui in Decretales commentatus fuit: *Laici adulti debent credere vnum esse Deum, remuneratorem omnium; & credere articulos fidei implicitè.* Sed fortè satius fuerit ipsum audire Innocentium hîc commentantem. *De fide teneas,* inquit, *quia quædam est fidei mensura, ad quam quilibet tenetur, & quæ sufficit simplicibus & etiam fortè omnibus laicis, scilicet, quia oportet*

portet quemlibet adultum accedentem ad Deum credere, quia Deus est, & quòd est remunerator omnium bonorum. Item oportet omnes alios articulos credere implicitè, hoc est, credere verum esse, quidquid credit Ecclesia catholica. Hanc autem mensuram excedere debent Prælati ecclesiarum, quicumq; curam animarum habent, quia debent scire articulos fidei explicitè, & distinctè, qui continentur in symbolo, scilicet, Credo in vnum Deum, &, Quicumq; vult. Episcopi etiam plus scire debent: quia de eis scire debent reddere rationem omni poscenti. — De clericis autem inferioribus satis videtur, quòd si essent pauperes, qui non possent intendere studio, quia non habent magistros vel expensas, quia oportet eos propriis manibus quærere victum, quòd eis sufficiat scire sicut simplicibus laicis, & aliquantulum plus, sicut de sacramento altaris. — In tantum autem valet implicita fides, vt dicunt quidam, quòd si aliquis eam habet, scilicet si credit, quod Ecclesia credit, sed falsò opinatur ratione naturali motus, quòd Pater maior vel prior sit Filio, vel quòd tres personæ sunt tres res à se inuicem distinctæ; quòd non est hæreticus, nec peccat, dummodo hunc errorem suum non defendat; & hoc ipsum credat, quia credit Ecclesiam sic credere, & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponat: quia licet sic male opinetur, tamen non est illa fides sua, imò fides sua fides est Ecclesiæ. Hæc Innocentius, qui ipse aliquando Pontifex fuit. Sequitur & tantum non exscribit Baptista Trouamala, Summâ suâ Rosellâ, voce *Fides.* Ad quam Angelus de Clauasio docet, errorem circa fidem aliquando esse meritorium, aliquando cum peccato veniali, aliquando cum mortali. Meritorius est secundum ipsum, *quando aliquis audit aliquem prædicatorem famosum vel episcopum prædicasse aliquem errorem; & simplex credit animo obediendi fidei, paratus tamen corrigi.* Cum peccato veniali, *vt vetula credit Trinitatem esse vnam feminam: & quia credit Ecclesiam sic tenere, sic credit; & tamen non*

est hæ-

est hæretica, qui sic condicionaliter credit, Si ecclesia sic tenet & credit. Cum mortali, *quando homo scienter credit contra articulos fidei vel determinationem ecclesiæ.* Hæc Angelus in Angelicâ summa. Carbonario Cardinalis Hosij, ne eum prætereamus, parum aut nihil cum fide implicitâ est commune. Ille enim *rogatus quid crederet, Symbolum recitauit. Quum porrò interrogaretur, quid præterea crederet, respondit, Quod ecclesia credit,* Rursus interrogatus, *Quid credit ecclesia? Quod ego, inquit, credo. Quumq; subinde interrogaretur, circulo hoc vsus est: — nec aliud ab illo elici potuit.* Potuisset simpliciùs & magis perspicuè respondere, Quod credenda attineat, Symbolum sibi sufficere: cætera, consequentia scilicet, & appendices, se ignorare; vti reuera ignorabat: nec ad se magnopere pertinere. Malè enim ignorantiam suam ecclesiæ affricat, dum dicit de talibus idem eam credere, quod crederet ipse, qui nihil credebat, sed omnia ignorabat.

Lib. 3 adv. Proleg. Brentij.

CXXIII. Manifestum autem est à Canonistis quales adduximus, Christianos formari, inter quos & panos, quod cognitionem mysteriorum attinet, vix vllum sit discrimen, nisi quantum suppeditet fides implicita, quum profitetur homo, se credere quidquid credat ecclesia: quod ab ignorantiâ, quâ laborant pagani, qui absque Christo & absque Deo sunt in mundo, tenebris obscuratum habentes intellectum, parum differre certum est. Si tamen auctori Directorij Inquisitorum Nicolao Eymerico credimus, à Gregorio XI tamquam hæresis habita & damnata est adsertio, *Quòd laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicitè credendum: sed sufficit sibi ista conclusio in genere, Quòd credat omne illud, quod credit sancta mater Ecclesia.* Ad quem tamen vel ad quos articulos explicitè credendos teneatur, non addit. Fortè

Ephes. 2, 12. 4, 18.

non

non defuerunt eo tempore, qui ne quidem necessitatem credendi Deum esse & remuneratorem esse, (quod Canonistæ nihilominus faciunt) admiserint: vt his censuram suam opposuerit Pontifex. Alioquin agnoscit Suarez, *si non sit necessarium articulos omnes credere, fere non esse rationem maiorem de vno, quàm de alio.* Lubet autem quærere, cur malint dicere, Credendum esse quidquid credit Ecclesia; quàm, quidquid docet Scriptura canonica; vel, quidquid credidit primitiua Apostolica eccesia? Fortè dicent, Quid doceat Scriptura, quid crediderit prima ecclesia, illos implicitæ fidei homines ignorare. Sed iidem, vt habet hypothesis, etiam ignorant, quid doceat ecclesia. Ecclesiam tamen hodiernam ejusque Prælatos extolli oportet, quidquid fiat de Scripturâ, & de priscâ ecclesiâ. Obseruant etiam sine dubio, hodiernam suam ecclesiam docere, quæ nec Scriptura tradat, nec prisca ecclesia docuerit. De Fide, disput. 11, sect. 4, § 1.

CXXIV. Iubent itaque suos credere, quidquid credat hodierna ecclesia. Ea vtique hominibus constat, qui in viuis sunt. Num itaq; jubentur credere quidquid credunt homines, quicumque in ecclesiâ sunt? Tum sanè nimis varia & pugnantia credent. Vel quidquid credunt, qui in ecclesiâ orthodoxi sunt & rectè sentiunt? Sed quinam sunt, & vbi sunt illi? Reijcere igitur oportet fidem tuam in eos, quos ipse nescias. (Si ageretur de verâ & explicitâ fide, rectè diceretur, Credendum esse, in quo credendo consentiunt omnes per totum orbem Christiani: idque, nisi hodie admodum incertum & exploratu difficilimum esset, quamdam regulam siue quoddam principium suppeditaret, quo probari veritas doctrinæ posset.) Vel denique num jubentur credere, quidquid credit caput & sponsus ille eccle-

ecclesiæ, *planè supremum in terrâ numen*, Romanus pontifex? At ille aliquando est aut esse potest hæreticus, vt plerique fatentur; aliquando *nullum credit Deum, & omne infidelitatis culmen excedit*, quemadmodum de Alexandro VI scripsit Iohannes Franciscus Picus Mirandulanus, De fide & ordine credendi theoremate IV. Gretserus tamen Defensionis Bellarmini tomo I, libro III, cap. X, *Per Ecclesiam*, inquit, *quando Ecclesiam dicimus esse omnium controuersiarum fidei iudicem, intelligimus Pontificem Romanum, qui pro tempore præsens nauiculam militantis ecclesiæ moderatur ac gubernat*. Loquitur ille quidem de judice: sed quum Ecclesia sit quoddam aggregatum ex innumeris hominibus, tuque dicas, Te credere quidquid credat ecclesia; nec tamen credere possis, quidquid credunt quicumque in ecclesiâ sunt; necesse autem sit te tandem constituere, quorum fidem fidei tuæ normam, ad quam à Deo ipso eam exigi aliquando velis, facias: haut temerè inueniri alius poterit, cujus fidei tua implicita fides incumbat, præter Romanum pontificem. Dices igitur, te credere, non quidem quidquid credat Pontifex, vt ejusmodi singularis est persona, sed quidquid vt monarcha ecclesiæ (ita eum vocat Iohannes Bulæus) è cathedrâ definiat. At ille fortè nihil adhuc definiuit. Definiuerunt tamen eius decessores plurima. Ita à viuis transitur ad mortuos, & ad rem ab ecclesiâ diuersam. Neque enim rescripta & decreta Pontificum sunt ecclesia: Sed ea omnia recipit hodierna Pontificia ecclesia. Quicumque igitur implicitâ fide credit, quidquid hodierna ecclesia, ille credit quidquid decretis & responsis Pontificum, quæ vmquam fuerunt, continetur, quamquam quid id sit, æquè norit cum ignarissimis: paratus videlicet amplecti, & non contradicere, modò

Præfat. in P. Blesen.

propo-

proponatur & innoteſcat. Ita nihilominus res tandem in auctoritatem Pontificiam reuoluitur. Nempe parum apud pleroſque refert Chriſtum ignorari: ſed definitioni Pontificis ſiue viui ſiue mortui abſque jacturâ ſalutis non poteſt contradici. Si vero reſcripta & decreta Pontificia tanti ſunt, æquum fuiſſet ea majore ſollicitudine conſeruari & ad poſteros propagari. nam olim ſatis negligenter habita fuiſſe, teſtantur labores eorum, qui vltimo æuo & noſtrâ ætate colligendis operam dederunt. Quis noſſet Gregorium XI definiuiſſe, *Si hoſtia conſecrata in locum immundum projiciatur, à mure rodatur, à cane deuoretur, eodem projici, & rodi & deuorari ipſum corpus Chriſti*; niſi Directorio ſuo inſeruiſſet Eymericus? Quis ſcit, quod articulum illum fidei Tannerinum de cane Tobiæ, cujus ſuprà facta eſt mentio, attinet, annon Pon- Num. 73.
tifex aliquis definierit, Cani illi caudã fuiſſe? Ratio dubitandi eſſe potuit, quòd reducem canem *blandimento* Tob. 11, 9.
caudæ ſuæ gauiſum eſſe in textu latino habeatur, in græco omittatur. Siue verò definiuerit, ſiue adhuc aliquando definiat, vix poterit eſſe dubiũ, quin pro latino textu & caudâ canis ſit pronunciaturus. Quali definitione poſitâ, hactenus quidem *canem Tobiæ caudatum fuiſſe* implicitâ fide credetur, id eſt, ſine periculo ignorabitur; ſed ſi innotuerit definitio, negari ſine diſpendio ſalutis non poterit.

CXXV. Cæterùm implicitam fidem ſatis, vt puto, examinauimus, ſiue etiam exagitauimus, denique eliminauimus. Sufficientiam item ſymboli Apoſtolici ſatis dilucidè, niſi fallor, ob oculos poſuimus. Propiùs tandem aliquando ad noſtrum negocium accedamus. Vos, Domini Moguntini, quemadmodum alieni eſtis à concordiâ eccleſiaſticâ, ita quoque à mediis ad eam fa-

 cien-

facientibus; quorum ego si non primum & præcipuum, at certè non infimum esse judicaui eruditorum & moderatorum hominum collationes siue colloquia.
Sectione 1, num. 4. Dicitis, Certè res ipsa loquitur, & testatissima Germaniæ experientia, vel irrita semper fuisse id genus colloquia, vel perniciosa ferè sanctitati. Quomodo verò perniciosa sanctitati? Qui sanctus est, & de veritate certus, non turbabitur aut contaminabitur profanis aliorum erroribus: at qui profanus est & à veritate aberrat, sanctorum & rectiora sentientium operâ & commercio emendari poterit. Nec planè verum fuerit, *irrita semper fuisse eiusmodi colloquia*; quamuis per ea ad vltimum, qui intenditur & desideratur, finem nondum sit peruentum. In colloquio Augustæ, anno superioris seculi xxx, inter septenos vtrimque delectos habito magna apparuit de non paucis neq[ue] minimi momenti rebus concordiæ spes: neque nulla Ratisbonæ, anno cIↄ Iↄ xLI. Quòd si autem de eo, quod primis non successit conatibus, planè desperandum, abrumpendi quoque erunt, quod Deus tamen auertat, tractatus, qui hodie de pace Germaniæ restaurandâ Monasterij & Osnabrugæ cœpti sunt, & calamitosissimum ac perniciosissimum bellum cum miserabili communis patriæ exitio continuandum. nam consilia hactenus agitata aluerunt potiùs, quàm exstinxerunt.

Sectione 1, num. 10. CXXVI. Additis, me non posse ignorare, omnes Prælatos & Doctores Germaniæ catholicos, sacramenti votique nexu se Rom. Pontifici deuinxisse, vitamque & sanguinem malle, quàm vel tantillum de fide Romanâ deperdere. Sanè notum est mihi Iuramentum professionis fidei, quod ex præscripto Pij quarti præstatur, de quo superiùs:
Num. 113. notum quoque mihi est ex Pontificali Romano juramen-

ramentum, per quod qui epiſcopi ordinantur, ſe Pontifici obligant, non abſimile ei, quo vaſalli ligij ſuis dominis obligantur. Non jurant ſe propagare & propugnare velle veritatem euangelij & religionis Chriſtianæ, ſed inter cætera, *Non ero in conſilio, vel facto, ſeu tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum, vel eamdem Romanam Eccleſiam, aliqua ſiniſtra, vel præiudicialia, perſonarum, iuris, honoris, ſtatus, & poteſtatis eorum, machinentur. Et ſi talia à quibuscumq; tractari vel procurari nouero, impediam hoc pro poſſe; & quanto citiùs potero, ſignificabo eidem Domino noſtro, vel alteri, per quem poſſit ad ipſius notitiam peruenire, &c. — Hæreticos, Schiſmaticos, & rebelles eidem Domino noſtro, vel Succeſſoribus prædictis, pro poſſe perſequar & impugnabo.* Reſpondeo breuiter, Iuramentum non debere eſſe vinculum Iniquitatis. Quod doctrinam, in quam juraſti, attinet, ſi de veritate ejus, quum jurares, perſuaſus fuiſti, bene habet. Sin poſtea euidenter tibi monſtretur, quædam eius capita manifeſtâ falſitate laborare, juramento ad retinendum aut propugnandum errorem, de quo in conſcientiâ conuictus fueris, non teneris. Pariter vbi conſtiterit, Pontificem ſibi arrogare poteſtatem indebitam, tyrannicam; ſubditos contra legitimum Principem ad rebellionem & perfidiam incitare, aut etiam cenſuris compellere; infallibilitatem ejus nullam eſſe: vbi, inquam, de talibus conſtiterit, ad ejuſmodi poteſtatem vel infallibilitatem adſerendam, vel facta probanda nullum juramentum, quod aliquando talium ignarus præſtiteris, te adigit. Per *hæreticos & ſchiſmaticos* à Pontifice Proteſtantes deſignari nullum eſt dubium. At non ſpero Epiſcopos Germaniæ exiſtimare, ſe juramento ad Proteſtantes *pro poſſe perſequendos & impugnandos* obligari. Scitum eſt illud, *In malis promiſſis reſcinde fidem.*

Implicita igitur fides implicat contradictionem in adjecto. nam si fides est, notitiam & adsensum includit: sed si implicita, tum excludit. Diceris enim implicitâ fide credere, quod alius, cui plurimum tribuis, nouit, tute verò non nosti. Meminimus autem verborum Catechismi Tridentini, non ita pridem productorum: *Credendi vox certissimæ adsensionis vim habet, quâ mens Deo sua mysteria aperienti firmè constanterq; adsentitur.* Adsensus determinat intellectum ad vnam partem, & supponit enunciationis, cui præbetur, conceptum vel apprehensionem, quæ non potest esse, nisi objecto menti proposito & præsente. At hic objectum, quod fide implicitâ credi dicitur, menti non offertur, non apprehenditur, non cognoscitur, & proinde nullo adsensu mens ad id determinatur. Iacobus Andradius Defensionis concilij Tridentini libro secundo sub finem: *Qui Ecclesiæ firmitatem & integritatem credit, multa etiam implicitâ fide prosequi debet, de quibus neq; cogitat quidem vmquam.* Suarez Tractatu de Fide, disp. 11, sect. VI, num. 11: *Quod implicitè creditur, reuera non cognoscitur, neque intellectus format proprium conceptum propositionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur.* Ergo, inquam, fides implicita, nec vniuocè, nec analogicè (nullo enim modo essentiam & definitionem fidei participat) fides est, sed tantùm æquiuocè. Dices, Nihilominus qui implicitè credere dicitur, ponitur paratus esse ad credendum, modò objectum proponatur, atque adeo in potentiâ proximâ. Respondeo, propterea non magis potest hic dici credere, quàm videre aliquod objectum is, qui actu non videat, quippe nondum oblatum aut præsens, sed sit in potentiâ ad videndum, quantumuis proximâ. Esto arca, in quâ clausâ seruentur imagines Imperatorum, Regum, Principum. Num visâ

arcâ

arcâ dicere possum me implicitè videre omnes illas imagines? Quale hîc videre, tale ibi credere, nempe vbique nullum. Alioquin ad credendum omne id, siue ad non-dissentiendum ab vllo vero, quod perspicuè ob oculos aliquando ponetur & demonstrabitur, vnusquisque lege naturæ tenetur, & promtus esse debet. Eodem itaque sensu dicendum fuerit, id omne implicitâ fide credi. Et juxta hypotheses Pontificias, pari fide implicitâ creduntur enunciationes, quæ definitæ sunt, & quæ non sunt definitæ, sed definiri possent, etiamsi numquam definiantur. Vtrasque videlicet Pontificius implicitè credens ignorat, paratus tamen ad credendum.

CXXI. Hæc igitur implicita fides, quoniam nullius in intellectu est operationis, ipsa quoque nihil est: certè in intellectu non est. Si quid est, ad voluntatem referri oportet, nempe voluntatem tuam sic alteri se subijcere, vt quidquid ille credit, hoc etiam ipse velis credere. Voluntas quidem actus suos alteri potest transscribere, & quod alius acturus, ratum habere, vt perinde sit quasi egeris ipse: censeris enim in aliquo negocio voluisse & egisse, quidquid tuo nomine voluit & egit, cui totum commisisti: sed voluntatem pari modo actus intellectus alteri posse transscribere, vt quidquid alter cognoscit & credit, hoc etiam ipse cognoscere & credere censearis, minimè fit verosimile. Cur enim, etiamsi philosophiæ & medicinæ penitus ignarus fueris, dicendo te credere & adsentiri omnibus iis, quæ ille vel iste eximius philosophus aut medicus nouit, eximius itidem philosophus & medicus non habearis? nam par est ratio. Si non potes haberi medicus, nisi necessaria medico verè & explicitè cognita habeas; nec

poteris esse Christianus, nisi necessaria Christiano fide explicitâ, quæ sola vera est fides, & non tantùm implicitâ, quæ mera est ignorantia, noveris. Quæ itaque fide non nisi implicitâ creduntur, id est, nesciuntur, aut Christiano hac fini, vt verus Christianus & fidelis sit, & finem fidei salutem animæ obtineat, necessaria nō sunt, aut implicitâ tantùm fide credi, non sufficit. Inter multa parum recta hoc tamen rectè â Vobis dictum Domini Moguntini, *Quum quorumdam articulorum fides explicita sit necessaria ad salutem tamquam medium, eorum etiam simplex inscitia æternùm damnat.* Quæritur itaque, quinam sint illi articuli? Quàm restrinxerint præcipui apud Vos Theologi, tum vetustiores tum recentiores multi, exclusis ipsis etiam symboli Apostolici articulis, pridem ostensum, vt de Canonistis & Summistis nihil dicam. Quos tamen si lubet audire, licet.

Sectione 1. num. 11.

CXXII. Glossa in rubricam primi tituli Decretalium, De summâ Trinitate & fide catholicâ: *Principales articuli fidei nostræ sunt VII, quos quilibet Christianus scire tenetur, Clerici explicitè, Laici implicitè, & credere sicut tenet ecclesia; & sunt hi: Incarnatio siue natiuitas, baptismus, passio Christi siue mors eius, descensus ad inferos, resurrectio, adscensus in cælum, aduentus ad iudicium.* Panormitanus in eamdem rubricam: *Implicitè scire est credere secundum quod ecclesia credit, ita quod suam fidem submittit fidei ecclesiæ.* Addit ex Innocentio, quarto scilicet ejus nominis Pontifice, qui in Decretales commentatus fuit: *Laici adulti debent credere vnum esse Deum, remuneratorem omnium; & credere articulos fidei implicitè.* Sed fortè satius fuerit ipsum audire Innocentium hîc commentantem. *De fide teneas,* inquit, *quia quædam est fidei mensura, ad quam quilibet tenetur, & quæ sufficit simplicibus & etiam fortè omnibus laicis, scilicet, quia oportet*

portet quemlibet adultum accedentem ad Deum credere, quia Deus est, & quod est remunerator omnium bonorum. Item oportet omnes alios articulos credere implicitè, hoc est, credere verum esse, quidquid credit Ecclesia catholica. Hanc autem mensuram excedere debent Prælati ecclesiarum, quicumque curam animarum habent, quia debent scire articulos fidei explicitè, & distinctè, qui continentur in symbolo, scilicet, Credo in vnum Deum, &, Quicumque vult. Episcopi etiam plus scire debent: quia de eis scire debent reddere rationem omni poscenti. — De clericis autem inferioribus satis videtur, quòd si essent pauperes, qui non possent intendere studio, quia non habent magistros vel expensas, quia oportet eos propriis manibus quærere victum, quòd eis sufficiat scire sicut simplicibus laicis, & aliquantulum plus, sicut de sacramento altaris. — In tantum autem valet implicita fides, vt dicunt quidam, quòd si aliquis eam habet, scilicet si credit, quod Ecclesia credit, sed falsò opinatur ratione naturali motus, quòd Pater maior vel prior sit Filio, vel quòd tres personæ sunt tres res à se innicem distinctæ; quòd non est hæreticus, nec peccat, dummodo hunc errorem suum non defendat; & hoc ipsum credat, quia credit Ecclesiam sic credere; & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponat: quia licet sic malè opinetur, tamen non est illa fides sua, imò fides sua fides est Ecclesiæ. Hæc Innocentius, qui ipse aliquando Pontifex fuit. Sequitur & tantum non exscribit Baptista Trouamala, Summâ suâ Rosellâ, voce *Fides.* Ad quam Angelus de Clauasio docet, errorem circa fidem aliquando esse meritorium, aliquando cum peccato veniali, aliquando cum mortali. Meritorius est secundum ipsum, *quando aliquis audit aliquem prædicatorem famosum vel episcopum prædicasse aliquem errorem; & simplex credit animo obediendi fidei, paratus tamen corrigi.* Cum peccato veniali, *vt vetula credit Trinitatem esse vnam feminam: & quia credit Ecclesiam sic tenere, sic credit; & tamen non est hæ-*

est hæretica, qui conditionaliter credit, Si ecclesia sic tenet & credit. Cum mortali, *quando homo scienter credit contra articulos fidei vel determinationem ecclesiæ.* Hæc Angelus in Angelicâ summa. Carbonario Cardinalis Hosij, ne eum prætereamus, parum aut nihil cum fide implicitâ est commune. Ille enim *rogatus quid crederet, Symbolum recitauit. Quum porrò interrogaretur, quid præterea crederet, respondit, Quod ecclesia credit,* Rursus interrogatus, *Quid credit ecclesia? Quod ego, inquit, credo. Quumq; subinde interrogaretur, circulo hoc vsus est: — nec aliud ab illo elici potuit.* Potuisset simpliciùs & magis perspicuè respondere, Quod credenda attineat, Symbolum sibi sufficere: cætera, consequentia scilicet, & appendices, se ignorare; vti reuera ignorabat: nec ad se magnopere pertinere. Malè enim ignorantiam suam ecclesiæ affricat, dum dicit de talibus idem eam credere, quod crederet ipse, qui nihil credebat, sed omnia ignorabat.

Lib. 3 adv. Proleg. Brentij.

CXXIII. Manifestum autem est à Canonistis quales adduximus, Christianos formari, inter quos & paganos, quod cognitionem mysteriorum attinet, vix vllum sit discrimen, nisi quantum suppeditet fides implicita, quum profitetur homo, se credere quidquid credat ecclesia: quod ab ignorantiâ, quâ laborant pagani, qui absque Christo & absque Deo sunt in mundo, tenebris obscuratum habentes intellectum, parum differre certum est. Si tamen auctori Directorij Inquisitorum Nicolao Eymerico credimus, à Gregorio XI tamquam hæresis habita & damnata est adsertio, *Quòd laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicitè credendum: sed sufficit sibi ista conclusio in genere, Quòd credat omne illud, quod credit sancta mater Ecclesia.* Ad quem tamen vel ad quos articulos explicitè credendos teneatur, non addit. Fortè non

Ephes. 2, 12. 4, 18.

non defuerunt eo tempore, qui ne quidem necessitatem credendi Deum esse & remuneratorem esse, (quod Canonistæ nihilominus faciunt) admiserint: vt his censuram suam opposuerit Pontifex. Alioquin agnoscit Suarez, *si non sit necessarium articulos omnes credere, fere non esse rationem maiorem de vno, quàm de alio.* Lubet autem quærere, cur malint dicere, Credendum esse quidquid credit Ecclesia; quàm, quidquid docet Scriptura canonica; vel, quidquid credidit primitiua Apostolica eccesia? Fortè dicent, Quid doceat Scriptura, quid crediderit prima ecclesia, illos implicitæ fidei homines ignorare. Sed iidem, vt habet hypothesis, etiam ignorant, quid doceat ecclesia. Ecclesiam tamen hodiernam ejusque Prælatos extolli oportet, quidquid fiat de Scripturâ, & de priscâ ecclesiâ. Obseruant etiam sine dubio, hodiernam suam ecclesiam docere, quæ nec Scriptura tradat, nec prisca ecclesia docuerit.

De Fide, disput. 13, sect. 4, § 1.

CXXIV. Iubent itaque suos credere, quidquid credat hodierna ecclesia. Ea vtique hominibus constat, qui in viuis sunt. Num itaq; jubentur credere quidquid credunt homines, quicumque in ecclesiâ sunt? Tum sanè nimis varia & pugnantia credent. Vel quidquid credunt, qui in ecclesiâ orthodoxi sunt & rectè sentiunt? Sed quinam sunt, & vbi sunt illi? Reijcere igitur oportet fidem tuam in eos, quos ipse nescias. (Si ageretur de verâ & explicitâ fide, rectè diceretur, Credendum esse, in quo credendo consentiunt omnes per totum orbem Christiani: idque, nisi hodie admodum incertum & exploratu difficilimum esset, quamdam regulam siue quoddam principium suppeditaret, quo probari veritas doctrinæ posset.) Vel denique num jubentur credere, quidquid credit caput & sponsus ille

ecclesiæ, *planè supremum in terrâ numen*, Romanus pontifex? At ille aliquando est aut esse potest hæreticus, vt plerique fatentur; aliquando *nullum credit Deum, & omne infidelitatis culmen excedit*, quemadmodum de Alexandro VI scripsit Iohannes Franciscus Picus Mirandulanus, De fide & ordine credendi theoremate IV. Gretserus tamen Defensionis Bellarmini tomo I, libro III, cap. X, *Per Ecclesiam*, inquit, *quando Ecclesiam dicimus esse omnium controuersiarum fidei iudicem, intelligimus Pontificem Romanum, qui pro tempore præsens nauiculam militantis ecclesiæ moderatur ac gubernat*. Loquitur ille quidem de judice: sed quum Ecclesia sit quoddam aggregatum ex innumeris hominibus, tuque dicas, Te credere quidquid credat ecclesia; nec tamen credere possis, quidquid credunt quicumque in ecclesiâ sunt; necesse autem sit te tandem constituere, quorum fidem fidei tuæ normam, ad quam à Deo ipso eam exigi aliquando velis, facias: haut temerè inueniri alius poterit, cujus fidei tua implicita fides incumbat, præter Romanum pontificem. Dices igitur, te credere, non quidem quidquid credat Pontifex, vt ejusmodi singularis est persona, sed quidquid vt monarcha ecclesiæ (ita eum vocat Iohannes Bulæus) è cathedrâ definiat. At ille fortè nihil adhuc definiuit. Definiuerunt tamen eius decessores plurima. Ita à viuis transitur ad mortuos, & ad rem ab ecclesiâ diuersam. Neque enim rescripta & decreta Pontificum sunt ecclesia: Sed ea omnia recipit hodierna Pontificia ecclesia. Quicumque igitur implicitâ fide credit, quidquid hodierna ecclesia, ille credit quidquid decretis & responsis Pontificum, quæ vmquam fuerunt, continetur, quamquam quid id sit, æquè norit cum ignarissimis: paratus videlicet amplecti, & non contradicere, modò

Præfat. in P. Blesen.

propo-

proponatur & innoteſcat. Ita nihilominus res tandem in auctoritatem Pontificiam reuoluitur. Nempe parum apud pleroſque refert Chriſtum ignorari: ſed definitioni Pontificis ſiue viui ſiue mortui abſque jacturâ ſalutis non poteſt contradici. Si vero reſcripta & decreta Pontificia tanti ſunt, æquum fuiſſet ea majore ſollicitudine conſeruari & ad poſteros propagari. nam olim ſatis negligenter habita fuiſſe, teſtantur labores eorum, qui vltimo æuo & noſtrâ ætate colligendis operam dederunt. Quis noſſet Gregorium XI definiuiſſe, *Si hoſtia conſecrata in locum immundum projiciatur, à mure rodatur, à cane deuoretur, eodem projici, & rodi & deuorari ipſum corpus Chriſti*; niſi Directorio ſuo inſeruiſſet Eymericus? Quis ſcit, quod articulum illum fidei Tannerinum de cane Tobiæ, cujus ſuprà facta eſt mentio, attinet, annon Pontifex aliquis definierit, Cani illi caudā fuiſſe? Ratio dubitandi eſſe potuit, quòd reducem canem *blandimento caudæ ſuæ gauiſum eſſe* in textu latino habeatur, in græco omittatur. Siue verò definiuerit, ſiue adhuc aliquando definiat, vix poterit eſſe dubiū, quin pro latino textu & caudâ canis ſit pronunciaturus. Quali definitione poſitâ, hactenus quidem *canem Tobiæ caudatum fuiſſe* implicitâ fide credetur, id eſt, ſine periculo ignorabitur; ſed ſi innotuerit definitio, negari ſine diſpendio ſalutis non poterit. Num. 73. Tob. 11, 9.

CXXV. Cæterùm implicitam fidem ſatis, vt puto, examinauimus, ſiue etiam exagitauimus, denique eliminauimus. Sufficientiam item ſymboli Apoſtolici ſatis dilucidè, niſi fallor, ob oculos poſuimus. Propiùs tandem aliquando ad noſtrum negocium accedamus. Vos, Domini Moguntini, quemadmodum alieni eſtis à concordiâ eccleſiaſticâ, ita quoque à mediis ad eam facien-

facientibus; quorum ego si non primum & præcipuum, at certè non infimum esse judicaui eruditorum & moderatorum hominum collationes siue colloquia.

Sectione 1, num. 4. Dicitis, Certè res ipsa loquitur, & testatissima Germaniæ experientia, vel irrita semper fuisse id genus colloquia, vel perniciosa ferè sanctitati. Quomodo verò perniciosa sanctitati? Qui sanctus est, & de veritate certus, non turbabitur aut contaminabitur profanis aliorum erroribus: at qui profanus est & à veritate aberrat, sanctorum & rectiora sentientium operâ & commercio emendari poterit. Nec planè verum fuerit, *irrita semper fuisse eiusmodi colloquia*; quamuis per ea ad vltimum, qui intenditur & desideratur, finem nondum sit peruentum. In colloquio Augustæ, anno superioris seculi xxx, inter septenos vtrimque delectos habito magna apparuit de non paucis neq[illegible] maximi momenti rebus concordiæ spes: neque nulla Ratisbonæ, anno cIɔ Iɔ xli. Quòd si autem de eo, quod primis non successit conatibus, planè desperandum, abrumpendi quoque erunt, quod Deus tamen auertat, tractatus, qui hodie de pace Germaniæ restaurandâ Monasterij & Osnabrugæ cœpti sunt, & calamitosissimum ac perniciosissimum bellum cum miserabili communis patriæ exitio continuandum. nam consilia hactenus agitata aluerunt potiùs, quàm exstinxerunt.

Sectione 1, num. 10. CXXVI. Additis, me non posse ignorare, omnes Prælatos & Doctores Germaniæ catholicos, sacramenti votique nexu se Rom. Pontifici deuinxisse, vitamque & sanguinem malle, quàm vel tantillum de fide Romanâ deperdere. Sanè notum est mihi Iuramentum professionis fidei, quod ex præscripto Pij quarti præstatur, de quo superiùs: notum quoque mihi est ex Pontificali Romano ju- (Num. 113.)

ramen-

ramentum, per quod qui episcopi ordinantur, se Pontifici obligant, non absimile ei, quo vasalli ligij suis dominis obligantur. Non jurant se propagare & propugnare velle veritatem euangelij & religionis Christianæ, sed inter cætera, *Non ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra, vel præiudicialia, personarum, iuris, honoris, status, & potestatis eorum, machinentur. Et si talia à quibuscumq; tractari vel procurari nouero, impediam hoc pro posse; & quanto citiùs potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam peruenire &c. — Hæreticos, Schismaticos, & rebelles eidem Domino nostro, vel Successoribus prædictis, pro posse persequar & impugnabo.* Respondeo breuiter, Iuramentum non debere esse vinculum iniquitatis. Quod doctrinam, in quam jurasti, attinet, si de veritate ejus, quum jurares, persuasus jurasti, bene habet. Sin postea euidenter tibi monstretur, quædam eius capita manifestâ falsitate laborare, juramento ad retinendum aut propugnandum errorem, de quo in conscientiâ conuictus fueris, non teneris. Pariter vbi constiterit, Pontificem sibi arrogare potestatem indebitam, tyrannicam; subditos contra legitimum Principem ad rebellionem & perfidiam incitare, aut etiam censuris compellere; infallibilitatem ejus nullam esse: vbi, inquam, de talibus constiterit, ad ejusmodi potestatem vel infallibilitatem adserendam, vel facta probanda nullum juramentum, quod aliquando talium ignarus præstiteris, te adigit. Per *hæreticos & schismaticos* à Pontifice Protestantes designari nullum est dubium. At non spero Episcopos Germaniæ existimare, se juramento ad Protestantes *pro posse persequendos & impugnandos* obligari. Scitum est illud, *In malis promissis rescinde fidem.*

dem. Si jurarunt episcopi compertos errores defendere, & innoxios Christianos persequi, contra id, quod proprium episcoporum est officium, jurarunt. Vtar hic verbis, quibus alicubi, quamuis in contrarium finem,
Epist. 100. Marci 6. vsus Cardinalis Hosius: *Non imitentur Herodem, qui quod iurauit, magno cum dedecore suo præstitit; sed sanctum potius*
1 Sam. 25, 22 *Dauid imitentur, qui iurauit & ipse per Deum, non sine quadam exsecratione, Si reliquerit de omnibus, quæ ad Nabal pertinent, vsq; manè mingentem ad parietem, quòd eos omnes esset occisurus; neq; tamen quod iurauerat præstitit, & magnam est ex non præstito iuramento laudem consequutus.*

Sectione 1, num. 11. CXXVII. Vrgetis porrò, Quum in ejusmodi controuersis nec assensum imperari, nec concordiam impetrari posse credam, nisi per demonstrationem connexionis euidentem cum primis certisque principiis; in his verò ipsis pars vtraque longe lateque dissideat; & iis etiam extra dubitationis aleam suppositis, adhuc consequutionis necessitas vni perspicua & certa, alteri obscura labilisque videatur; hinc existimatis validè inferri, quòd è colloquiis fructus nullus sperari possit. Ego verò miror, quòd affirmatis *in primis principiis vtramq; partem longè lateq; desidere.* Ponam ego nostra. Primum & præcipuum est, QVIDQVID SACRA SCRIPTVRA DOCET, EST INFALLIBILITER VERVM. Proximum ab hoc, QVIDQVID PRISCA ECCLESIA PRIMORVM QVINQVE SECVLORVM VNANIMI CONSENSV PROFESSA FVIT, VERVM EST. Num hic longè lateque diffidemus? num Vos vtrumque vel alterutrum reijcitis? De priori nunc tantùm addere lubet verba Alfonsi à Castro è libro primo aduersus hæreses, capite secundo: *Sicut in aliis scientiis prima earum principia nullus, qui eas profitetur, negat: ita in negotio fidei pro vnico & indubitato principio à quolibet, qui se pro Christiano gerit, haberi debet, Verum esse quidquid in sacris codicibus*

con-

contineitur. De posteriori plurima vestrorum doctorum testimonia protuli in Digressione de arte nouâ. Vos tantùm domestica nunc audite. Michaël Sidonius concione in Symbolum Apostolicum habitâ apud Vos Moguntiæ, Dominicâ III Trinitatis, anno CIↃ IↃ XLIII: Erhebt sich ein Lehr / die denn mehrer theil der Christenheit einnimpt / oder ja die Christenheit schier gar / so sihe darnach / ob auff diese meynung sey gelehrt vnd geprediget worden von Anfang der Christenheit biß hieher / findestu / daß diese Lehr nicht gleich zustimpt mit jenem / das von Anfang in der Christenheit ist gelehrt vnd geprediget worden / so sprich: Die Kirch Christi heist CATHOLICA, sie heist Gemein / was recht Kirchisch ist / muß allezeit gewehret haben. — Wie aber zu der Zeit vnd an allen orten sey gelehrt vnd gehalten worden in der Christenheit / von der Auffarth Christi biß auff diese Stund / deß haben wir ware vngezweiffelte / gewisse Zeugnis auß den Büchern deren / die zu jederzeit in der Kirchen Christi gelebt / regiert / vnd gelehret haben. Martinus Becanus vester Quæstionibus miscellaneis de fide hæreticis seruandâ contra quemdam Caluinistam Batauum, quæst. III, num. III: *Apud illos non potest esse doctrina catholica, qui in rebus fidei ac religionis non conspirant cum doctrinâ, quæ primis quingentis annis in ecclesiâ Christi tradita est.* Iungantur Moguntinis Colonienses; quorum in Enchiridio Christianæ institutionis, edito ibidem in synodo habitâ anno CIↃ IↃ XXXVI, hæc sunt verba: *Puritas doctrinæ expendenda est non secundum traditionem præsentis, aut huius vel illius particularis ecclesiæ, huius vel illius interpretis, sed secundum traditionem ab initio à temporibus Apostolorum con-*

cordi

cordi Patrum sententiâ ad nos vsq; deductam. Non enim ideo, quia Cyprianus aut Hieronymus aut Augustinus ita docuit, sed quia ecclesia Christi ab initio secundum successionem, serie ad hæc vsq; tempora deductâ, ex Scripturis sic credidit, tenuit, docuit, & prædicauit, idem credendum ac docendum est. Quare nemo nobis opponat, ecclesiam præsentem in singulis membris posse falli, aut ecclesiæ præsenti non licere nouos fidei articulos condere. Neq; enim hoc dicimus, ecclesiam præsentem pro arbitratu suo posse definire & statuere de fidei articulis, sed doctrinam ecclesiæ dicimus eam, quæ spiritu Dei ab Apostolis in nos vsq; concors deriuata est. Innititur ergo præsens ecclesia antiquæ fidei, antiquis Scripturis, ac traditionibus veteris ecclesiæ apostolicæ, cui hæc ecclesia per fidei spiritum copulatur. Nostra itaque principia adeo certæ & exploratæ sunt veritatis, adeo à vestris omnibus hactenus recepta, vt non possitis vllo modo rejicere. His autem procul dubio velitis jungi, quin, nisi omnia me fallunt, præferri aliquod vestrum vobis proprium & peculiare principium, nempe QVIDQVID ROMANVS PONTIFEX DOCET ET DEFINIT, EST INFALLIBILITER VERVM. Sed hoc nos reijcimus, & euidenter falsum esse dicimus. Quod si relinquere non vultis, ab eo ipso à vobis demonstrando, à nobis destruendo, initium disputationis faciendum erit.

CXXIIX. Magis adhuc miror Vos suppositâ certitudine principiorum, nihilominus consequentiarum incertitudinem caussari, nempe *consequutionis necessitatem uni perspicuam & certam, alteri obscuram labilemq; videri:* & proinde ex colloquiis fructum sperari non posse. Si hæc objectio quidquam efficeret, non modò Theologicis, sed quibuscumq; aliis disputationibus spem frugis detraheret. Suspendatur autem tantisper consuetudo disputandi per enthymemata, consequentiæ necessita-

cessitatem plerumq; in dubio relinquentia, quam scholis vestris familiarem esse memini, & adhibeantur integri syllogismi, legitimè formati, præsertim categorici, quorum sanè consequentia nō magis est incerta, quàm incertum est ter tria esse nouem. Dicit alicubi Philippus Melanchthon de colloquio VVormatiæ ante annos CIV incoato, *publicas tridui declamationes veriùs quàm disputationes* fuisse. Quod fortè de pluribus superioris seculi colloquiis haut præter rem dici, & vna è caussis tardioris siue sequioris successus censeri possit. Eo enim agendi modo probationis siue euidentia siue defectus inuoluitur, & oculis humanæ mentis subtrahitur. Quamquam igitur vt quisque, quid sentiat, dilucidè exponat concedi debet, ne status controuersiæ sit ambiguus, aut alicui opiniones falsò trribuantur; vbi tamen ad probationes est deuentum, syllogismis probè formatis tum Affirmantem, tum Negantem siue Respondentem pressè insistere oportet. Quæ vtraque pars admittit, (his verbis in Digressione vsus sum) à neutrâ probari opus est. Quæ verò diuinitus reuelata & ad salutem necessaria ab vnâ affirmantur, ab alterâ negantur; affirmantem è reuelatione diuinâ demonstrare & euincere æquum est, imò necessarium. Quod si fieri queat & fiat, numquam spero alteram adeo peruicacem fore, vt refragetur: sin neque fiat, neque fieri possit, altera à suâ itidem æquitate impetrari patietur, vt credendi, quod probare nequeat, necessitatem nemini velit imponere. In quas conditiones ab ipsâ naturâ præscriptas si conueniamus, iisque stemus, nullam puto controuersiam tantam fore, quæ componi & tolli non possit. Inprimis si Dei gratia & auxilium seriò imploretur, φιλονεικία & partium studium segregetur, nil quæratur præter veritatem, Dei

gloriam; & ecclesiæ incrementum atque tranquillitatem. Si hunc scopum propositum habeamus, & hunc agendi modum seruemus, spes est Deum nobis adfuturum, misericordiâ in nos vsurum, & ingentibus malis nostris medicinam facturum. Hæc tum in Digressione tum in Præfatione dicta hîc repeto; & addo, majoris perspicuitatis ergo, ex Digressione plura, ad eumdem scopum collimantia. Proponatur thesis controuersa: vbi rectè & eodem sensu ab vtraque parte (ne alterutri fortè æquiuocatio vel ambiguitas imponat) fuerit accepta, jubeantur probare, qui affirmant: & probare quidem è Scripturâ canonica & è Traditione legitimâ, id est, ecclesiæ priscæ, quam neutra pars veram sinceramque fuisse diffitetur, constante & vnanimi consensu atque testimonio. Probent, inquam, ex vtroque hoc principio, vel certè ex alterutro: & probent prolatis verbis, vel apertè & perspicuè secundum veram & naturalem intelligendi rationem idipsum, quod negatur, adserentibus, vel è quibus bonâ & euidente consequentiâ deducatur. Quæ etiam vt liquidò appareat, in confecto syllogismo manifestam reddere & ob oculos ponere oportebit. Hujusmodi igitur ordini, modoque procedendi si insistatur, eò tandem nec longâ admodum nec difficili viâ deuenietur, vt qui affirmant, aut euincant; aut in probatione, quæ adhuc necessaria & meritò exigatur, deficiant; qui verò negant, posteriore quidem

Pag. 206.

dem casu obtineant; at priore, aut quod rectè demonstratum fuerit, admittant, aut negando eò vsque prolabantur, vt quæ vera manifesto sint & omnes agnoscant, vel ipsi quoque aliàs agnouerint & agnoscere soleant, inficientur. Quò qui adactus fuerit, eum caussâ cadere nemini potest esse obscurum.

CXXIX. Dicitis, Vos & vestros *vitam & sanguinem malle, quàm vel tantillum de fide Romanâ deperdere*. Quantopere probo & laudo, si de prisca Romanâ Apostolicâ fide intelligatis, tantopere improbo, si de nouâ Hildebrandina, nouisq; accessibus & additamentis. Quum enim omnes vestri, nisi fallor, fateantur, non esse ad salutem necessarium, vt explicite credatur, verbi gratia, Iohannis baptismum habuisse diuersum a baptismo Christi effectum; septem esse sacramenta, nec plura, nec pauciora, sed sufficere fidem implicitam, id est, ignorantiam: cur vos pro illâ fide vel retinendâ, vel aliis obtrudendâ, vitam & sanguinem velitis profundere? Quamquam nemo magnopere prohibet, eam fidem vos retinere, quin si explicite credere vobis lubet, diuersam baptismo Iohannis & baptismo Christi vim fuisse, aut septem esse sacramenta, nemo propterea vos damnabit. Nam, vt loquitur Apologia Augustanæ confessionis, *nos sentimus præstandum esse, ne negligantur res & ceremoniæ in Scripturis institutæ, quotcunque sunt. Nec multum referre putamus, etiamsi docendi caussâ alii numerant aliter, si tamen rectè conseruent res in Scripturâ traditas. Nec veteres eodem modo numerauerunt.* Confirmationem & Extremam vnctionem, de quibus potissimum controuertitur, fatetur eadem Apologia *ritus esse à Patribus acceptos: quos ne*

hodie *quidem* Romana vestra *ecclesia tamquam necessarios ad salutem requirit*. Memini Becanum vestrum, quum juuenis anno hujus seculi decimo, dum Francofurti nundinæ vernales haberentur, Moguntiæ in bibliothecâ Societatis per aliquot horas ei colloquerer, & jam tum de odiis & dissidiis Christianorum mitigandis cogitarem, eoque facientia proponerem, vltrò fateri, rectam illam esse doctrinam, & modò res istæ, quæ sacramenta appellari solent, bene singulæ explicentur & administrentur, parum referre, an ita vel aliter nominentur aut numerentur. Mihi non veniebat in mentem, Tridentinos anathema denunciasse dicentibus sacramenta plura vel pauciora, quàm septem, objecturo aliàs; nec fortè illi venit, aliàs vix ita loquuturo. Apparet tamen animos, nisi præjudiciis vincirentur, de rigore multùm remissuros.

CXXX. Nulla est autem, quemadmodum dixi, necessitas vitam & sanguinem profundendi, vt fidem istam nouam vel ipsi retineatis, quam nemo inuitis eripit; vel nobis obtrudatis, qui eâ non indigemus, & sine damno salutis caremus. Sed si ignoremus, ignorare nos sine dubio pateremini: hoc vnum dolet, quòd gnari à Romano pontifice probatam esse, nihilominus adsensu amplecti recusemus. Atq; eo etiam nomine nobis communionem fidelium & vitam tum terrenam tum cœlestem adimitis & abjudicatis. Hîc jam, pro adserendâ scilicet immensâ & inenarrabili Romani pontificis auctoritate, vitam & sanguinem ponere paratis estis; pro fide, inquam, non antiquâ Christianâ, sed nouâ Hildebrandinâ. Quam paullò attentiùs, quæso, considerate, Habet etiam ipsa, puto, pro fine æternam salutem & gloriam. Medium autem obtinendi finis non inuenio aliud,

aliud, quàm absolutam & cæcam obœdientiam Pontifici præstandam tum in credendo, tum in agendo. Principium igitur omnium collectionum & discursuum ad hanc fidem facientium primum & summum hoc est, *Quidquid Romanus pontifex definit est verum.* Ejus enim auctoritas maior est quàm Scripturæ, juxta Siluestrum Prierlatem; &, vt dictauit ipse Hildebrandus, *nullum capitulum, nullusq́; liber canonicus habetur absq́; eius auctoritate:* ille est *conditor & demiurgus sacrorum dogmatum*, juxta Abrahamum Bzouium. De Christo multum credi, quæ est ejus comitas, non exigit. Sufficere enim potest tum Christi, tum reliquorum Symboli articulorum fides implicita, id est, ignorantia. Ita enim tradunt Pontificiorum mysteriorum præcipui interpretes Canonistæ sub initium Decretalium; eo sanè loco, quo de fide catholicâ tractatur. Nonnullorum verba nos non ita pridem produximus: inter quos facilè præcipuus Innocentius, Pontifex eo nomine quartus. *Tradunt,* ait Iohannes Fichardus, *eum post synodum Lugduni habitam, in quâ Fridericum secundum imperio abdicauit, quum ibidem longiùs moraretur, commentarios suos in Decretales conscripsisse: qui quidem commentarij in tantâ apud posteros Iureconsultos auctoritate dignationeq́; fuerunt, vt plerìq́; patrem veritatis Innocentium appellauerint.* Præter eos videre potest, cui lubet & integrum est, Henricum Cardinalem Ostiensem, Iohannem Andream, Iohannem de Imola, Baldum Perusinum; omnes ejus, quod diximus, initij Decretalium interpretes. Omnes docent, ad salutem (quòd enim à prælatis & episcopis plura requirunt, ea tamquam necessaria non ad habendam salutem ratione fidei, sed ad satisfaciendum officio ratione justitiæ requiruntur) sufficere fidem implicitam Christi & articulorum Symboli,

Dial. adv. Luther.

De Romano Pontif. cap. 21.

Vit. Iurisconsult.

boli,

boli, id est, vt ostendimus, ignorantiam, conjunctam tamen cum promtitudine adsentiendi, quàm primùm constiterit Ecclesiam, hoc est, Pontificem, vel hos ipsos, vel quæcumque alia, huc nihil facientia, credenda proponere. Plus videlicet detrahit auctoritati Pontificis, qui eius propositionem siue definitionem cognitam rejicit, quàm qui planè ignorat. Hinc est, quòd tolerari potest ignorantia, sed non contradictio. Ex præscripto itaque religionis Hildebrandinæ, quod credenda attinet, obtinetur salus, si credatur, quidquid à Pontifice propositum esse constiterit. Quod agenda attinet, similiter; si agatur, quidquid ille jusserit. Verbi gratiâ. Si jubeat abstinere calice Eucharistico, abstinendum est, *hoc non obstante, quòd Christus Dominus sub vtraq; specie instituerit & administrauerit.* Si jubeat Imperatorem vel Regem à subditis deseri, aut etiam bello peti & è solio deturbari, parére illi debent, etjamsi lex Dei & naturæ, & jurata fidelitas contrarium inculcent.

Synodi Constant. & Trident.

CXXXI. Hæc est summa fidei & religionis Romanæ Hildebrandinæ. Expendite nunc quæso, Domini Moguntini, num pro eâ siue in vsus vestros retinendâ, siue nobis obtrudendâ, vitam & sanguinem velitis profundere. Edita est apud Vos Moguntiæ Discussio decreti synodi Lateranensis de potestate Ecclesiæ siue Pontificis in temporalibus, auctore Guilhelmo Singletono, S. Theologiæ doctore & professore Duacensi. *Docet*, inquit, Ecclesia Romana, *Principe publicè per sententiam summi Pontificis abdicato, omnes subditos ab eius obedientiâ esse solutos, & ditionem eius ab alio posse occupari: item Principe publicè excommunicato, subditos à iuramento fidelitatis esse absolutos; ita vt non teneantur ei parére donec reconcilietur. Imò prohibet ne illi pareant, si censura est denuntiata.* Deinde agnoscit,

Annò 1613.

Num. 25.

scit, nisi verum sit, Deum illam Reges improbos, (imò etiam ignauos & regnandi imperitos) deponendi & subditos à iurata fidelitate absoluendi potestatem Pontifici contulisse, *ista omnia falsa fore, neq; solùm falsa, sed etiam perniciosa. Quia per ea subditi ad rebelliones & periuria incitabuntur: imò etiam inuiti & reluctantes compellentur.* Nempe argumentum, quod toto illo tractatu acriter & vehementer vrget, est tale: Aut Deus reuera Pontifici potestatem, qualem diximus, contulit; aut sequitur Romanam ecclesiam errare, imò postremis hisce seculis veram ecclesiam non fuisse. Posterius ab omnibus suis tanquam notorium absurdum & falsum reiectum iri; & ex eo negato prius validè inferri posse confidit. Operæ autem precium erit non leue, & ex vsu lectoris, hîc apponere ipsissima hominis verba, quibus, quæ ex negato priore (nimirum si potestas, qualem diximus, Pontifici diuinitus collata esse negetur) necessariò & indubitato sequuntur, colligit. *Primò*, inquit, *sequitur Ecclesiam à multis iam seculis (saltem à quingentis annis) errasse in doctrinâ maximi momenti, vtpote fundamentali in totâ penè gubernatione, dicendo se habere potestatem à Christo Domino statuendi in certis euentis de temporalibus suarum ouium, etiam Regum & Principum, quum nullam talem potestatem habeat. Hic enim error longè perniciosior erit, magisq; intolerabilis, quàm error circa aliquod sacramentum. Secundò sequitur Ecclesiam non solùm tot seculis errasse, sed etiam voluntariè & ex ambitione errasse, peruertendo de industriâ doctrinam veteris Ecclesiæ & sanctorum Patrum de potestate Ecclesiæ, & inuehendo nouam illi contrariam; idq; ad inuadendam Principum iurisdictionem, & politicam gubernationem ad Principes pertinentem, quod sanè grauissimum est flagitium. Tertiò sequitur Ecclesiam non solùm errasse, & peruertisse de industriâ veterem doctrinam, sed* Num. 49.

etiam

etiam erraſſe in plurimis ſuis decretis & præceptis morum, idq́; perniciosè & grauiſſimè: imò ſtudiosè & ſcienter iniqua decreta feciſſe. Condidit enim canones plurimos, quibus ſtatuit de iuribus temporalibus laicorum; qui omnes tutò poterunt contemni tamquam irriti & iniurioſi, vtpote abſq; legitimâ poteſtate per vſurpatam iniquè iurisdictionem conditi. Condidit etiam alios canones, quibus declarat ſubditos Principi hæretico, vel notoriè excommunicato non teneri obedire, non obſtante iuramento fidelitatis, aut homagij, quo illi erant obſtricti. Deniq; per edicta generalia ſæpius præcepit, & cenſuris compulit ſubditos non obedire tali Principi, & recedere ab eius imperio, & illi reſiſtere, eoq́; expulſo alium acceptare. Quibus omnibus quid poteſt in gubernatione eſſe iniquius, nocentius, aut magis peruerſum? Quartò ſequitur Eccleſiam multis ſeculis erraſſe, & etiamnum per totum orbem errare in praxi iudiciariâ, & vſu tribunalium ferendo ſententias iniuſtas, & exſequutiones iniquas faciendo aduerſus laicos, dum eos pœnis pecuniariis, quas ipſa irrogare non poteſt, plectit: ac proinde omnia tribunalia Eccleſiaſtica eſſe iniqua & tyrannica, vtpote ex Iuriſdictione vſurpatâ. Quintò ſequitur poſſe tutò contemni Eccleſiæ decreta, præcepta, ſententias & cenſuras, quibus de temporalibus laicorum ſtatuit ac diſponit, tamquam nullas, & intolerabilem errorem continentes. Imò quando de Principum, qui Catholicam religionem oppugnant, vel Eccleſiæ ſunt rebelles, iuribus diſponit, ſubditos non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri non parêre; ſed debere eius mandata & cenſuras tamquam iniquas contemnere, eò quòd ad rebellionem, ſeditiones, & periuria impellant. Sextò ſequitur erraſſe Gregorium ſeptimum in decreto quod in ſynodo Romanâ edidit his verbis: Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolicâ autoritate a iuramento abſoluimus: et ne fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibemus, quouſq; ipſi ad ſatisfactionem veniant. Quadruplex

Can, Nos ſanctorum 15. q. 6.

plex, hic error vel impostura erit. I Quòd sanctis Pontificibus, qui eum antecesserunt, talia statuta assignet. Si enim talia fecerunt, non sancti sed scelerati fuere; vt aduersarij volunt. II, Quod absoluat subditos à iuramento fidelitatis, quo suo Principi erant obstricti, quum ad hoc potestatem non habeat. III, Quòd prohibeat omnibus modis, ne suo Principi fidelitatem seruent. IV, Quòd dicat id se facere autoritate Apostolicâ, quum faciat autoritate sibi ex ambitione vsurpatâ. In primo erit iniurius in Summos pontifices. In secundo erit sacrilegus abusu sacræ potestatis in soluendo iuramenti vinculo; & faciet Principis subditos periuros. In tertio coget ad deneganda tributa & obedientiam, & impellet ad rebellionem. In quarto vtetur perniciosâ hypocrisi, tribuens autoritati Apostolicæ, quod solâ ambitione & tyrannide vsurpauit. Septimò errasse Vrbanum secundum, & iniquum esse eius decretum, quo sic statuit: Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeto. Qui si sacramenta prætenderint, moneantur oportere magis Deo seruire, quàm hominibus. Fidelitatem enim quam Christiano Principi iurarunt, Deo eiusq; sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nullâ cohibentur autoritate persoluere. 11 quæst.6. can. vlt. *Eadem enim incommoda continebit, quæ decretum Gregorij, nimirum perniciosam doctrinam, incitationem ad periurium & inobedientiam, & rebellionem contra legitimum superiorem: & totam ecclesiam, quæ hoc decretum recepit, ijsdem sceleribus inuoluet. Octauò, iniquum & perniciosum esse Gregorij IX decretum, quo sic statuit: Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, hominij & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quacumq; firmitate vallato tenebantur obstricti.* Cap. finali Extra de hæret. *Nonò, iniquum esse decretum concilij œcumenici Lateranensis CCXXC episcoporum sub Alexandro tertio, cap. XXVII. Decimò, iniqua esse multa decreta concilij œcumenici Lateranensis sub Innocentio tertio. Tria manifestò id ponit Conciliũ, tamquam certa & indubitata, quæ ad dogma potestatis Ecclesiæ pertinent. I Summum pontificem habere potestatem in tali casu* non ex-

pulsorum hæreticorum *absoluendi subditos Principis à vin-
culo iuramenti, & fidelitatis, quo illi erant obstricti. II posse
ipsum deponere Principem, & iure regnandi priuare, & hoc eius
ius in alium conferre. III Excommunicationem publicam
habere eam vim, vt subditos liberet ab obligatione parendi, & ser-
uandi iuramenti, quod Principi præstiterunt. Quòd si Summus
pontifex hanc potestatem non habet, errat Concilium in tribus
istis quoad doctrinam, idq; grauissimè & perniciosè. Vndecimò
sequitur, errasse concilium œcumenicum Lugdunense vnà cum
Innocentio IV in depositione Friderici secundi. XII, errasse con-
cilium Viennense, quatenus sensit potuisse Romanum pontificem
transferre Imperium à Græcis ad Germanos, & re ipsâ transtulis-
se. XIII, errasse concilium Constantiense* semel atque ite-
rum. Errores ab auctore producuntur. XIV, *simili modo
errasse concilium Lateranense sub Leone decimo. XV, errasse
Num. 67. concilium Tridentinum, idq; tribus locis. En tibi,* inquit,
*septem concilia œcumenica, quæ manifestè tradunt vel supponunt
hanc doctrinam de Ecclesiæ in temporalibus potestate, eaq; in pra-
xi vtuntur, & decreta maximi momenti super eâ fundant. Vnde
si aduersariorum sententia vera est,* id est, si eiusmodi pote-
stas Ecclesiæ & Pontifici non est diuinitus collata, *di-
cendum erit, omnia illa concilia errasse in doctrinâ maximi mo-
menti, & in plurimis grauissimis decretis, ac morum præceptis;
perniciosa, iniqua, seditiosa, & sacrilega mandata ecclesiæ propo-
nendo & imponendo. XVI sequitur, portas inferorum præua-
luisse aduersus ecclesiam, eamq; à quingentis & ampliùs annis con-
cidisse. Quomodo enim potest esse vera Christi ecclesia, con-
tra quam diabolus ita præualuit, vt eam in manifestos contra ius
naturæ, & omnem æquitatem errores impulerit? Quam ita am-
bitione excæcauit, vt ipsa falsam & perniciosam doctrinam de
suâ in temporalibus potestate excogitaret, eamq; tamquam à
Christo traditam, & in Sacris scripturis comprehensam toti orbi
pro-*

proponeres? Quâ & in omnibus tribunalibus aduersus laicos, & in omnibus regnis aduersus Principes & summos Magistratus ad eos imperio deijciendos, & suis dominiis exuendos vteretur? Illa non est vera Christi ecclesia, quæ docet perniciosos errores tamquam doctrinam à Christo traditam, & in Scripturis contentam. Nam vt ait Apostolus I ad Tim. III, Ecclesia, domus Dei viui, est columna & firmamentum veritatis. Atqui si vera est aduersariorum sententia, Ecclesia Romana iam à quingentis annis docuit perniciosos errores tamquam doctrinam à Christo traditam, & in Scripturis comprehensam. Ergo ipsa non est vera Christi ecclesia. Rursus, Illa non est Christi Ecclesia, quæ condit decreta per se iniqua, & populo Christiano perniciosa. Atqui aduersariorum iudicio Ecclesia Romana à quingentis annis condidit decreta per se iniqua, & populo perniciosa: nimirum quibus populus incitaretur, imò & censuris compelleretur ad inobedientiam, rebellionem, seditionem, periuria, & ad officia omnia fidelitatis, vectigalia, ac tributa suo Principi deneganda, & ad eum solio deturbandum. Ergo Ecclesia Romana non est vera Christi Ecclesia. Item, Si Ecclesia in istis errauit, etiam in cæteris errare potuit. Si enim vel in uno puncto religionem vel mores tangente errauit; ergo non habet infallibilem Spiritus sancti, à quo in omnibus dirigatur, assistentiam: ac proinde sicut in vno errauit, ita potest errare in aliis. Si errauit circa propriam potestatem (quæ maximè ipsi perspecta esse debebat propter assiduam vsum, & plurima decreta, quæ illâ nituntur, & ad grauissima incommoda cauenda, quæ ex errore illo secutura erant) multò faciliùs potuit errare circa sacramenta, circa librorum canonicorum notationem, circa Scripturarum expositionem, &c. Si errauit in decretis morum, & perniciosos, iniquos, & iuri naturali repugnantes canones & præcepta condidit, cur cæteros ipsius canones magni æstimem, aut suspectos non habeam? Si ex ambitione Summi pontifices peruerterunt veterem Ecclesiæ doctrinam de potestate Ecclesiæ, & mul-

ta concilia non solùm prouincialia, sed etiam œcumenica in hanc corruptelam consenserunt, eamq; laudarunt, & suis decretis corroborauerunt; vnde erimus securi nihil simile contigisse in cæteris Ecclesiæ dogmatibus? Denique illa non est Ecclesia Christi, quæ suâ gubernatione, suisq; præceptis oues Christi non dirigit ad salutem, sed præcipitat in damnationem: cuius ductum si sequeris, si fidem ei adhibes & obtemperas, periisti; si contemnis & reniteris, saluus es. Atqui talis est Romana ecclesia in suis præceptis & dogmatibus, si verum non est Pontifici potestatem, de quali hîc loquimur, à Christo traditam esse. *XIIX sequitur, Principes & omnes laicos habere iustam caussam recedendi ab Ecclesiâ. Si enim Ecclesia ex ambitione commenta est illam doctrinam de suâ in temporalibus potestate, vt specie religionis iurisdictionem Principum & laicorum fortunas inuaderet, & in eum finem iniquissima decreta condidit, quomodo illi inducent in animum vt credant eam Spiritu Dei regi? Cur non possint etiam in aliis decretis & definitionibus eam habere suspectam, tanquam spiritu humano gubernatam?*

CXXXII. Per compendium proposuimus, quæ ille totâ tractatus ejus parte tertiâ seriò vrget, retentis tamen vbique ipsis auctoris verbis. Argumentum, vt diximus, tale est: Aut verum est, potestatem deponendi Reges Pontifici à Christo esse collatam; aut indubitatò sequuntur, & necessariò de Romanâ ecclesiâ & Pontificibus affirmanda erunt, quæ auctor longâ serie enumerat. Consequentiæ profectò firmæ & validæ sunt; nosq; eas admittere cogimur: saltem pro Ecclesiâ Romanâ substituatur Curia Romana, id est, Pontifex, Cardinales, horumque σύνεργοι, ministri & mancipia, quorum, vt talia obtinerentur & Christiano orbi obtruderentur, ex destinato consilio & proposito opus ac labor fuit. Neque enim omnes vel in ipsâ Româ, nedum in aliis partibus

ecclesiæ

ecclesiæ latinæ, quid ageretur vel obseruarunt vel penetrarunt, multò minùs probarunt aut promouerunt: non pauci verò ex intelligentioribus acriter contradixerunt. Errante igitur, & quidem turpiter & flagitiosè errante Curiâ Romanâ, non propterea similiter errauit tota ecclesia Romana; omnium autem minimè tota latina vel occidentalis ecclesia. Quam etiamsi aliquo fortè modo repræsentasse existimentur quædam ex septem illis conciliis, quæ œcumenica vocat Singletonus, sed reuera ex vnâ duntaxat parte ecclesiæ, ex Latinis videlicet, iisque Pontifici obnoxiis fuerant collecta: meminisse tamen oportet, quæ Claudium Espensæum ex sententiâ Ludouici Arelatensis scripsisse alibi monuimus, nempe *factum esse posterioribus seculis, vt in conciliis id* (In 1 c. ad Tit. digress. 1.) *demum fiat, & necessariò fiat, quod nationi placeat Italicæ*; item Pontificem, qui plerisque præsederit, tota in potestate suâ habuisse, & ea præsertim, quæ Romæ in Laterano celebrata. Quod itaque Pontifex cum suâ curiâ, suisque addictis vel ab eo deceptis peccauit, toti occidentali ecclesiæ impingi non debet. Quamobrem quod XVII loco (Num. 71.) sequi existimat Singletonus, non sequitur, *Christum fefellisse & nobis imposuisse, quandò Matthæi XVI dixit, quòd portæ inferi aduersus ecclesiam suam non præualebunt, & quando Matthæi vltimo promisit, se adfore ecclesiæ suæ omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Id ne quidem sequeretur, etiamsi tota ecclesia latina in ista præcipitia à Pontifice abducta fuisset. Respondeat itaque pro nobis Alfonsus Tostatus, cujus in præfatione in Matthæum, quæst. XIII, hæc sunt verba: Quòd Ecclesia dicitur *columna & firma-* (1 Tim. 3,15.) *mentum veritatis, non potest accipi de aliquâ ecclesiâ particulari, quia nulla particularis ecclesia est columna & firmamentum veritatis, eò quòd qualibet particularis ecclesia potest errare in*

 fide

fide & in moribus: sed hoc conuenit soli ecclesiæ vniuersali, quæ numquam errat, quia numquam tota errat. Item ad prologum II in Matthæum, quæstione III: *Ecclesia Latina non est ecclesia vniuersalis, sed quædam pars eius: ideo etiamsi tota ipsa errasset, non errabat ecclesia vniuersalis, quia manet ecclesia vniuersalis in partibus illis, quæ non errant, siue illæ sint plures numero quàm errantes, siue non.* Accedat Melchior Canus, qui sub finem libri quarti de Locis ita loquitur: *Fidei præsentis vniuersitas ad eam vniuersitatem referenda est, quæ tempore antè actorum ecclesiâ fuit, & hæc ad illam tandem, quam Apostoli in totum orbem ediderunt. Ex quo efficitur, vt quamuis Christiana fides in vnius fortè prouinciæ angustias redigeretur, nihilominus catholica esset; & prouincia item, quæ eam fidem haberet, ecclesia esset etiam catholica.* Hoc igitur vnum, quod loco, vti diximus, decimo septimo ex negata dogmatis Hildebrandini veritate sequi putat Singletonus, non sequitur.

CXXXIII. Vobis, Domini Moguntini, qui *maultis vitam & sanguinem, quàm vel tantillum de fide* hodiernâ *Romanâ deperdere*, accuratè dispiciendum erit, vt veritatem dogmatis Hildebrandini de potestate Reges deponendi Romano pontifici diuinitus collatâ demonstretis & euincatis: sin, incumbunt vobis & premunt omnes illæ consequentiæ, quas ex illo dogmate, si falsum fuerit, aduersus Pontificem & Curiam deduxit Singletonus. Nec aliis ad subruendam Pontificis ac Curiæ auctoritatem & fidem machinis opus est, quàm his ipsis. Ruentibus non nisi probatione, quæ demonstret & euincat, subuenire potestis. Sed vnde eam accersetis? Scriptura nihil suppeditat: tantumdem genuina primorum seculorum antiquitas. Quod de hac æquè certum est, atque de illâ. Inde Bellarminus, quum id dog-

ma

ma contra Barclaium defendere conaretur, coactus fuit scribere: *Non rectè de ecclesiâ Christi sentit, qui nihil admittit, nisi quod expressè in vetere ecclesiâ scriptum aut factum esse legit.* Quàm bene hoc conueniat iis, quæ vestri alias vrgere soliti, & quæ paullò antè ex vestris Michaele Sidonio & Martino Becano in medium produximus, ipsi, si qua Vobis adhuc superest dijudicandi facultas, arbitramini. In Gallia sanè & Lutetiæ Parisiorum dogma illud Hildebrandinum, quod magnam facit partem hodiernæ fidei Romanæ, adeo est certum, vt si quis liber illud adstruens compareat, illicò condemnetur, deportetur, imò vel manu carnificis in ignem conijciatur. Hispanos doctores aliter animatos esse video. In ipsâ Hispaniâ Franciscus Suarez illud contra Iacobum Magnæ Britanniæ Regem Defensione fidei, vti vocat, catholicæ sex libris comprehensâ, ausus fuit adserere. In Belgio non modo Singletonus, è quo tot sequelas prorsus firmas & validas produximus, idem propugnat, sed plures etiam alij. Videatur Thomas Stapletonus, qui & Duaci & Louanij regius fuit primarius professor, libro secundo de magnitudine ecclesiæ Romanæ, capite tertio, vbi exempla exauctoratorum à Pontifice Imperatorum & Regum commemorat: & inter cætera, *Quid,* ait, *quòd propter imperandi ignauiam, & Chilpericus Rex Francorum suffecto Pipino Martelli filio, — & Carolus Crassus Imperator, Adolphus quoque & VVenceslaus Imperatores, ac demum Sanctius Portugalliæ Rex, Romanorum pontificum autoritate à regali & imperiali fastigio depulsi sunt?* Itaque non propter impietatem modò, sed propter imperitiam quoque vel ignauiam regnandi à Pontificibus Reges, non aliter quàm à dominis prædiorum villicos, abdicari posse contendit. Scripserat ante eum Dominicus de Dominicis, patriâ Venetus, primùm

Cap. 11

Num. 117.

Torcel-

Torcellanus, deinde Brixianus episcopus, cujus quo-
Num. 99. que superius facta fuit mentio; *Papa non solùm potest deponere Imperatores & Reges, verùm etiam imperium & regnum exstinguere in laicis, etiam sine caussâ, & principatus supprimere, & noua regna aut principatus erigere.* Hæc tamen ad-
Lib. 6, c. 10, num. 1. duco fide alienâ, nempe M. Antonij de Dominis. Iohannes Malderus, quondam professor Louaniensis, deinde
In 2, 2: Tr. de Pontif. disp. 8. episcopus Antuerpiensis docet, *posse interdum Papam Principes in suæ iurisdictionis vsu delinquentes censuris coërcere, & valde negligentes interdum deponere. Ita Zacharias Papa deposuit Childericum Francorum regem.* Fundamentum sententiæ profert verba Gregorij VII siue Hildebrandi,
C Alius; 15, quæst. 6. quæ Gratianus Decreto inseruit, hæc videlicet: *Romanus pontifex Zacharias Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit; & Pipinum Caroli magni Imperatoris patrem in eius locum substituit, omnesq; Francigenas à iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, absoluit.* Epistola ad Hermannum episcopum Metensem, vnde ista depromuntur, XXI est in libro IIX Regesti epistolarum Gregorij VII: tota in Imperatores, Reges & Principes injuriosa & contumeliosa. Quantum omnes eos deprimit, tantùm ecclesiasticos, quosuis etiam, extollit. *Quis*, inquit, *vel tenuiter sciolus sacerdotes dubitet Regibus anteferri? Quòd si Reges pro peccatis suis à sacerdotibus sunt iudicandi, à quo rectiùs, quam à Romano pontifice iudicari debent?* Cujus potestatem deponendi Reges, & absoluendi à sacramento fidelitatis subditos, fundatam esse adserit in verbis Christi, *Tu es Petrus &c. Quodcunq; ligaueris & quodcunq; solueris &c. Numquid sunt hic*, ait, *Reges excepti? aut non sunt de ouibus, quas Filius Dei B. Petro commisit?* Principatus & dominatus politici originem tantùm non diabolo auctori acceptam fert. *Itane*, inquit,

inquit, *dignitas à secularibus, etiam Deum ignorantibus, inuenta, non subycietur ei dignitati* Pontificiæ, *quam omnipotentis Dei prouidentia ad horrorem suum inuênit, mundoq; misericorditer tribuit? — Quis nesciat Reges & Duces ab ijs habuisse principium, qui Deum ignorantes superbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidijs, postremò vniuersis penè sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines, dominari cæcâ cupiditate & intolerabili præsumtione affectauerunt?* Ista Hildebrandina componantur cum hisce Paulinis, *Non est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ: itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* componantur, inquam, & dispiciatur, an manifestæ hæreseos notam possint effugere. Vnum adhuc jungo specimen omnipotentiæ Pontificiæ. Scribit Alexander Carerius Patauinus libro II de potestate Romani pontificis, cap. XIX: *Quum legitimus esset orientalis imperij dominus Balduinus secundus, Michaël Palæologus id inuasit. — Placuit Gregorio decimo adiudicare orientale imperium Michaëli Palæologo, & auferre illud Balduino. — Michaël autem pollicebatur se fore in fide Ecclesiæ catholicæ vnà cum Græcis, quod pro virili præstitit, quoad vixit. Atque ita Gregorius X abstulit iura orientalis imperij Balduino vero domino, & dedit Michaëli, qui nihil iuris habebat.* Non inquiro nunc in veritatem historiæ siue rei gestæ: saltem quantum Pontifici tribuatur, ostendo. *Hic* igitur *in re*, ait idem scriptor sub finem operis, *Itali maximè se diuino munere extollant, quòd habeant principem cælestem, pontificem scilicet Romanum, qui — Reges & Imperatores maximos solio deiecerit, aliosq; ad illud euexerit, ita vt nemo ex vllâ orbis parte vnquam tot ac tam magnis ditionibus imperantes vel eis exuerit, vel ad eas promouerit: & eidem per tantum tempus maxima Regna tributum soluerint, quantum nulli hac in re euenit: opes porrò tantas*

Rom. 13, 1.

Edit. Colon. 1601.

inter suos partiatur, quantas nullus vmquam Rex vel Imperator.

CXXXIV. Mirum quidem videri possit, quòd Rex Hispaniæ in suis regnis & terris concedat doceri & in publicum emitti, qualia Suarezium, Singletonum, Stapletonum, Malderum scripsisse paullò ante audiuimus. Monet autem Thuanus, quòd *in aulâ Romanâ vulgò iactatum fuerit*, Regem Hispaniæ *disciplinâ à maioribus acceptâ huiusmodi disceptationes de supremâ Pontificis in cæteros principes, etiam in iis quæ ad ciuilem administrationem spectant, passim atq; in Hispaniâ ipsâ agitari non inuitum audire, & præmeditato consilio dissimulare, quod eas ad se minimè pertinere existimet, quippe præpotentem, & qui Pontificum molitiones in suis ditionibus facto non verbo reuincere sit solitus, & cùm hoc facit, sciat Pontifices mutire non ausuros, quod insigni exemplo in Siciliensi negotio aliquot post annis patuit*, nempe quando sub graui pœnâ proscriptus est vndecimus tomus annalium Baronij, quòd disputationem de Siculâ, quam vocant, monarchiâ Regiis juribus aduersantem, longè tamen minoris momenti, quàm istæ sunt adsertiones, complecteretur. Thuanus, quem modò allegauimus, Vobis Moguntinis dicitur *historicus Politicè-catholicus*. Quo ipso in memoriam nobis redigitis, vestros in duo genera necessariò dispescendos esse, quorum si vnum est Politicè-catholicorum, quòd regna & politias arbitrio & dispositioni Pontificis subdi nolint; alterum erit Hildebrandicè-catholicorum, quòd Hildebrandi de potestate in reges & regna Pontificibus diuinitus traditâ doctrinam approbent. Si non placet appellatio, quum non immeritò etiam dubitetur, quàm rectè vocentur Catholici, de alio commodiore titulo dispicere cuiuis integrum esto. Interim non dissimulabo, quomodo loquutus fuerit

Libro 137.

Sect. 1. n. 6.

erit

erit adeo Vobis inuisus, quia pacis, quam Vos auersamini, studiosus, Georgius Cassander. *Sunt*, inquit, *qui Pontificem Romanum, quem Papam dicimus, tantùm non Deum faciunt, eiusq. auctoritatem non modò supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam diuinam efferunt, & sententiam eius diuinis oraculis parem. imò infallibilem fidei regulam constituunt. Hos non video cur minus Pseudocatholicos & Papistas appellare possis.* Et sanè hos Pseudocatholicos siue Hildebrandicè-catholicos Pontificiam definiendi infallibilitatem, tamquam fundamentum & principium, ponere oportet: nihil enim suppetit aliud, quo dogma illud stabiliant. Econtra eamdem reijcere oportet Politicè-catholicos. nam si admittant, non poterunt itidem non admittere, quam damnant & profligatum eunt, opinionem. Hanc enim Pontifices complures tum decretis tum factis, inprimis Gregorium VII & Innocentium III sanxisse, satis luculenter demonstrauit Singletonus. Quin vlteriùs quoque pergere eos oportet, & pari ratione aliis nouis dogmatibus, quæ veteribus Apostolicis & catholicis per definitiones Pontificias accesserunt, certitudinem derogare. Neque enim, nisi vltrò caussâ cadere velint, dicent, vti dixit in Ratisbonensi colloquio Gretserus, *Multa fuerunt libera vsq. ad Ecclesiæ definitionem, post definitionem verò transierunt in articulos fidei.* Repudiatis itaque nouis, inhærebunt veteribus priscæ & primitiuæ fidei articulis. Neque video, quam consequentiam ex iis, quas nexuit Singletonus, si non de ecclesiâ sed de curiâ Romanâ accipiantur, declinare possint, vel solidè refellere. Haut procul igitur aberunt, quin omnia, quæ inferuntur, admittant. Et rectè sibi consulent, si obtestationis, quam sequelis suis subjungit Singletonus, rationem habeant. *Rogo*, inquit, *omnes eos,*

De officio pij viri.

Sess. 10.

Num. 74.

eos, qui catholico nomine censentur, per æternam ipsorum salutem, quæ in hac quæstione versatur, (certè agnoscendis Pontificis & Pontificiæ curiæ erroribus, & immensæ ambitioni, & tetris facinoribus hæc quæstio ansam præbere idonea) *ut ista, quæ inferuntur scilicet, expendant, & seriò secum discutiant; & tunc demum statuant, quod veritati & saluti videbitur magis consentaneum.* Faciant, non pœnitebit.

CXXXV. Dubium enim non est, Politicè-catholicos, modò quæ valido nexu concatenata cohęrent non divellant, & omnia maturo judicio expendant, repudiaturos vnà cum potestate Reges deponendi Pontificiam infallibilitatem & reliquorum dogmatum nouitatem: neque pro adserendâ siue illâ potestate, siue infallibilitate, siue reliquâ nouitate arma sumere, & in ciues suos veteribus articulis acquiescentes ferro & igne sęuire velle. Qui modus procedendi & persuadendi quũ Hildebrandicæ fidei sit consentaneus, & zelotis Hildebrandicis vnicè probetur, iique præterea animaduertant, summam sui Christianismi siue suæ religionis, quæ tota in hoc vno posita est; *Romanum pontificem* (verbis vtar duorum Alexandrorum, Carerij Patauini, & Pesantij Romani) *iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis*; per hypotheses Politicè-catholicorum labefactari & euerti: hinc igitur est, quòd illi hos oderint cane pejus & angue. Nomen id, quantum expiscari licet, enatum primum est in Galliâ, quum propter occisum Cardinalem Guisium Regi Henrico III regnum adimere conaretur Pontifex, & in eum Sacram, quam vocabant, Ligam immitteret. Politici tamen dicti potiùs tunc sunt, quàm Politicè-catholici; reliqui erant Zelotæ: cœptumque affirmari, vt memorat Thuanus, *Catholicum zelotam*

De potest. R. Pont. l. 2, c. 9. De immun. eccl. & R. P.

Lib. 95.

lotam quum mentiretur, quàm Politicum quum vera diceret, plus gratiæ apud Deum mereri. Et, si eidem credimus auctori, quando res in eo jam erat, vt interimeretur Rex Henricus tertius, *pridie quàm cædes patrata est, centum & ampliùs ex ciuibus primoribus tamquam suspecti, quos Politicos vulgò vocabant, Meduanij iussu capti sunt, vt veluti vades essent, ne Clemens, si capi, non etiam statim interfici eum contigisset, ad indicandos conscios torqueretur, aut supplicio ob parricidium afficeretur.* Lib. 96. Non diu post patratam cædem regiam Duaci orationem habuit Thomas Stapletonus hac propositâ quæstione, *An Politici horum temporum in numero Christianorum sint habendi?* Negat ille & pernegat. *Hoc hominum,* inquit, *genus præ omnibus, quos nunc terra sustinet, exsecrabile. Nihil minùs sunt, quàm Christiani: hæretico & Turcâ deteriores sunt.* Item: *Venio ad secundam orationis nostræ partem, in quâ quanta sit Politicorum nostrorum impietas, quàm etiam ethnicorum iudicio exsecranda, quantisq; pœnis ac suppliciis digna, dicendum mihi est.* Et post pauca: *Quid moramur de illis confestim sententiam ferre, & vt monstra ac portenta mundi, non Christianorum tantùm, sed omnium bonorum virorum societate indignos, pronunciare?* Tandem orationem satis prolixam his terminat verbis: *Hoc hominum genus ab omni repub. & societate Christianâ, tamquam hostes eius maximè infensos, studiosè cauendos, & si opus fuerit abarcendos, omniq; loco & autoritate deyciendos, censeo.* Alexander Carerius titulo præfert, suos se libros *de potestate Romani pontificis aduersus impios Politicos & nostri temporis hæreticos* scripsisse.

CXXXVI. Quantoperè dissideant & quando odio collidantur Politicè-catholici & Hildebrandici, ex his est manifestum. Galli certè hodie Politici sunt: nec de iis, qui libros Bellarmini, Sanctarelli & similium proscribunt aut exurunt, dubitari potest. Hispani contrà

 trà

trà & Itali doctores, Hildebrandici. Quibus doctrinæ suæ de Pontificiâ exauctorandorum Regum potestate tenacibus vix videtur aliter cum Politicis eam auersantibus conuenire posse. Nempe doctrina illa ipsis est articulus fidei, verbis & factis non semel nec ab vno Pontifice definitus. In recente est memoriâ, quid non diu post initium hujus seculi in Magna Britannia acciderit. Exigebat serenissimus Rex Iacobus à subditis suis juramentum fidelitatis, quo testarentur se verè & sincerè agnoscere ac profiteri, Regem regnorum quæ possideat supremum esse dominum, nec potestati Pontificiæ subjectum, vt per eam ipsi regna auferri & ad alterum extraneum transferri, vel subditi à præstito juramento absolui & ad arma in ipsum capienda licentiam consequi possint; detestarentur etiam doctrinam, quâ adseratur Regem à Papâ excommunicatum vel depositum à subditis & aliis quibuscumque regno & vitâ deijci licitè posse. Hæc enim sum̃a eorũ, quæ juramento comprehenduntur. Tandem adijcitur: *Vlterius credo, & in conscientiâ meâ resoluor, quòd nec Papa, nec alius quicumque potestatem habeat me ab hoc iuramento aut aliquâ eius parte absoluendi.* Paulus quinctus pontifex de hoc juramento factus certior ad suos, quos sibi addictos in Angliâ habebat, Breue misit, datum Romæ sub annulo Piscatoris, x Kal. Octob. anno cIↃ IↃ c vi; cujus inter cætera sunt hæc verba: *Non potestis absq; euidentissimâ grauissimaq; diuini honoris iniuriâ obligare vos iuramento, quod audiuimus p̃ropositum vobis fuisse præstandum. Vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quòd huiusmodi iuramentum, saluâ fide Catholicâ & salute animarum vestrarum, præstari non potest, quum multa contineat quæ fidei & saluti apertè aduersantur.* Quum autem comperisset, Breue illud à nonnullis in dubium vocari, & adulteri-

num

num ac ſuppoſititium haberi, anno proximo alterum in Angliam ſubmiſit, quo ſuos certos reddidit, *literas Apoſtolicas prædictas de prohibitione iuramenti, non ſolùm motu proprio & certâ ſuâ ſcientiâ, verùm etiam poſt longam & grauem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuiſſe ſcriptas.* Ecce definitionem Pontificiam nuperam, veteribus ſuperadditam, vt jam dubitari non poſſit, *Pontificem Reges deſtituendi & alios in ſolium ſubſtituendi, & ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluendi poteſtate diuinitus à Chriſto collatâ pollere*, articulum eſſe fidei Hildebrandicæ. Quem qui negant, aut etiam flammis abolendum cenſent, eâdem operâ infallibilitatem Pontificiam, primarium illum & fundamentalem articulum, reijciunt. Quâ ſubmotâ, non poſſunt non alia multa nutare, & ruinam minari. Accedit quòd ſecundum doctrinam Thomæ Secundâ ſecundæ, quæſt. v, art. III; & communem Scholaſticorum ad diſt. XXIII Tertij; qui contradicit vni articulo, omnium aliorum fidem tum formatam, tum informem perdit. Ex his facile eſt videre, quàm congruum ſit hypotheſibus Hildebrandicis, imò quàm neceſſarium ſit iis poſitis Politicè-catholicos elogiis, qualia ex Stapletono paullò antè audiuimus, mactare. Contrà Politicè-catholici Hildebrandicis, quos non dubitant Pontifici poteſtatem toties dictam falsò & ſine vllo fundamento tribuere, omnia illa tetra, perniciosa, ſeditioſa, quæ Singletonus enumerat, meritò imputabunt, & quæ prætereà validis ſequelis inde elicit, admittent.

CXXXVII. Ingens profectò adminiculum ad agnoſcendam lucem veritatis, abolendas errorum tenebras, & amoliendum Pontificiæ tyrannidis jugum. Quis enim homo non planè ſtupidus, ne dicam Scripturæ & anti-

antiquitatis non planè imperitus, ſibi perſuadeat, Apoſtolo Petro & poſt eum Romano pontifici poteſtatem Reges deponendi, regna transferendi, à Chriſto eſſe collatam, niſi fortè iniquâ cupiditate Pontificem & Curiam & gentem Italicam ſupra reliquorum mortalium ſortem extollendi dementetur, aut ſpe emolumentorum & honorum ad ſe quoque redundaturorum excæcetur, aut nexu peculiaris cujuſdam voti conſtrictus ligetur? Hujus autem dogmatis falſitas vbi innotuerit, pariter falſitas infallibilitatis, quæ fundamentum eſt multorum aliorum dogmatum, vnà cum reliquis, de quibus antè dictum eſt ſatis, innoteſcit. Nempe infallibilitati Pontificiæ inædificant Pontificij, præſertim Hildebrandici: quâ ſubrutâ molem, quæ ſuperſtruitur, errorum & corruptelarum proſterni neceſſe eſt. At quid euidentius, quid menti humanæ aut priùs aut ſolidiùs inſculptum, quàm effata conaradictoriè oppoſita non poſſe vtraque eſſe vera? Quàm certum autem hoc eſt, tam certum etiam eſt Pontifices, qui de rebus fidei contradictoria definierunt, non eſſe infallibiles. Exemplo nobis ſunt Nicolaus III & Iohannes XXII: quod aduerſus inania & miſera Moguntina ſubterfugia adſeremus Reſponſi parte alterâ. Huic enim, quâ de ſtudio & modo ſarciendæ concordiæ eccleſiaſticæ, re, ſi qua ſub ſole, momenti maximi, agere oportuit, colophonem imponere ratio temporis exigit. Quam, vt verum fatear, non elaboraui vt Vobis, Domini Moguntini, reſponderem, qui truculentiores ex gente Hildebrandicâ zelotæ eſſe videmini, quàm vt rationem pacis habeatis, quin etiam, vt hoc quoq; ex animi ſententiâ addam, rudiores, quàm vt capiatis; ſed vt pro meâ virili in publicum conſulerem, Deiq; gloriæ, Eccleſiæ incremento, &

com-

communis patriæ tranquillitati meâ operâ, quantulacumque ea sit, subseruirem. Alterâ parte, quæ breui subsequetur, exemplum contradictionis in Nicolao III & Iohanne XXII deprehensum, argumenta itidem mea pro præcepto Communionis sub vtraque à friuolis vestris obiectiunculis vindicabo, & crimina hæreseos, contradictionis, falsi, maledicentiæ à meo amota, in caput vestrum, quod ex parte non modicâ pridem factum, retorquebo. Tantilli temporis moram patienter ferte.

CXXXIIX. Quod autem controuersias illas publicas, propter quas Pontificij & Protestantes dissidemus, attinet, videtis ipsi, omnium primam esse de infallibilitate & potestate Pontificis; & propterea primo etiam loco tractari oportere. Vos vnde probetis & euincatis, solliciti este: nobis, vnde positiue refellamus, quod tamen superfluum videri possit, in promtu est. Nos, vt è prioribus intellexistis, principium primum ponimus, QVIDQVID SACRA SCRIPTVRA DOCET, EST VERVM: proximum ab hoc, QVIDQVID PRIMORVM QVINQVE SECVLORVM ECCLESIA VNANIMITER PROFESSA FVIT, EST VERVM. Neutrum reprehendere audebitis: vtrumque admittere tenemini. Conclusiones siue articuli & dogmata nostra inde promta, inde probata &, si opus sit, probanda pari modo sese habent. Fateri vos vel innitos oportet, falsitatis argui non posse, nec accusari, quòd vel directè vel indirectè siue veritati necessariò credendorum, siue publicæ tranquillitati aduersentur. Qualia sunt multa vestra, inprimis, *Pontificem eâ, quâ dictum fuit, potestate præditum esse; Hæreticos esse habendos, quos habeat Pontifex; eosq; in omnibus ex arbitrio Pontificis tractandos esse.* Nullo

Cc autem

autem nostro merito, nullo jure nos à vobis tamquam hæreticos traduci, ipsi, si non aliunde, vel hinc tandem agnoscetis. Nec sit verosimile, tanto vos stupore teneri, vt non intelligatis, quantum tranquillitati publicæ impedimentum objiciatis, dum crepare non desinitis, *Protestantes esse hæreticos*; & simul docetis, *Hæreticos ex iure & arbitrio Pontificio æstimandos & tractandos esse*. Si itaque paci Germaniæ consultum cupitis, alterutrum, imò vtrumque missum facere vos oportet. Sin pertenditis, agedum nos ex veris legitimisque principiis legitimo disputandi modo hæreseos conuincite. Cui vos affirmamus propiores esse, nisi noua vestra dogmata, quæ mox enumerabuntur, è veris itidem legitimisque principiis legitimo demonstrandi & disputandi modo euiceritis. In quibus autem ita euincendis defeceritis, aut planè reijci, si propiùs religionem Christianam attingant, & concordiam Christianorum turbent, aut in medio relinqui, si opiniones innoxiæ & non perniciosæ fuerint, oportebit.

CXXXIX. Decennium nunc est, & diutiùs, ex quo Coloniensi & quibuscumque aliis per Germaniam academiis Romano pontifici deditis & subditis summam fidei nostræ, & vnà, quid in vestrâ desideraremus, breuiter & quasi in tabellâ proposuimus. Proponimus nunc denuò, & quod tunc promisimus, tunc exegimus, nunc denuò promittimus & exigimus. Interrogati, aiebam, quæ fides nostra, quæ doctrina, respondemus eam esse fidem nostram & doctrinam nostram, quam complectitur

Symbolum Apostolicum;
Symbolum Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum;

Ana-

Anathematiſmi Epheſini;
Confeſſio Chalcedonenſis;
Quæ Neſtorianorum & Eutychianorum reliquiis
Quincta & Sexta ſynodi oppoſuerunt;
Quæ item Pelagianis Africana plenaria, ſiue vt vocari ſolet, Mileuitana ſynodus, & Arauſicana ſecunda ſynodus oppoſuerunt.

Hæc ſymbola, hæ confeſſiones & declarationes continent, non modò quæ credere, ſiue quibus fidem & adſenſum præbere hominem Chriſtianum oportet, & ſine quibus cognitis atque creditis ſaluari nequit; ſed illis etiam, qui hæc ipſa docendo tractant & aliis exponunt, ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, quam teneant, præſcribunt.

Quæ autem hiſce ſymbolis, confeſſionibus & declarationibus comprehenduntur, è Sacrâ ſcripturâ hauſta ſunt: quippe in iis, quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi.

Sacra verò Scriptura θεόπνευστος complectitur Legem, Prophetas & Pſalmos, ſiue libros, qui tempore Veteris teſtamenti linguâ hebræâ ſcripti eâdem etiámnum exſtant; & libros Novi teſtamenti, græcè editos.

Porrò rejicimus & damnamus, quoſcumque priſca eccleſia vnanimi conſenſu rejecit & damnauit, Cerinthianos, Gnoſticos, Samoſatenianos, Noëtianos, Sabellianos, Nouatianos, Arianos, Pneumatomachos, Neſtorianos & Eutychianos

& vtrorumq; propagines, Marcionitas, Manichæos, Pelagianos, Donatistas, & quibuscumq; tandem nominibus appellentur; quoscumque, inquam, prisca vniuersalis ecclesia vnanimi consensu rejecit & damnauit, eos quoq; nos constanter rejicimus & damnamus.

Reliquis autem vbicumq; terrarum Christiano nomine censis, & superiora credentibus & professis si nos actu jungi prohibet siue distantia regionum, siue dissidia Principum, siue aliud obstaculum; jungimur tamen, quocumque tandem orbis loco & angulo siue nos siue illi fuerimus, animo & affectu, reapse eum demonstrare promti, si aliquâ ratione demonstrandi occasionem offerri contingat.

Fundamentis saluis, diuersitatem vt opinionum circa quæstiones juxtà enatas & minùs siue necessarias, siue periculosas, ita quoq; rituum & ceremoniarum ferre possumus.

Baptismum credimus esse lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, omnibus regenerationis indigis, & proinde infantibus etiam recens natis necessarium.

Sanctam Eucharistiam, in quâ Christus Dominus verum suum corpus comedendum, & verum suum sanguinem bibendum præbet, modo quem nouit ipse, vti instituit, ita peragimus & participamus.

Illis,

Illis, qui malè consulti nos iniquis odiis insectantur, conuitiis proscindunt, proscribunt & damnant, ignoscimus, & Deum, vt ipse quoque ignoscere & meliorem mentem inspirare velit, seriò precamur.

Denique exercemus nos, ad conscientiam habendam sine offensâ apud Deum & homines semper. Scimus enim Seruatorem nostrum semetipsum pro nobis dedisse, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum: & eos, qui hoc studio seposito membra sua arma injustitiæ præbent, & cupiditates carnis perficiunt, regni Dei non fore heredes. Operam itaq;, quantam ex Dei gratiâ possumus, dandam nobis existimamus, vt pacem sectemur cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum.

CXL. Hæc est summa nostri Christianismi, cujus si quis partem rejecerit aut negauerit, (etsi Pontificios, si non planè omnes, certè plerosque modestiores fore spero, quàm vt quidquam horum negare, nedum hæreseos accusare, audeant) Scripturis & consensu antiquitatis, ex lege, quam pridem descripsi, probatam dare teneor, & σὺν θεῷ παλάμᾳ, dabo.

CXLI. Lex autem talis est, vt neque vos, Viri clarissimi, exsolui eâ possitis. A vobis igitur jure optimo maximo exspectamus & flagitamus, vt quæ præter ista nostra (quæ ad salutem sufficere mirum fuerit vos negare, si quid eâ de re vestri Scholastici & Canonistæ

docuerunt, recordemini) vos affirmatis & nos negamus, aut pari ratione probetis, aut & ipsi credere, & nos, vt credamus, vrgere desinatis.

CXLII. Pleraque non tam certo ordine, quàm vt in mentem venient, subijcio.

Romanus Pontifex jure diuino & ab ipso Christo constitutus est totius militantis ecclesiæ, per vniuersum terrarum orbem dispersæ, caput & princeps.

Estq; eádem, si vel maximè congregata vniuersali perfecto concilio repræsentetur, superior.

Ille omnium sententias solus retractare potest: illius verò ne ab omnibus quidem retractari possunt.

Ille in definiendis & determinandis dogmatibus & quæstionibus ad fidem pertinentibus infallibilis est.

Illius auctoritas major est auctoritate Scripturæ.

Et hæc ab illâ robur trahit.

Et absq; illâ nullus liber canonicus habetur.

In manu Pontificis est articulos fidei statuere, nō tantùm declarare; & leges morum condere, non saltem ceremonias ordinare.

Ab arbitrio Pontificis pendet fidei decreta sancire, & sancita mutare.

Potest Pontifex sub jacturâ æternæ salutis obligare ad credendum ea, ad quæ credenda neq; Christus obligauit, neq; fideles in primâ ecclesiâ obligati fuerunt.

Potest, quæ Christus ad integritatem Sacramentorum facientia instituit, destituere.

Cer-

Certitudo dogmatum pendet à definitione & approbatione Pontificis, vt, de quo non constiterit à Pontifice definitum & approbatum esse, tamquam dogma fidei credi non possit aut debeat.

Ab eo etiam pendet facultas absoluendi à peccatis, quâ in vniuersâ ecclesiâ episcopi & presbyteri pollent.

Potest igitur eam laxare vel restringere, & modò ista, modò alia peccata ordinariorum potestati subtrahere, suæq. ipsius absolutioni reseruare.

Subesse Pontifici est omni humanæ creaturæ ad salutem necessarium.

Et sine obœdientiâ eius neq. fides neq. bona opera prosunt.

Deus Pontificem super omnes gentes & omnia regna principem constituit, qui euellat, destruat, dissipet, disperdat, & plantet, & ædificet.

Nempe potest Pontifex Principes, Reges, Imperatores, si hæresi infectos esse, aut hæresin minùs sedulò exstirpare censeat, principatibus, regnis, imperio priuare.

Potest idipsum, si imperitiâ vel ignauiâ regnandi eos laborare judicet.

Et tum, subditis à sacramento fidelitatis absolutis, principatus, regna, imperium ad alios, quos magis idoneos existimat, transferre potest.

Si, qui priuati sunt, obtemperare & solio cedere nolint, potest eos excommunicare & rebelles declarare.

Sic excommunicati & declarati, à quouis, rectè & licitè, imò meritoriè trucidari possunt.

Solius

Solius Papæ pedes omnes Principes deosculari debent.

Et hæc omnia ei competunt, hæc omnia potest, in his omnibus obsequium præstari oportet, etiamsi sit homo nequam, flagitiosus, imò viuum diaboli mancipium.

Omnès enim judicat, & in spiritualibus, & in secularibus: ipse verò à nemine judicatur: nec ab ejus sententiâ datur prouocatio.

Quin si canonicè ordinatus fuerit, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus.

Qualisqualis sit, eum offendere, vel in ordinem cogere, atrocius crimen est, quàm articulos fidei & Filij Dei diuinitatem abnegare.

Vnicum est nomen in mundo, Papæ videlicet.

Et is rectè appellatur DOMINVS DEVS NOSTER.

Et plus est, quàm merus homo.

* *At Scriptura canonica condita est à meris hominibus, partim apertè, partim forsan etiam occultè facinorosis.*

* Quoniam Nouum artificem apud Nouos anatomicos in pretio esse intelligo, hunc ex eius myrothecio pastillum apponere visum fuit, vt in occasione ab illis, qualem eorum naribus odorem adspiret, edoceat.

Scriptura igitur, auctoritate Pontificis & Ecclesiæ sepositâ, nullum aut perexiguum pondus habet.

Tobiæ, Iudithæ, Baruci, Maccabæorum, Sapientiæ, Siracidæ libri canonici æquè sunt, ac Moses, Prophetæ & Psalmi.

Scripturæ latina antiqua versio Hebræo Veteris & Græco Noui fœderis textui æquanda, imò præferenda est: & æquata, imò prælata olim fuit.

Scri-

Scripturæ lectio sinceritatem fidei, pietatem, & morum honestatem in periculum conjicit.

Itaq. prohibendum, & prohibitum olim fuit, eam eiúsue partes in vernaculâ linguâ ab idiotis Christianis, qui aliam non callent, legi.

Prohibendi quoq. sunt animam agentes, ne credant, non propriis meritis, sed paßionis domini nostri Iesu Christi virtute & merito ad gloriam peruenire; & neminem alio modo saluari posse, nisi merito paßionis Christi.

Inducendi autem sunt, vt facultates suas aut earum partem offerant Ordinibus & Monasteriis in remedium animæ, vel, vt nonnulli loquuntur, in pretium redemtionis animæ suæ.

Possunt enim Monachorum ordines, quibus volunt, vtpote benefactoribus suis, omnium missarum, orationum, vigiliarum, contemplationum, meditationum, lacrymarum, suspiriorum, pœnitentiarum, disciplinarum, studiorum, prædicationum, peregrinationum, obedientiarum, jejuniorum, abstinentiarum, laborum, cæterorumq. bonorum, quæ per fratres & sorores ordinis per mundum fiunt vniuersum, plenam participationem concedere, in vitâ pariter & in morte.

Possunt etiam è thesauro, cujus dispensandi potestas penes Pontificem, satisfactiones applicari, vt posteà dicetur.

Dominus & Seruator noster Sacramenta Noui testa-

menti nec plura nec pauciora, quàm septem, instituit.

Inter ea quoddam pro recens baptizatis, cujus ministrum voluit esse Episcopum, dignitate & gradu à presbytero distinctum; materiam autem, remotam quidem, oleum balsamo mixtum & consecratum; proximam verò, vnctionem in fronte figurâ crucis; formam denique his verbis concipi; Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti, Amen.

Aliud instituit pro moribundis, ad abolendas reliquias peccatorum, cujus minister est presbyter: materia remota oleum oliuæ ab episcopo benedictum; proxima, inunctio oculorum, aurium, narium, labiorum, manuum, pedum: forma verò, Per istam vnctionem & piissimam misericordiam suam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, per auditum, per odoratum, per gustum, per tactũ, per incessum pedũ, Amen.

In Baptismo, Confirmatione & Ordine imprimitur animæ character, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile.

In Sacramento sanctissimæ Eucharistiæ substantia corporis Christi fit è substantiâ panis; & similiter substantia sanguinis è substantiâ vini.

Si panis consecratus à mure rodatur, vel à cane deuoretur, roditur tum & deuoratur ipsissimũ Christi corpus.

Sancta Eucharistia in publicis primitiuæ ecclesiæ conuentibus & sacris ita aliquando administrata est, vt fideli-

fidelibus communicantibus non nisi benedictus panis præberetur, calix autem subtraheretur.

Et ipsa sacra tum celebrata sunt, hodieq; celebrari debent linguâ, quam populus & idiotæ non intelligant.

Porrò Sanctæ Eucharistiæ siue Missarum sacra ad eum plerumq; modum celebrata sunt, vt τῶν εὐχαριστηθέντων *nemo in toto cœtu, præter vnum consecrantem presbyterum, particeps factus fuerit.*

Et hujusmodi ἀκοινώνητοι *Missæ sæpe vno die & in vno templo tres, quatuor, quinq;, decem, viginti aut plures celebratæ sunt.*

Actio sacrificandi, quam in ecclesiâ peragunt presbyteri, quà rationem sacrificij formaliter accepti eadem est specie, cum ipsâ illâ actione sacrificandi, quam in cruce peregit Seruator.

Enumeratio peccatorum mortalium, quæcumq; memoriâ recoli possunt, vnà cum circumstantiis, diuini juris est; & necessaria ad obtinendam à presbytero absolutionem, & ad salutem.

Presbyter absoluendo per potestatem clauium ex institutione Christi culpam remittit, & pœnam æternam: residuam verò temporalem, cùm in purgatorio tum in hac mortali vitâ luendam, conuertit in Satisfactiones, quales sunt orationes, eleemosynæ, jejunia, vigiliæ, disciplinæ siue flagellationes, & si quæ aliæ similes.

Quidquid hujusmodi satisfactionum ab homine in hac

vitâ non exsoluitur, post hanc vitam in Igne purgatorio animæ luendum est.

In eodem venialia peccata post absolutionem & reconciliationem fortè perpetrata, pœnis, quæ quamdiu durant, nihilo mitiores sunt pœnis inferni, expiantur.

Et hoc ita sese habere, purgatoriumq́ hujusmodi esse creditu ad salutem necessarium est.

Bona verò piorum & sanctorum opera, ab ipsis, dum inter mortales vixerunt & viuunt, facta, non solùm æternam beatitudinem ex condigno merentur, sed etiam diuinæ justitiæ pro pœnis, quæ peccatis debentur, satisfaciunt.

Quoniam autem his operibus, quatenus satisfactoria sunt, ita integris & secundum totum satisfaciendi valorem ipsi, vtpote tantis peccatis non obnoxij, minimè indigent; quod superest, satisfactionibus Christi additur, & aceruus siue thesaurus quidam satisfactionum inde conficitur.

Claues hujus thesauri, siue, quod idem est, facultas dispensandi hasce satisfactiones, & desiderantibus aut indigentibus applicandi, penes Pontificem est, & penes eos, quibus Pontifex concesserit, & quatenus concesserit.

Iuxta arbitrium itaq; Pontificis tantum pœnæ remittitur, pro quanto æquipollens satisfactio è thesauro depromta, & applicata, & quasi persoluta fuerit. Et hæc Indulgentia est.

Potest

Potest autem, non modò hominibus quàm sanis tam ægris & morti propinquis, sed etiam animabus in purgatorio, quantum videtur aut lubet, applicare.

Potest virtute huius applicationis pœnis purgatorij vel diuturnitatem adimere, vel finem imponere; atq; adeo animas, quas vult, purgatorio eximere.

Potest, quibus vult, potestatem eximendi vnam vel plures, impertire.

Seruator ipse episcopos à presbyteris distinxit, & illis quàm his maiorem in ordine ad spiritualia potestatem contulit: & proinde episcopi à presbyteris jure diuino differunt.

Apostoli episcopis, presbyteris, diaconis, hypodiaconis vsum conjugij interdixerunt, omnibusq; & singulis ad hosce gradus adsumtis & adsumendis votum omnimodæ abstinentiæ, quin & eorum vxoribus, si quas haberent, injunxerunt.

Matrimonia, quæ deuoti abstinentiæ contrahunt, vtpote nulla & inualida, rescindi oportet; & resciderunt prisci in vetere ecclesiâ.

Clerici & Monachi à jurisdictione Regum Principumq; secularium exemti sunt jure diuino; & propter delicta ac flagitia, quæ commiserint, ab eis puniri non possunt.

Aliquos neq; facultatibus, quibus sustententur, destitutos, neque ad laborem subeundum ineptos, nullâ vrgente necessitate cùm facultates tum laborem abdicare, & mendicando victum quærere, pium & religiosum opus est.

Aliquos ecclesiæ presbyteros & sacerdotes mendicando victum quærere, decus est religionis Christianæ.

Alios contrà seculari potentiâ & opibus ita abundare, vt præ earum sollicitudine sacro muneri vacare nequeant, itidem pium & pulcrum & ex vsu est ecclesiæ.

Beatissima virgo θεοτόκος concepta est sine peccato originali.

Eadem rediuiuo corpore in cœlum adsumta est.

Eadem Filio maternâ auctoritate potest imperare.

Sæpe quos Filij justitia damnat, Matris misericordia liberat.

Rectè igitur & piè adoratur hjusmodi inuocandi formulis: O felix puerpera, Nostra pians scelera, Iure matris impera Redemtori.
Item: Solue peccamina, Relaxa crimina, Maria. Restaura perdita, Dimitte debita, Maria. Nos à miseriâ Reduc ad gaudia, Maria.
Rursus: Si sit multum, quod peccamus, Tui sumus, & speramus Per te salui fieri. Item precatione, qualem vernaculâ linguâ populo præscriptam, & Coloniæ in templo vndecim mille virginum publicè in tabulâ propositam, ante annos XXXII, quum ibi degerem, descripsi, in quâ hæc erant verba: O Brun der ewigen vnd himmelschen Gnaden / verlasse mich nicht / sondren nim mich vnter deinem Mantel deiner grundlosen Barmhertzigkeit / O vnser aller Leben / O hülfferin in aller Angst vnnd Noth / O vra-

O vrsprung vnsers Heils / O anfang vnsers Lebens / O erlöserin des menschlichen Geschlechtes / O verenderin des natürliche Lauffs / O ernewerin der menschlichen Natur / O mitlerin zwischen Gott vnd Menschen / O hoffnung vnser Belohnung / ꝛc.

Consimili modo piè & rectè inuocantur alij sancti, vt gratiam & bona spiritualia & ipsam æternam vitam nobis donent; verbi gratia,

Vrishem Sancte meum fero Petre tibi comitatum,
Et mihi redde statum, te precor, ætherium:

quod itidem Coloniæ in quadam summi templi columnâ æreæ tabulæ insculptum prostat. Item,

Francisce, Iesu typice, Dux normaq; Minorum,
Sedes nobis perpetuè Da regni superorum.

Prisci Christiani in templis siue dominicis & oratoriis suis statuas Seruatoris, Virginis-matris, Apostolorum, Sanctorumq; aliorum erexerunt, & in genua procumbentes adorarunt.

Statuæ & imagines, quorum diximus, aut eodem, quo archetypa, cultu honorandæ & adorandæ sunt, aut alio quodam, religioso & positiuo, qui analogicè ad speciem cultus archetypo debiti pertineat.

Consuetâ horâ & ad satietatem certo cibi genere vesci, & certo interim abstinere, est vere jejunare.

Aqua sale conspersa & benedicta, tamquam ordinarium remedium peccata venialia tollit, & malignos spiritus fugat. Et

Et istiusmodi aquâ in eum ipsum finem sese quotidie prisci fideles adsperserunt.

Qui articulorum horum vnum vel plures negant, acatholici sunt & hæretici.

Et quia hæretici, digni sunt, qui facultatibus, dignitatibus, libertate, famâ & vitâ priuentur: priuandi reapse, supplicioq́; dirissimo è medio tollendi, si in manus & potestatem Pontificis, Curiæ, Inquisitionis incidant.

Nec aliter tractandi, etiamsi sint Marchiones, Duces, Reges & Imperatores; nisi fortè ex clementiâ Pontificis, in aliquod monasterium, ad agendam perpetuam in pane doloris & aquâ mœstitiæ pœnitentiam, retrudendi visi fuerint.

CXLIII. Essent fortè plura: sed hæc è vestrorum, Viri clarissimi, Pontificum dictatibus, decretalibus, bullis & aliis publicis aut alioquin præcipuæ apud vos auctoritatis scriptis & monimentis, aut etiam vestrorum praxi, depromta, modò sufficiant. Si quid autem ex commemoratis vos improbatis & reijcitis, eatenus certè nobiscum facitis. Verbi gratiâ, Si Pontificem infallibilem esse, si potestatem imperia & regna transferendi habere non creditis; quantumuis sibi arroget Pontifex, & adserant Cardinales, & Magistri sacri palatij, & bona pars scriptorum Italicorum societatisque Iesuiticæ: si tamen Vos, inquam, ita neque creditis neque docetis, absit, vt super iis rebus vobiscum verbum commutemus. Eadem de cæteris omnibus esto sententia. Quòd si autem de nonnullis profiteamini, vos quidem ita sentire,

tire, ferre tamen posse, vt alij aliter aut contrà sentiant; si non hoc ipso mox concordia sancitur, certè ad eam via egregiè sternitur. Interea quæ affirmatis, præsertim quæ ita affirmatis, vt dissentientes propter suum istum dissensum habeatis hęreticos, tum in hac vitâ à communione fidelium, tum in alterâ à consortio beatorum exclusos; ea Vos, ô eximij, quemadmodum toties dictum est, perspicuis Sacræ scripturæ & Antiqui ecclesiastici consensus testimoniis probare & euincere oportet. Agite itaque, probate, euincite, manifesta dicta, quæ, quod adseritis, clarè contineant, aut certas & validas consequentias, quæ idipsum liquidò inferant, proferte. Neque enim, spero, persuasum habetis, nos ita stupidos esse, vt quod eo modo probatum datur, capere nequeamus; aut ita malos & obstinatos, vt veritati sufficienter demonstratæ repugnare libeat.

CXLIV. Sunt in medio Sacra scriptura & primorum seculorum monimenta. De quibus autem controuersamur, alia dogmata sunt, pleraque verò facta, siue Christi, siue Apostolorum, siue primitiuæ ecclesiæ. Dogmata quidem & Christi facta, quæ nobis scitu necessaria, Scripturâ contineri credimus: & nihilominus de his ipsis Traditionis ecclesiasticæ auctoritatem non defugimus, id est, consentientibus primorum seculorum testimoniis standum esse profitemur. Quibus etiam ipsius illius primæ ecclesiæ facta probari oportere nemini potest esse dubium.

CXLV. Probate itaque siue dogmata, siue facta, quæ affirmatis & nos negamus, vnde probari ipsa possunt & debent. Nos nullum legitimæ probationis genus auersamur aut repudiamus. Quin si molestum vobis est, versionem latinam ad hebræos & græcos fon-

tes exigi, in vetere vulgatâ acquiescite, & vel ex eâ saltem, quæ opus est, demonstrate, prolatis testimoniis, quæ juxta vsitatum & simplicem sensum, quem in cujusuis sani hominis intellectu efficere nata sunt, quod vos adseritis, enuncient.

CXLVI. Neque tamen vsitato siue simplici verborum sensui ita inhæremus, vt non æquè, quod è simplice sensu per solidam & euidentem consequentiam elicitur, admittamus. Vel itaque per bonas consequentias efficite, quod è simplice sensu seorsim & secundum se accepto non potestis.

CXLVII. Id quoque vobis liceat, vt libris indubitato canonicis controuersos illos Tobiæ, Maccabæorum & similes jungatis: & vel horum addito subsidio, num vestra probare possitis, experiamini.

CXLIIX. Denique præsto est vniuersa ecclesiastica antiquitas. Quod itaque nec è Scripturâ hebræâ vel græcâ, nec è vulgari vestrâ latinâ versione, nec è libris siue indubitatis siue dubiis, nec è sensu verborum siue seorsim accepto, siue adhibito consequentiarum adminiculo, docere potestis; id saltem consentientibus veterum ecclesiæ doctorum testimoniis probatum date.

CXLIX. Nec est ratio, per quam nobis persuadeantur vestra, quæ vos vera, imò ad salutem creditu necessaria esse creditis & dicitis, nos autem quare talia haberi debeant, hactenus non videmus, nisi aliquâ certâ & clarâ probatione rem conficiatis. Igitur aut ejusmodi probationem nobis non inuidere, aut nobis, quòd adsentiri nequeamus, non succensete. Quod equidem de æquitate judicij & ingenuitate animi vestri mihi semper

per promiſi: atque adeo Vos, quæ nullo ex iis, quos memorauimus, probandi modis probari poſſe animaduerteritis, nemini obtruſuros adhuc mihi promitto.

CL. Fortè autem noſtra præ veſtris pauca eſſe cauſſabimini. Sed paullò antè indicium feci, quomodo veſtra ad parem paucitatem, & vltra etiam, redigere poſſitis. Nos ea, quæ tamquam veſtra poſuimus, negamus omnia. Si jam vos quoque aliqua negatis, atque ita ſeſe habere, ita credi vel agi oportere non admittitis, eamque mentem veſtram eſſe declarabitis, palàm fiet nos in iſtis conſentire, & diſſenſio omnis vnà cum lite, eatenus quidem, exſtinguetur. Et ſunt certè multa adeo abſurda, & non modo pietati, ſed publicæ quoque tranquillitati & imperiorum rerumque publicarum ſaluti, & Imperatorum, Regum, Principumque dignitati adeo aduerſa, vt à vobis, præ veſtro in religionem ſtudio & Chriſtiani orbis rempub. adfectu, affirmari poſſe prorſus diffidam. Hactenus itaque ſola noſtræ ſententiæ accedens negatio totam rem conficiet. Alia fortè affirmabitis quidem, ſed hoc moderamine, vt diſſentientes propter eum diſſenſum hæreſeos non accuſetis, nec communione fidelium excludatis. Et hîc quoque contentionem compendifieri poſſe ſuprà monuimus. Supererunt, vt ſperamus, non admodum multa, (atque vtinam ſint pauciſſima!) quorum probandorum onus vobis incumbet. Quum tamen quæ de Pontifice ſunt & de Sanctâ Euchariſtia, præ cæteris ferè omnibus communem vniuerſalis eccleſiæ tranquillitatem euertant & animos fidelium turbent, veſtrum erit, in primis num articulos huc facientes affirmetis an negetis, exponere. Spes eſt occaſionem emerſu-

mensuram, per quam à pluribus opera ad sopienda vel minuenda religionis dissidia, principem nostrorum temporum calamitatem, & reipub. non minùs quam ecclesiæ perniciosam, conferatur. Quod vt fiat quàm ocyssime, faxit Deus, pacis auctor, à quo omnis bona donatio & omne integrum donum descendit.

Atque ista ad eum modum hîc repetita nunc sufficiant: cætera, vti antè diximus, alteri parti post nundinas proditurae servantur.



REVE-

REVERENDISSIME ET EMINENTISSIME ARCHIEPISCOPE PRINCEPSQVE ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME,

HÆc ſunt quæ pro ſtudio concordiæ eccleſiaſticæ & Tuâ piâ, manſuetâ laudabiliq; ſententiâ aduerſus illaudabilem Tuorum ferociam & pertinax alendæ diſcordiæ propoſitum hactenus viſum fuit diſſerere, & à cæteris, quibus aduerſus eorũ maledicentiam me defendo, ſepararare & ſeorſim edere, vt, ſi fieri poſsit, imminentibus hiſce autumnalibus nũdinis pro-

deant. Quamquam diffundentibus sese circa nos vndequaque exercitibus, & itinera infesta reddentibus, ea spes propemodum decollat. Intelligis autem Protestantes agnoscere, credere & profiteri, quæ ad Christianum constituendum & æternam beatitudinem obtinendam sufficiant. Nec immeritò admiramur, ne dicam, indignè ferimus, à vestris nos, qui nõ modò Apostolicum symbolum, sed & cætera prisca symbola, & quæ præterea suo loco enumeraui, ex animo amplectimur, hæreticos haberi, quum insignes catholici habeantur, quibus aut pars aliquota Apo-

stolici

ſtolici ſymboli ad ſalutem ſufficit, aut ne ipſum quidem requiritur. Certum enim eſt ita docere tum Scholaſticos nonnullos & veteres, & recentes, tum celeberrimos Canoniſtas. Quos, vt oſtendi, extricare non poteſt fides implicita, quę ſolo nomine fides, reapſe mera eſt ignorantia. Sicut enim non erit philoſophus, qui vniuerſę philoſophiæ ignarus dixerit ſe adſentiri omnibus, quæ ille vel iſte egregius philoſophus doceat & proponat; ita quoque non poterit eſſe Chriſtianus, qui quæ ad τὸ εἶναι Chriſtianiſmi pertinent, ignorat, etiamſi dixerit, ſe admittere omnia, quæ cre-

dant

dant Christiani: quũ etiam prior iste facilè inuenire possit, cujus philosophiam pro suâ ad vindicandum philosophi titulum velit haberi; hic autem, cujus fide in vicem propriæ substitutâ coram Deo ausit comparere, non item. Sed nolo hic implicitam fidem pluribus exagitare. Malo considerari, an qui ita, quemadmodum superius delineatum fuit, credũt, ita agunt, ita se gerunt, Christiani haberi debeant, & Dei filij ac heredes, & coheredes Christi, nécne. Si tales esse non potest negari, iterum quemuis alium, qui itidem Christianus haberi cupiat, velim considerare,

quâ

quâ fronte, quo jure, quo auſu detrectet agnoſcere fratres, quos Deus agnoſcit filios; excludat ſuæ ſocietatis commercio, quos Deus ad conſortium regni cœleſtis admittit; imò auerſetur, exſecretur, ferro & igne perſequatur. Si exiſtimat errare errorem alicujus momenti, & qui incommodum vel periculũ queat attrahere, cur è veſtigio odit & inſectatur? cur non monet & meliora docet cum ſpiritu lenitatis? Fraternum enim eſt errantes comiter in viam reducere; hoſtile, lapſabundos in præcipitia detrudere. Ne quidem alienos à Chriſto, vt Iudæos, Muhammedanos,

paganos odisse fas est: sed eorum potius misereri, & si quâ ratione possumus, vt ab exitio eripiantur, operam dare & opem ferre oportet. Alia tamen, majorque & perfectior est caritas, quâ eos, qui vti nos, ita etiam ipsi Patris cœlestis filij sunt, & mēbra Christi, non modò tamquam homines, vel creaturas Dei, sed tam-
Eph. 3, 6. quam fratres, *concorpores & coheredes*, prosequi tenemur. Inter nos & illos vti singularis sub capite Christo intercedit conjunctio, ita quoq; intercedere debet singularis amor, & mutua dilectio.
Ioh. 13, 14 & 15. *Praeceptum nouum do vobis*, ait Seruator morti, quâ nos redemit, vicinus,

vt alii alios diligatis. Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si caritatem habueritis alii in alios. Hinc Apostolus, ab ipso peculiariter dilectus: *Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Quisquis odit fratrem suum, homicida est, & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.* Absit igitur, vt vllum Christianum, qui non desierit Christianus esse, non desierit esse Dei filius, & proinde frater noster, & vnà nobiscum membrum in corpore Christi, & coheres æternæ salutis; absit, inquam, vt vllum ejusmodi odio habeamus, auersemur aut exsecremur. Absit, vt societatem vllius, quem in suam communi-

1 Ioh. 3. 14 & 15.

 onem

onem Christus recepit, nos abominemur. Absit, vt ei, cui ille dicturus est, *Veni benedicte Patris mei*; nos dicamus, *Abi maledicte Satana.* Pater, cui multi filij, quos omnes amet, num ferat vnum vel aliquos ex iis prosequi cæteros odio, & hostili insectatione? annon eos, qui reconciliari prorsus nolint, & innocentibus fratribus molestias & periculum creare vsque pergant, tandem filiorum nomine ac jure priuabit, & exheredes faciet? Id velim considerēt, omnes, quotquot Christiano nomine censentur, ne temerè alios Christianos odio, & quidem implacabili, quale in Theologis

Mogun-

Moguntinis deprehendo, prosequantur. Qui, aut eis siue similes siue mitiores alij si existiment vera & recta quidem esse, quæ profiteamur; neq; enim spero adeo proteruos fore, vt id ausint negare; cæterùm ad salutem non sufficere: extorres itaque gratiâ & domo Dei, *alienos à republicâ Israelis & extraneos à pactis promissionis* nos esse, quia non, quemadmodum credimus vnigenitum Dei Filium, Patri suo ὁμοούσιον, pro nobis factum hominem, nostrum esse redemtorem & saluatorem, ita quoque credamus Romanum pontificem ex eius institutione & jure diuino vniuersæ ecclesiæ Eph. 2, 12.

 monar-

monarcham, in ſanciendis dogmatibus infallibilem, & poteſtate Reges exauctorandi præditum eſſe; atq; adeo definienti ſeptem eſſe ſacramenta, nec plura, nec pauciora; baptiſmum Iohannis à baptiſmo Chriſti diuerſum fuiſſe; projecto in locum immundum pane conſecrato, eodem proijci corpus Dominicum; & plurimis haut diſparibus determinationibus contradicere non vereamur: ſi hæc, inquam, inſtar articulorum fidei obtruſum nobis eunt, & hinc non minùs quàm inde ſalutem humanam ſuſpendunt Theologi Pontificij, nihil tum aliud, quàm quod na-

tura

tura rei, recta ratio & æquitas ipsa exigit, ab illis postulamus, nempe vt ista nobis, quemadmodum probari articulos fidei oportet, demonstrent. In medio & in confesso sunt principia, vnde probationes hauriantur, Sacra canonica scriptura, & Traditio siue antiquitas ecclesiastica. Si ibi verò totidem verbis non inueniuntur quæ nos negamus, illi affirmant; subsidio veniat illatio per validas & legitimas consequentias, quàm *veritatem connexionum* vocat Augustinus, *in rerum ratione perpetuam & diuinitus institutam, ab hominibus non institutam, sed animaduersam, disci facilem & in illis scholis, quæ præter ecclesiam sunt.* Alterutro L.2 de doct Christ.c.32.

itaq;

itaque ſaltem modo euincatur Pontificiæ ἀναμαρτησίας & omnipotentiæ, cæterorumq; controuerſorum articulorum tum veritas, tum ad ſalutem neceſsitas. Malè pereat, qui ſolidè & legitimè demonſtratis obſtiterit. Cui ab æquitate & manſuetudine non alieno hujuſmodi oblata diſpliceant? cui non ſatisfaciant? ſed nihilominus Hildebrandici zelotæ

--- inexorabile duri
Exercent odium, nec iniquâ finis in irâ eſt.

Non autem eſt quòd exiſtimentur Cardinales Cajetanus, Hoſius, Bellarminus, aut Ieſuitæ Valentia, Suarez, Becanus, Tannerus, ſcriptis ſuis rem confeciſſe, &

con-

controuerſa dogmata euiciſſe. Totidem & vel plures ſunt à parte Proteſtantium, qui contraria ſcripta emiſerunt, & ſophiſmata eneruarunt. Quin nuper admodum à D. Iohanne Crocio Theologo Caſſellano prodiit ſpiſſum opus, Manuali controuerſiarum Becani oppoſitum, quod argutiis ejus, quantum opinari licet, (legendi enim ocium nondum fuit) talos fregit. Ita voluminibus volumina obijciũtur, & vulgò ex mole operis æſtimatur certitudo dogmatis. Interim multi inuoluunt potius, quàm expediunt, & pro demonſtratione ſophiſma proferunt, pro teſtimo-

 nio

nio falſimonium, ſæpe conuicium, quo nihil frequentius Moguntinis. Quem autem fructum operoſa illa Ieſuiticorum ſinuoſorum voluminum ſtrues Pontificiæ eccleſiæ attulerit, ex ipſo Tannero audiamus. *Liquidò*, inquit, *conſtat poſt* editas Valentiæ *lucubrationes, nouas, easdemq́ complures & grauiſsimas inter Scholaſticos doctores de variis rebus controuerſias ac diſceptationes, non ſine quadam ſententiarum nouitate, exortas fuiſſe; ita vt verè dici poſsit, intra XXX hos proximos annos, quoad ea, quæ ſaluâ fide* (nempe fidei articulos determinatione ſuâ nondum eſſe juſsit Pontifex, alioquin ſaluâ fide in dubium vocari non magis poſſent, quàm ſeptenarius numerus ſacramentorũ, cha-

Præf. in Schol. Th. ad lectorem.

character, transſubſtantiatio, purgatorium, indulgentiæ) *inter Scholaſticos doctores diſputari ſolent, magnâ ex parte nouam quodammodo Theologiam eſſe prognatam.* DEVS à nobis nouam Theologiam, præſertim quod articulos fidei ſiue factos ſiue faciendos attinet, auertat, & in alterâ γνησίως antiquâ, quæ nobis ſatisfacit, conſeruet. Nec infrequens eſt à ſcriptoribus diſsimulari argumenta robuſtiora, cætera perperam proponi vel technâ quadam eludi. Moguntinorum artificium eſt, aduerſario omnem bonæ mentis & eruditionis opinionem detrahere, & tamquam bardum ſtupidumq; tra-

ducere. Et certè ſi perſuadere queant, ſe ſolos ſapere, reliquos fungos & ſtipites eſſe, rem plùs quàm ex dimidio factam habebunt, & quod reliquum eſt, facilè conficient. Becanus olim videtur præiuiſſe: ſed quod ille arte quadam & cum grano ſalis tentabat, id noui hi anatomici prorſus inſulsè & inſipidè conantur. Inde mihi non tantùm contradictiones, tamquam ſtolido, ſed etiam hęreſes, crimina falſi & tandem caudã draconis tamquam impio & improbo affingunt. Nonnullis me in occaſione pridem exſolui: cætera reſiduæ parti reſeruantur. Nunc tamen obi-

Num. 17. 26 & ſeqq.

ter

ter & in tranſcurſu oculis Tuis, REVERENDISSIME ET EMINENTISSIME PRINCEPS, vnum itidem & alterum ſpecimen ſubijcio, vnde quales Tui ſint, quod Tua noſſe refert, æſtimes. Scripſi ego Diſputatione cōtra communionē ſub vnâ, verbis Domini EDITE, BIBITE, mandatum edendi & bibendi proponi; moxque ſubjungo, Par ratio verborum *Hoc facite*, quæ diſtributioni cùm panis tum calicis benedicti ſubijciuntur. Bellarminus ipſe: *Iuſſit dari* Seruator, *cùm ait, Hoc facite.* Ad hæc mea, non ſine tumultu & exclamatione Moguntini: Num. 85.

Quis jam non miretur, imò quis (Proteſtantium quoq;) non deteſtetur, quod mox ſubjungit: *Bellarminus ipſe: Iuſſit dari Seruator, cùm ait: Hoc facite.* Reſp. Hæc eſt plùs quàm mala Calixti fides, quâ Bellarminum citat, tamquam iſta verba ex proprio loquentem, cùm ſit particula Objectionis Hæreticorum. Pro impoſturam! Videant principes & Reſpubl. Acatholi- Sectione 6, n. m. 9.

cæ, quàm malâ fide contra nos agat, sibi suæque religionis asseclis imponat. Ego verò ipsissima Bellarmini verba, tum quibus sibimetipsi obijcit, tum quibus re-
L.4 de Euchar. c.25. spondet, hic appono. Iisdem dictum est, *Manducate*, quibus dictum est, *Bibite*. Vel igitur totum Sacramentum datum est solis presbyteris, vel simul etiam laicis. Si laicis etiam, ergo omnibus dictum est, *Manducate, & bibite*. Si solis presbyteris, ergo non licet laicis dare vllam partem Sacramenti, nec eis dictum erit, Manducate; non enim temerè dandum est, cui Christus primâ institutione non dedit. De hac ratione ita gloriatur Lutherus: *Ego*, inquit, *fateor, istâ me ratione mihi inuictâ superatum, nec legisse, nec audiuisse, nec inuenisse, quod contrà dicam.* Respondeo; Christus primâ illâ institutione Apostolis solis dedit totum Sacramentum. Nec tamen valet illa Lutheri consequentia; Christus non dedit laicis, ergo non potest dari à nobis. Nam etsi non dedit, non tamen prohibuit dari: & alibi jussit etiam dari, cùm ait, *Hoc facite*. Rursus eadem
Num. 155. disputatione scripsi ego; Capitulo vndecimo vndecimi concilij Toletani, anno Christiano IↃ C LXXII habiti, existimant quidam permitti ægris vt è solo calice hauriant. Nos capitulum ipsum sub initia hujus disputationis
Num. 18. produximus, è quo liquet, ibi nihil tale tradi; quin

ibi

ibi potiùs significatur, vtramq; speciem solitam fuisse dari ægrotis; vt agnoscit & fatetur Franciscus Suarez tomo tertio in Tertiam, disput. LXXI, sectione primâ. Hîc iterum Moguntini horribile carmen exorsi infrunitæ suæ maledicendi & calumniandi libidini frenos laxant. Producit, aiunt, Suarez asserentem, *dari ægrotis solitam vtramq; speciem.* Ipse Suarez, è diametro sanè contrarium ibidem confirmat. En crimen falsi! Quid dabitur viro huic, qui falsò Auctores citat, tamq; turpiter imponit Principibus suis, aliisque, quibus non est otium legendi libros? DEVS sit Calixto propitius, qui tam fraudulenter suos circumuenit, qui tamen conscientiam, fidem, salutemque suam Calixto & similibus concredunt. Sectione II num. 6.

Hisce auditis, audiamus nunc Suarezium ipsum eiusque verba. Non desunt, *inquit*, viri docti, qui existiment, fuisse olim consuetudinem communicandi aliquando sub solâ specie vini, præsertim erga infantes, quibus priùs, quàm possent edere, infundebatur Eucharistia sub specie vini, quod videtur indicari à Cypriano, libro de lapsis: & erga infirmos, quando non poterant panem traijcere: tunc enim permittebatur infundi sub specie vini: quod citari solet ex concilio Toletano XI, capit. XI. Sed ibi potiùs significatur, vtramque speciem solitam fuisse dari. Quapropter incerta mihi hæc consuetudo est. Tute nunc arbitreris REVEREN-

DISSI-

DISSIME ET EMINENTISSIME PRINCEPS, num Theologi Tui Moguntini oculis capti ſint vel mente; num deliri, vel improbi. Ego verò quid? num probroſum carmen recantare jubebo? Non agam ita rigidè: monebo magis, vt noui & imperiti Anatomici implorent opem ſenis & periti Medici, qui vel oculos collyrio, vel cerebrum veratro emendet; quamuis non poſsit hęc res ellebori jugere obtinerier: atque interim aliquid ſaltem pudoris alicunde mutuum ſumant, quandoquidem omnem, qui domi fuit, decoxerunt. Cui autem bono cum talibus ſcribendo ſerrare-

ra reciprocetur ? Quid non illi peruertant, & in ſenſus contrarios detorqueant? Fiduciam latendi ponunt fortè in ſtratagemate, quòd ſuorum manibus non niſi ſua teri permittunt, aduerſa omnia excutiunt. Facilè igitur, ſi non aliis, ſuis tamen perſuadent, nos eſſe, quales illi pingunt; ſcripſiſſe, qualia affingunt. Quidquid ſit, hoc vnum certum eſt, nullo pudore prohiberi, quin Deo & hominibus illudant. Quãuis itaq; vagæ ſcriptionũ licentiæ collationes ſiue colloquia, legibus, quibus intra ſtrictos eruditæ, modeſtæ & vni veritati deuotæ diſputationis limites coërceã-

tur , circumſcripta præferam, quod ita ſophiſmata & falſationes è veſtigio redargui,& ſubterfugia ac diuerticula, per quæ in longum res extrahitur,rectiùs intercludi poſsint; & inde non ſaltem contentionis compēdium, ſed fructum illuſtratæ veritatis & promotæ concordiæ vberiorem ſperem : Tuorum tamē, qui contra me prodierunt, major videtur eſſe ruditas, & ferocia, & maledicentia, quàm vt legibus, quales dixi, obtemperent. Nullus autem dubito, nō deeſſe parti veſtræ in Germaniâ,qui diuinâ gloriâ & pace eccleſiaſticâ nihil habeant prius, adlaturos tantæ

rei parem eruditionem cū modestiâ & concordiæ seruandæq; patrię desiderio conjunctam. Inter AFFIRMARE vestrum, & NEGARE nostrum natant & remigant animæ populorum. Quousq; patimur fluctuare, & inter fluctus cum mutuâ pernicie collidi? Restaurandæ ciuili paci impenduntur menses & anni. Vtinam tandem cum successu! Qui nescio an sperari à Christianis posit, Dei gloriam & Ecclesiæ concordiam negligētibus. Quin, si rem ex se æstimamus, sine pace & moderatione ecclesiasticâ non potest certa & solida esse tranquillitas politica, quamdiu scili-

cet Vestri clamare non desinunt, *Protestantes iudicio infallibilis Pontificis esse hæreticos; & proinde eiusdem arbitrio, quum erit opportunitas & vires suppetent, fortunis & vitâ exuendos.* Me, qui hæc moneo, Tui pro suâ prudentiâ & integritate, aiunt classicum canere, & pacem religionis in Imperio turbare; bella non antiqua componere, sed noua concitare velle; non modò spem compositionis omnem intercidere, sed etiam politicam tranquillitatem euertere.

Sect. 11, num. 10; & sect. 1. n. 11.

Nempe si dicendus sit excitare incendium, qui fomitem obterẽdum, & foramina, vnde erumpat, obturanda monuerit; in me quoque cadent, quæ Tui criminantur. Si non itaque menses & anni, quibus opus non fore existimo, vel dies saltem aliquot impendantur, vt accuratè dispiciatur & discutiatur, *num Protestantes*

sint

sint hæretici; num Pontifex sit infallibilis, & iure diuino Ecclesiæ monarcha. nam quòd primatum ordinis siue dignitatis & jus humanum attinet, dudum, vt ego etiam alibi scripsi, professi sunt nostri *posse Romano Pontifici, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam à nobis permitti, si Euangelium admiserit,* id est, si patiatur nos credere, *quòd dominus noster Iesus Christus pro nostrâ salute mortuus sit, & quòd ex propriis meritis vel alio modo nullus possit saluari, nisi in merito passionis ipsius:* si non aliter Eucharistiam celebret, quàm Dominus instituit, & in Euangelio describitur, nempe nón nisi adfuerint, quibus post benedictionem & panis & vinum præbeantúr; aut certè non prohibeat, quin ita celebretur; si permittat sacrorum ministros potiùs maritos esse, quàm scortatores; si nullum fidei dogma, nullum sacramentum obtrudat, quod non legatur in Euangelio, vel non amplexa fuerit prisca Apostolica ecclesia, ab Euangelio commendata. Serenissimus & potentissimus Præfat. ad Ser. Princi-pē August.

Rex Poloniæ, eiuſque regni Archiepiſcopus Primas & cæteri Epiſcopi æternam merentur laudem, quòd ſanctiſsimum hoc religioſæ concordiæ negocium curandum ſuſceperunt, reiq; tentandæ locum in Boruſsiâ Turonium, diem verò decimum Octobris, qui imminet, indixerũt. Deus adſit cœptis, & proſperos ſucceſſus propitius indulgeat. Cur autem tantâ re Polonis inferiores eſſe velint Germani, quâ non minùs, aut magis etiam ipſi indigent, quàm Poloni? Cur exemplũ imitatione dignisſimum non imitentur? Ad Tuam verò curam, REVERENDISSIME ET

EMI-

EMINENTISSIME PRINCEPS, qui facilè primarius es Germaniæ Archiepiſcopus, negocium aliàs pertinere non ignoras; & nunc in manus quoque Tuas quaſi devolui intelligis. Tuum erit vrgere, promouere, dirigere etiam primum, vel certè inter primos, & vnà cum cæteris, quos tanta res tangit. In viciniâ Tuâ eſt Francofurtum, locus conuentui opportunus. Non patieris in Te deſiderari, quæ Tui ſunt muneris, & quæ à Te, vtpote Archiepiſcopo, Eccleſiæ ſalus, & tamquam à Principe Electore, reipublicæ neceſsitas flagitat. Faxit Deus, ſingulos Tui muneris numeros

&

& partes ita expleas, vt quum apparuerit magnus ille paſtorum princeps, ad cujus tribunal ſtabimus omnes, & rationem reddemus, reportes amarantinam gloriæ coronam. Luculentiorem mercedem nec Tu ſperare potes, nec ego optare. Vale. Scripſi in Sereniſsimorum Principum Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium academiâ Iuliâ, quæ eſt Helmeſtadij Saxonum, anno cIɔ Iɔ c XLIV, exeunte menſe Sextili.

F I N I S.



DISPUTATIO
DE
MISSIS PRIVATIS
CONTRA D. CALIXTUM,

QUAM

Sub Præsidio Joannis Mülman è Soc. Jesu, Bernhardus Pauck Monasteriensis propugnavit & M. DC. XLVII. ibidem habuit.





DISPUTATIO DE MISSIS PRIVATIS.

THESIS I.



ISSA multis modis privata dici potest. 1. ratione loci, quia nimirum in privato aliquo Sacello seu oratorio, non verò in Templo publico celebratur. 2. ratione temporis, quia non fit die dominico aut festo, sed profano, sine frequenti populi concursu. 3. ratione finis, quia scilicet pro aliquo particulari homine vel negotio celebratur, ut pro hoc vel illo defuncto, pro hac vel illa necessitat. 4. à paucitate audientium, quia non totus populus, sed pauculi tantùm intersunt, ut ferè in Monasterijs fieri contingit. 5. ratione privati altaris, quia non in ara Principe, nec solenni apparatu aut cantu, ut Missæ solennes solent, sed in alia minori sine illa solennitate peragitur. 6. deniq; Missa privata seu solitaria, (ut loqui mavult Calixtus cum Cassandro) ab Adversariis dicitur, in qua solus Sacramentaliter communicat. *Hanc enim formalem* (inquit idem Calixtus) (a) *statuimus Missæ solitariæ rationem, ut is, qui consecrat, solus fiat Corporis & sanguinis Domini particeps. Quod ubi fit, fit autem hoc frequentissimè in Ecclesia Romana, Missa solitaria est, & dicitur, etiamsi Sacerdotem magnus numerus spectantium circumstet.* (a) Thesi 5.

II. In hac igitur postrema notione Missas privatas in suis thesibus recens-editis potissimùm impugnat Calixtus, & inter corruptelas, quas complures in Ecclesiam Christianam lapsu temporis queritur irrepsisse, adnumerat. Sibi verò suisque vehementer gratulatur, *quòd duce & auspice Luthero apud ipsos prava ista Missas solitarias celebrandi consuetudo superiori seculo fuerit abrogata.* (b) At cur omittit dicere, quo demum suasore & impulsore (b) Th. 73.

 id

id fecerit? Lutherus magis ea in re ingenuus, in libro de Missa angulari & Unctione Sacerdotum, (c) sub initium disertè fatetur, se à Diabolo edoctum & persuasum, Missas privatas horrendam esse idololatriam. Sic ipse loquitur: *Contigit me semel sub mediam noctem subitò expergefieri, ibi Satan mecum cœpit ejusmodi disputationem:* Audi, inquit, *Luthere Doctor doctissime, nosti etiam, te quindecim annis celebrâsse Missas privatas pene quotidie? quid si tales Missæ horrenda essent idololatria? quid si tibi non adfuisset Corpus & Sanguis Domini, sed tantùm panem & vinum adorâsses, & alijs adorandum proposuisses? Cui ego respondi: Sum unctus Sacerdos, accepi unctionem & consecrationem ab Episcopo, & hæc omnia feci ex mandato & obedientia majorum. Quare non consecrâssem, cùm verba Christi seriò pronuntiarim?* &c. Neque tamen ideò obmutuit Dæmon, quin institit acriùs novo etiam usus argumento, præcipuo illo scilicet, quo uti videbimus mox Calixtum nostrum, ab institutione Christi: *Mens,* inquit, *& sententia & clara institutio Christi est, ut Sacramento communicent & alij Christiani. Verùm tu unctus es non ad distribuendum Sacramentum, sed ad sacrificandum, & contra Christi institutionem Missâ usus es pro sacrificio.* Hæc omnia & plura talia Lutherus loco citato, ad quem lectorem remittimus. Illud ignorare minimè oportebat, cui potissimùm magistro & auctori Missæ privatæ abrogatio, de qua tantoperè gloriantur Pseudo-Evangelici, asscribenda sit.

(c) extat tomo 7. operum fol. 228. edit. VVitteb. An. 1558.

III. Cæterùm ut ab ipso nomine ordiamur, observo cum Patribus Concilij Tridentini, (d) absolutè & in rigore loquendo nullam dari in Ecclesia Catholica Missam privatam, sed omnes communes esse ac publicas: sive enim publicè, sive secretè fiat Missa, semper est verum sacrificium, atque adeò actio de se publica, quippe quæ fit à Sacerdote ut ministro publico, auctoritate Christi, & nomine Ecclesiæ constituto in his, quæ sunt ad Deum, (e) ut pro universo Christiano populo Deo sacrificium offerat. In quem sensum rectè Chrysostomus: *Sacerdos pro universo orbe legatus intercedit, estque ad Deum deprecator, ut omnium non vivorum modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.* (f) Omnis ergo Missa quoad principalem offerentem, qui est Christus, & quoad ministerialem, qui est Sacerdos, & quoad rem oblatam, quæ est Caro & Sanguis Christi, & quoad Deum, cui offertur, & quoad Ecclesiam, pro qua offertur, communis est ac publica. Quanquam, ut verum fatear, magis ad modum loquendi ista pertinent. de reipsa nunc est controversia, an scilicet Missæ illæ, in quibus præter Sacerdotem nemo alius sacramentaliter

(d) Sess. 22. c. 6. de sacrif.

(e) Hebr. 5. 1.

(f) lib. 6. de Sacerd.

com-

comunicat, quocunque demum vocitentur nomine, illicitæ sint, & ab Ecclesia eliminandæ.

IV. Affirmat Calixtus, & multa in eam rem congerit argumenta, quibus sibi persuadet, se rem ἀποδεικτικῶς confecisse. Nos omissis ijs, quæ prorsus ἀπροσδιόνυσα sunt, quàm brevissimè fieri poterit, singula ad incudem revocabimus. Primum ac palmarium ipsius argumentum est, quia Missæ istiusmodi solitariæ adversantur institutioni, exemplo & præcepto Christi: Matthæus enim, Marcus, Lucas Evangelistæ, uti & Paulus, (g) omnes unanimiter institutionem Cœnæ Dominicæ sic memorant, ut dicant *Christum panem & vinum consecrâsse, dedisse deinde Apostolis, ut ederent, & biberent, denique jussisse, ut idem, quod ipsum facere videbant, illi quoque in posterum facerent.* (h) Ex quo sic licebit argumentari. Christus jubet facere, quod ipse fecit; ipse autem non solùm consecravit, sed etiam distribuit Sacramentum simul discumbentibus, ergo idem à ministris suis fieri voluit & præcepit. peccant igitur contra Christi præceptum Pontificij, quoties consecrant, & non distribuunt. Quid clarius?

(g) Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

(h) Th. 26. & 27.

V. Mirum, quàm in hoc argumento triumphet Calixtus, & sibi applaudat! sed responsio facilis est ex ijs, quæ tradunt Sanctissimi Cyprianus, (i) Augustinus, (k) dicentes, non præcepisse nobis Christum in conficiendo hoc mysterio observare omnes circumstantias, quas ipse tunc pro temporis & occasionis opportunitate observavit, sed ea tantùm, quæ ad ritum substantialem pertinent. Ita licèt Dominus in ultima cœna coram duodecim solùm Apostolis, non verò in conspectu fœminarum panem benedixerit, & communicaturis pedes laverit, minimè tamen ideò opus erit, ut & nunc eidem benedictioni totidem duntaxat personæ, soli item viri, exclusis fœminis, intersint, aut communicaturis priùs pedes laventur, quod apud ipsos etiam Adversarios in confesso est.

(i) epist. 61. ad Cecil. circa finem.

(k) epist. 118. c. 6.

VI. Nunc ut ad institutum nostrum doctrinam istam applicemus, fatemur inprimis cum Concilio Tridentino, (l) Christum Dominum, sicut ipse panem & vinum consecrando verum ac propriè dictum sacrificium æterno Patri obtulit, ita Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut pari ratione offerrent, præcepisse. Verùm tamen præceptum illud ad omnes Christi actiones æqualiter extendi non debet, quasi eas semper, nullâ etiam exceptâ, quoties sacrificium peragitur, imitari oporteat; sed ad eas tantùm, quæ ad substantiam & integritatem sacrificij pertinent. Ad hanc porrò duæ summùm actiones

(l) Sess. 22. c. 1.

requiruntur & sufficiunt, consecratio scilicet panis & vini, per verba Christi à Sacerdote prolata, & ejusdem Sacerdotis sumptio; quòd verò de eodem sacrificio etiam participent alij, ad rationem sacrificij nihil attinet. Quæ proinde caussa est, cur dispensatio mysterij illius inter fideles [illegible] aliter à Christo præcipi existimari debeat, quàm ratio temporis, loci & personarum præsentium (ut in præceptis similibus affirmativis fieri consuevit) exigat, hoc est, si coràm adsint, qui illud petant, & mensæ dominicæ participes fieri cupiant. Nisi fortè dicere quis velit, Christi voluntatem fuisse, ut inuitis etiam & nauseabundis sacer iste cibus obtrudatur, quod esset *sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos prejicere.* (m)

(m) Matth. 7. 6.

VII. Firmari potest hoc ipsum, quod diximus, exemplo victimarum, quas ex veteri Hebræorum instituto offerri sic oportebat, ut ex ijs nemo unus præter solum Sacerdotem ederet, ac ne is quidem, cujus caussâ Numini consecrarentur. (n) Hinc enim manifestè concluditur, delibationem ipsius hostiæ atque manducationem non esse semper de natura & integritate sacrificij, ac proinde Christi Servatoris præceptum ea faciendi, quæ ipse fecit, hoc est, offerendi Corporis & Sanguinis ipsius pro remissione peccatorum, nullâ necessitate obligare eos ad communionem, pro quibus divina illa mysteria celebrantur.. Accedit deinde illud etiam, quòd credibile non sit, præcipuum Dei cultum, qui in dicti sacrificij oblatione consistit, sic à Christo fuisse institutum, ut is à multitudinis voluntate dependeat. Quid enim? si populus suo desit officio, si fortè non lubeat aut interesse, aut ad divinas illas epulas religiosè se comparare, quod priùs faciendum monet Apostolus ijs verbis: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* (o) num eam ob rem quotidiani usus sacrificii è medio tollendus est? num summus divino nomini cultus adimendus? num Ecclesia tota salutari fructu sacrificij privanda? in qua de Altaris fructu participant non modò vivi, qui non communicant, aut à sacrificio absunt, sed etiam vitâ in Christo defuncti, qui nec communicare, nec adesse possunt.

(n) Levit. c. 6. v. 26. & 30.

(o) 1. Cor. 11. 28.

VIII. Nec verum est, S. Thomam eâ in re nobis aut Bellarmino adversari. Repeto Sanctissimi Doctoris verba ex usitato & noto Hymno, ita habent..

Sic sacrificium istud instituit;.
Cujus officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus sic congruit,.
Vt sumant, & dent cæteris.

E quibus ego quidem alium sensum eruere non possum, quàm Eucharistiæ

sacri-

sacrificium sic à Christo institutum, ut penes solos Sacerdotes potestas sit offerendi, & dispensandi aliis, quod verissimum: quomodo autem isthæc pugnent cum doctrina à nobis tradita, aut cum Bellarmino dicente, *ad sacrificium aut sacrificium nihil referre, si multi, vel pauci, vel nulli intersint aut communicent*, (p) hactenus videre nemo potuit, solus Calixtus tam fuit oculatus. Quia tamen ipse disertè fatetur, Thomam Aquinatem alibi (q) Missas privatas propugnare, ideò minùs ferendum, quòd contra ejusdem Doctoris mentem verba prædicta in sensum planè alienum violenter detorqueat, perinde quasi ijs affirmâsset, Christum *sic sacrificium instituisse, ut quoties & quando peragitur, sumant Sacerdotes, & dent cæteris*, (r) quod Viro sancto in mentem non venit. Sed ista ad sinceritatem Calixtianam pertinent.

(p) lib. 2. de Missa c. 9.
(q) in 3. p. q. 83. a. 5. ad 12.
(r) Calix. Th. 27.

IX. Atque ea quidem, quæ de sacrificio diximus, ejusmodi sunt, ut si concedatur, Eucharistiam non Sacramenti solùm, verùm etiam Sacrificij rationem obtinere, certum planè sit, Missas sine communicantibus jure improbari non posse. Nec ignorant hoc Adversarij, Missarum osores, ideòque arcem caussæ inuadunt, & negant absolutè, in Missa verum ac propriè dictum offerri sacrificium, quam viam etiam Calixtus insistit. Juvat audire hominem, sic loquitur: (ſ) *Huc ergò res redit, ut Pontificij, qui in Eucharistia sacrificium propriè dictum esse juxta doctrinam Concilij Tridentini credunt, formalem rationem sacrificii hic ostendant. Ignoscant autem, quòd assertionibus probatione destitutis assensum non præbemus. Et cum sacrificium propriè dictum in Eucharistia nullum sit, non potest ideò Missa solitaria publica vel communis censeri, quòd in ea sacrificium communiter & omnibus profuturum offeratur.* Sed frustra ostendi sibi petit à Pontificiis Calixtus, quod ostenderunt ex ijs jam pridem argumentis solidissimis multi gravissimi doctissimique Viri, imò quotquot pæne aut de rebus fidei controversis, aut in tertiam partem D. Thomæ de Sacramentis commentati sunt. Videantur (ut ex innumeris paucos memorem) Bellarminus, (t) Suarez, (u) Tannerus, (x) Becanus, (y) Coninck, (z) Præpositus, (a) Mæracius, (b) Cardinalis de Lugo, (c) Cottonus, (d) & plures alij, quorum argumenta antequam refellat Calixtus, contrarium nobis persuaderi non sinimus, præsertim cùm nihil frequentius, nihil magis usitatum sit apud Patres antiquos tum græcos tum Latinos, quàm quòd Eucharistiam vocent *Sacrificium, Oblationem, Hostiam, Victimam*, dicantque *offerri Deo, immolari, sacrificari*, &c. quæ omnia satis indicant, quis veteris Orthodoxæ Ecclesiæ ea de re sensus fuerit. Legantur & expendantur singulorum Patrum verba apud citatos autores.

(ſ) Th. 72.
(t) Tom. 2. controv. 3. de Sacram. Euch. toto lib. 5. & 6.
(u) tom 3. in 3. p disp. 75.
(x) tom. 4. disp. 5. quæst. 9.
(y) tom. 2. opusc. Opusc. 11. lib. 2.
(z) de Sacram. q. 83. a. 1. dub. 2. & seqq.
(a) in 3. p. ad eandem quæst. & art. dub. 2. & seqq.
(b) tom. 3. tract. de Euch. disp. 36.
(c) de Sacram. Euch. disp. 19. sect. 1.
(d) Instit. Cathol. l. 3. Eccle[illegible]
(e) Th. 71

X. Quod autem dicit Calixtus, (e) priscos illos Patres nihil aliud

voluisse, quàm *memoriam & symbolum peracti in cruce sacrificij, sive quod eodem recidit, memorativum & repræsentativum sacrificium hic esse*, nullo negotio refelli potest: sic enim illi loquuntur, ut dicant se non solùm offerre, sed etiam per hanc oblationem commemorari oblationem factam in cruce, atque adeò duas in hoc mysterio distinguunt oblationes, unam repræsentantem, alteram repræsentatam, incruentam unam, cruentam alteram. Audiamus ea de re, si lubet, sanctissimum Præsulem Augustinum: (f) *Christiani*, inquit, *jam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione, & participatione Corporis Christi.* Ecce actione hâc duplici, oblatione scilicet & participatione ait celebrari memoriam sacrificij jam peracti; quare sicut participatio Corporis Christi non desinit esse vera & realis participatio ex eo, quòd sit commemorativa: ita etiam oblatio, quæ fit simul cum illa participatione, non desinit esse vera & realis oblatio, licèt sit alterius oblationis commemoratio. Nec mirum istud videri debet, habuerunt hoc omnia Veteris Testamenti sacrificia, quòd essent commemorativa sacrificij crucis postea futuri, & tamen eo non obstante fuerunt etiam in se vera ac propriè dicta sacrificia. Et sane repræsentatio sola minimè sufficeret, ut ideo actio cœnæ sacrificium vocari posset, quemadmodum nemo veterum propterea, quòd baptismus esset Sacramentum repræsentativum mortis Christi, ut docet Apostolus, (g) eundem unquam sacrificium appellâsse legitur.

(f) lib. 20. contra Faustum c. 18.

(g) Rom 6. 4.

XI. Sed mittamus illa de sacrificio, plus fortè subsidij contra Missas privatas in ipsa ratione Sacramenti Calixtus reperiet. imò ne sic quidem. Audiamus tamen. Ipsum *Sacramentum*, inquit, *utpote unum quoddam morale, non naturale, è compluribus constat actionibus, è quibus præcipuæ sunt benedictio panis & vini, benedictorumq; exhibitio, & sumptio. Hæ omnes de substantia sunt Sacramenti: neque enim altera minùs est instituta, quàm altera, nec ratio ulla reddi potest, quare altera non sit æquè de substantia Sacramenti, quàm altera. De integritate esse fateri omnes oportet. At hic, sive ubi de Sacramento loquimur, substantia, essentia, integritas coincidunt.* (h) Atque hujus suæ sententiæ testem laudat etiam Alphonsum à Castro. (i) Ineptissimè omnia. Nam autor iste inprimis de sacrificio Eucharistiæ loquitur, non de eodem, ut Sacramentum est: quia quâ talis, in re permanente consistit, in corpore scilicet & sanguine Christi sub speciebus panis & vini, nec ulla actio ad ejusdem substantiam aut integritatem pertinet. Quid enim? cùm legimus olim moris fuisse, ut Eucharistia sive Corpus Christi asservaretur pro infirmis, (k) ut domum à qui-

(h) Th. 28.

(i) lib. 10. adversus hæreses.

(k) Conc. Nic. can. 14. 15.

à quibusdam asportaretur, (*l*) ut pro symbolo communionis Episcopis ad urbem venientibus mitteretur obviam, (*m*) an ista de tribus suis actionibus interpretabitur Calixtus? mirum profectò, quomodo actiones asservari, aut de loco in locum transportari possint; quod omnino fieri oportuit, si Sacramentum illud ex prædictis actionibus substantialiter constituitur. Nec refert, quòd Petrus à Soto dicat, (*n*) *proprium hujus Sacramenti usum esse ipsam sumptionem, sive manducationem & potationem*: hoc, inquam, non refert, quia usus & substantia rei multùm differunt, ut nôrunt omnes, quanquam ne iste quidem usus in Missis privatis omnino à nobis negligitur, ut frustra cavillatur Calixtus, quoties enim divinum illud mysterium peragitur, etsi non semper à fidelibus aliis, semper tamen ab ipso consecrante sumitur. Falsum denique in Sacramentis essentiam & integritatem coincidere, hoc enim communi Philosophiæ tam in naturalibus quàm moralibus repugnat.

(*l*) Iren. epist. ad Vict. Tert. lib. 2. ad uxor. (*m*) Euseb. lib. 5. hist. c. 24. & lib. 6. c. 34. Greg. Naz. orat. de Gorgon. (*n*) de instit. Sacerd. lect. 8. de Sacram. Euch.

XII. Instat iterum Doctor Helmstadiensis; *Verba illa generalia, HOC FACITE, ad omnes actiones Christi se extendunt æqualiter; quæ de substantia Sacramenti sunt, quales certè sunt actiones, quæ circa materiam versantur, quæ non minùs, imò magis sunt de substantia Sacramenti, quàm ipsa materia, quia propter actiones adhibetur materia.* Unde paulò post infert: *quia itaq; Christus distribuit, idem quoque ijs, qui in hac Sacra actione Christi vicem sustinent, faciendum erit.* (*o*) Itáne, Calixte? Omnes eæ actiones, quæ circa materiam versantur, de substantia sunt Sacramenti? jam idem de fractione pari ratione conclusero: nam inter actiones cæteras, quas Chrstus circa materiam exercuit, etiam fractio fuit, teste Evangelista: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit deditq; discipulis suis*, &c. (*p*) Cur ergo ne in suis quidem Ecclesiis observant istuc, qui Evangelicos se jactitant? cur factum, exemplum, institutionem Christi non imitantur? cur panem non frangunt, sicut Christum fecisse Evangelistæ memorant? Sanè si vera est Calixti ratiocinatio, actio illa absque gravi sacrilegio omitti non potest. Ipsi ergò viderint.

(*o*) Th. 28.
(*p*) Matth. 26. 26.

XIII. Nec satis sunt ista. alium porrò arietem admovet Calixtus ex verbis institutionis, ACCIPITE ET MANDUCATE, quæ profert Sacerdos, dum consecrat. Et ut arctiùs ijs nos stringat, ait Gregorium de Valentia (*q*) ex sententia Thomæ docere, *Verba*

(*q*) tom. 4. disp. 6. q. 6. p. 2.

(r) Th. 32. illa esse *operatoria, & significativè ac personaliter proferri à Sacerdote, non quidem per se, sed quatenus peculiari ratione induit & repræsentat in eâ re Christi personam.* (r) In hoc autem sensu verba illa vera esse non possunt, nisi adsint distincti à Sacerdote, ad quos illa referantur, quive accipiant ac manducent. Unde denique sic concludit: *cùm igitur Sacerdos & consecret & sumat tanquam sustinens personam Christi, verba autē,* Accipite & manducate, *referantur ad alios, ut à Christo ita quoque à Presbytero diversos, patet utique, cùm solus Sacerdos sumit, quod consecrat, inania esse & cassa verba,* Accipite & manducate, *& ad rem, quæ sic peragitur,*

(ſ) ibid. *non pertinere imò cum ea pugnare.* (ſ) Imò inanis & cassa est illatio tua, Calixte, ex antecedente, quod tu falsò affingis Valentiæ. De solis verbis consecrationis, *Hoc est Corpus meum,* ille loquitur, dum dicit assertivè & personaliter enuntiari; de alijs antecedentibus, inter quæ sunt illa quoque, *Accipite & manducate,* disertè ibidem fatetur proferri solùm recitativè, historicè, & ma-

(t) 3. p. q. 78. a. 5. terialiter. Eadem est doctrinâ S. Thomæ, (t) & aliorum Theologorum communiter. Unde à contrario ego sic colligo, ad veritatem verborum illorum in Missa non magis requiri, ut coràm adsint, qui Eucharistiam è manu Sacerdotis participent, quàm id necessarium sit, quoties eadem institutionis verba pro concione è Cathedra recitantur ad populum, aut fortè legantur in Biblijs. Manet ergo, ab exemplo & institutione Christi nihil contra Missas privatas solidi Calixtum attulisse. Pergo ad alia.

(u) Th. 43. XIV. Oppugnat dein Missas privatas Calixtus (u) ex ritu, quem servârunt Apostoli cœnam dominicam celebrantes. Eum describi ait à Luca in Actis Apostolorum, ubi de primis Christianis sic ait: *Erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

(x) cap. 2. 42. (x) Et rursum: *Una Sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem.* (y) Ecce

(y) cap. 20. 7. utrobique fit mentio fractionis panis, quæ sine dubio propter solam distributionem fuit adhibita. non ergo, inquit, locum habuit Missa solitaria. Ego inprimis satis non video, quo artificio ex verbis Lucæ istam texat consequentiam. Secuti sunt quidem Apostoli Christi exemplum in dispensando Altaris Sacramento, quoties essent, qui peterent: quòd tamen id fecerint semper, quoties sacrificarent, ex dictis verbis probari nunquam poterit. Sed demus hoc etiam, in primitiva Ecclesia nullam Missam absq; communione populi celebratam fuisse, an ideo consequens erit, nunquam offerri posse sacrificium, nisi adsint, qui præter Sacerdotem communicent? minimè verò. Nam, ut ostensum antea, communio eorum, qui intersunt Missæ sacrificio, ad substantiam ejusdem nequaquam pertinet, sed habet se merè per accidens. In primitiva quidem Ecclesia ob insignem Christianorum

devo-

devotionem ac fervorem, Sacerdotum item paucitatem facilè fieri potuit, ut nunquam deessent, qui sacro illo epulo reficerentur, præsertim cùm apud plerosq; communio etiam quotidiana invaluisset; postea tamen augescente presbyterorum numero, & refrigrescente fidelium devotione accidit sæpiùs, ut Missæ sine communicantibus peragerentur, id quòd ex sequentibus magis patebit. Neque tamen ideo à prima Christi institutione Ecclesia recessisse censeri debet, satis quippe est conformitatem in essentialibus observari, ut verò observetur semper in accidentalibus, nullo modo requiritur.

XV. Multo minùs verum est, Missas privatas damnari ab Apostolo, (z) dum *reprehendit Corinthios hoc nomine, quòd cùm eodem loci & in Ecclesia convenirent, divisim tamen & seorsim alij hîc, alij isthic proprias sive privatas cœnas celebrarent.* (a) Non verum est, inquam, quod dicit Calixtus. Nam Paulus in ista sua reprehensione, ut rectè observant Bellarminus, (b) Cornelius à lapide, (c) & alij, non loquitur de Eucharistia, sed de convivio pauperibus olim in Ecclesia à ditioribus exhiberi solito, quod Agape dicebatur. Et colligitur manifestè tum ex illis verbis: *Vnus esurit, alius ebrius est*: quæ de sumptione Eucharistiæ intelligi non possunt, cùm nec ad sedandam ventris esuriem instituta illa fuerit, nec in ea ullum ebrietatis sit periculum; tum ex scopo Apostoli, qui reprehendere volebat Corinthios, teste Chrysostomo & aliis, quòd non ampliùs convivia illa facerent, sicut oportebat, sed quòd divites seorsim & lautè epularentur, pauperibus exclusis, vel non expectatis. Huc spectant, quæ sequuntur: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare, unusquisq; enim suam cœnam præsumit*, &c. quasi dicat, dum convenitis ad Eucharistiam, vestra convivia, ut nunc celebrantur, non ampliùs repræsentant cœnam Dominicam: Dominus enim simul cum discipulis in eâdem mensa accubuit; vos autem fratres vestros, quòd pauperes sint, à mensa vestra excluditis, vel non expectatis. Quid hoc, amabo, ad Missas privatas? Pudeat Calixtum argumenti tam malè concinnati.

(z) 1. Cor. II.
(a) Th. 45.
(b) lib. 2. de Missa c. 10.
(c) in Epist. ad Corinth. c. 11.

XVI. Jam si etiam inquiratur, quid observârit Ecclesia Apostolorum ætatem subsecuta, illicò adest Calixtus, & totam antiquitatem primorum sex aut septem seculorum pro se stare clamitat. (d) Putat enim tum primùm *cœpisse Missas solitarias, quando præter Ecclesias Cathedrales & Parochiales, Monasteria, Oratoria, Sacella, Altaria ingenti numero extrui cœpta, vel quando cœperunt agitari quæstiones, an fas & æquum sit solum Sacerdotem Divina celebrare officia, nullis videlicet præsentibus, quibus dicat,* Pax vobis, Dominus vobiscum, *nullis, qui*

(d) th. 47. &

respondeant, Et cum spiritu tuo, &c. *quæ pleraque ait in seculum tum octavum, tum nonum incidere.* (e) Antea autem Missas ἀκοινωνήτους prorsus incognitas fuisse, argumentis non solùm probabilibus, sed planè certis ac perspicuis à se ostendi iactitat. (f) Nimirum more suo & modo agit Calixtus, multa confidenter asserit, pauca probat. Ego contrà sic agam, ut 1. longè antiquiora proferam testimonia, è quibus haud obscurè colligere licebit, etiam apud veteres in primis seculis Missas privatas, in quibus solus communicat Sacerdos, in usu fuisse; tum deinde in medium adducam, quæ ex eadem antiquitate in contrarium affert Calixtus, ut videant omnes, quàm parùm roboris illa habeant.

(e) Th. 12.
(f) ibid.

XVII. Pro Missis igitur privatis facit inprimis autoritas Concilij Nannetensis laudati ab Iuone Carnotensi 5. parte Decretorum cap. 70. ubi statuitur, ne Presbyteri Missam celebrent, nisi unum saltem habeant, qui respondeat. Ex quo intelligimus, quosdam planè solos, atque adeò sine communicantibus celebrare solitos. Nec obstat, ibi præcipi, ut ne sine ministro celebret Sacerdos, quia Concilium non ideo illud jubet, ut minister communicet, sed ut respondeat, & ut sit, ad quem verba illa, *Dominus vobiscum, Sursum corda*, *Oremus* & similia possint dirigi, ut clarè patet ex ipsis verbis capituli apud Reginonem, quem citat Calixtus, (g) & referemus infrà. (h) Facit præterea Concilium Toletanum XII. ante annos mille ducentos propè celebratum can. 5. ubi graviter reprehenduntur quidam Sacerdotes, quòd ita sacrificium offerrent, ut ne ipsi quidem cœlesti pane vescerentur. *Quale erit*, inquit Concilium, *illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participare dignoscitur?* Qui loquendi modus satis indicat, in ejusmodi sacrificijs ne alios quidem communicâsse; hoc autem Concilium non culpat, sed illud solummodo, quod Sacerdotes offerentes à communione abstinerent, quod nullo unquam tempore fuit licitum.

(g) Th. 15.
(h) ass. 28.

XVIII. Facit 3. pro ijsdem Missis privatis, quòd olim non pauci solo suo freti patrimonio sacris initiarentur, absque ulla tamen animarum cura & jurisdictione, qui proinde pro officio & autoritate nemini Eucharistiam administrare poterant, & tamen sine dubio Missas celebrabant. Talis fuit S. Paulinus, postea Nolæ Episcopus, qui de se scribit ad Sulpitium Severum Antistitem Bituricensem, (i) ita se creatum Sacerdotem, ut nulli Ecclesiæ astringeretur. Et inter eos etiam, qui publicæ religionis curam habebant, quot fuisse existimamus, qui sacris aliquando absque communicantibus operati sunt? S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexan-

(i) epist. 6.

drinus

drinus, ut in ejusdem vitâ refert Leontius, cùm videret aliquando sacrificij tempore populum è Templo dilabi, sic eos dicitur affatus: *Ego filij propter vos ad Ecclesiam descendo, nam mihi in Episcopio Missas facere poteram.* Nota, *mihi ipsi dicit*, ut satis insinuet, privatim se sine arbitris celebrare solitum. Nec multùm absimile est, quod de Gregorio Nazianzeno in exigua cellula extructo Oratorio sacra interdum faciente, testatur Sozomenus. (k)

XIX. Rursum istiusmodi Missas absque communicantibus Constantinopoli olim in usu fuisse, manifestè apparet ex illa querimonia S. Chrysostomi, cum ait. *Frustra habetur oblatio quotidiana, frustra stamus ad altare, cùm nemo sit, qui simul participet.* Et rursum: *O consuetudinem, O praesumptionem, Sacrificium frustra quotidianum! Incassum assistimus altari, nullus qui communicetur.* (m) Quibus locis non reprehendit Chrysostomus ipsam oblationem sine communicantibus, sed Graecorum in participandis mysteriis Divinis supinam negligentiam. Quemadmodum minimè Chrysostomus aut alius Concionator reprehendit ipsum officium concionandi, cùm queritur se frustra & sine fructu concionari, sed ipsos auditores, qui non proficiunt ex concionibus. Quòd si verò illa sacrificij offerendi ratio sine communicantibus tam praecepto divino esset contraria, ut volunt Adversarij, minimè sacrificia illa quotidiana tolerare debuisset Chrysostomus, aut peragere ipsemet, uti tamen facere se insinuat, cùm dicit: *Frustra stamus ad altare.*

XX. Quin ex hac ipsa quotidiana celebrandi consuetudine novum argumentum pro Missis privatis formari potest. Cùm enim tum temporis Sacerdotes plerique quot diebus sacrificium Dei obtulerint, ut videre est apud Cyprianum, (n) Hippolytum, (o) Hieronymum, (p) Augustinum, (q) Gregorium; (r) aliunde verò Graeci in Oriente, ut Chrysostomus (s) & Ambrosius (t) conqueruntur, admodum raro & non nisi semel in Anno communicare consueverint, aliter fieri non potuit, quin sacerdotes absque populi communione saepiùs celebrarent. Calixtus, ut hoc argumentum eludat, ait (u) Ambrosium non de Graecis universim, sed de ijs solùm, qui in eremo degebant, locutum, quando dixit: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt?* At profectò nemo non videt, violentam planè esse istam interpretandi rationem; ut tamen ita sit de verbis Ambrosij, certè querela S. Chrysostomi paulò antè allata interpretationē illā nullo modo admittit, neq; n. ad eremicolas tum scribebat aut

(k) lib. 7. hist. cap. 5. & lib. 9. hist. tripart. c. 8.
(l) hom. 3. in epist. ad Ephes.
(m) hom. 61. ad pop. Antioch.
(n) lib. 1. ep. 2.
(o) orat. ad Antich.
(p) in epist. ad Titum.
(q) epist. 23. ad Bonif.
(r) hom. 37. in Evang.
(s) locis citat.
(t) lib. 5. de Sacram. c. 4.
(u) Th. 64.

loquebatur, sed ad populum & cives Constantinopolitanos & Antiochenos, cùm quereretur neminem esse, qui se mysteriorum participem faceret. Respondet iterum Calixtus, (x) querelam illam ad solos spectare laicos, interim nunquam defuisse Clericos, qui cum sacerdote communicarent. Sed ut hoc etiam concedamus, ita factum tum temporis in Missis solennioribus; quòd tamen mos ille universaliter obtinuerit, quoties sacrificatum fuit, ex nullo certo indicio ostendi potest: de quo pluribus infra suo loco.

(x) th. 62.

XXI. Idem haud obscurè colligitur, ut bene observat Valentia noster, (y) ex præceptis quibusdam Ecclesiasticis, quæ olim pro variâ ratione temporum data fuerunt fidelibus de communicando, uti factum in Concilio Agathensi sub Annum quingentesimum celebrato in Gallia, ubi in can. 38. fideles solùm jubentur tribus solennioribus anni festis, Natalitiorum scilicet, Paschatis & Pentecostes communicare, cùm tamen in eodem Concilio can. 21. jubeantur Missæ interesse singulis diebus Dominis. Verba sic habent: *Missas die Dominico secularibus totas audiri speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis populus egredi non præsumat.* (z) Ex quibus satis apparet, Missam non eo solùm fine, ut communicent alij, celebrari solitam, sed etiam quòd per modum sacrificij, sine communione fidelibus prodesse posset.

(y) tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 3.

(z) in summa Caranzæ.

XXII. Denique frequens fuit in antiqua Ecclesia, ob fines aliquos particulares celebrare Missas, idque non solùm coram populo in Templo publico, sed in locis etiam & ædibus privatis. Ita S. Augustinus scribit sacrificium oblatum pro Matre sua cadavere juxta sepulcrum collocato. (a) Et alibi narrat idem factitatum in fundo cujusdam Hesperij Tribunitij viri, ad fuganda spectra, quibus locus ille infestabatur. (b) Non est autem verisimile, ad sepulchrum S. Monicæ, aut in fundo illo institutam fuisse communionem, nec talis communionis ullam ibi facit mentionem D. Augustinus. Nec satisfacit Calixtus, (c) dum ex eo, quòd interdū etiam in privatis ædibus distributa sit communio, concludere vult, idem quoque observatum in jam dictis, & similibus casibus, licet autores id non referant. Hoc, inquam, non satisfacit, non enim si aliquando id factum est, illicò sequitur, quotiescunque in privatis locis Eucharistia olim celebrata est, ita factum fuisse, id est, interfuisse, qui etiam communicarent. Imò ex allatis hactenus veterum testimoniis, quæ pleraque attingit etiam Bellarminus, (d) contrarium potiùs rectè consideranti licebit colligere, ut proinde inaniter jactitet Calixtus, propemodùm desperare incipere Bellarminum, cùm Ecclesiæ veteris testimonia pro sua parte conatur adducere.

(a) lib. 9. Conf. c. 12.

(b) lib. 22. de civit. Dei c. 8.

(c) Th. 60. & 63.

(d) lib 2. de Missa c. 9.

XXIII.

XXIII. Illud nunc videamus, quàm *plana & perspicua* sint argumenta, quibus ex antiquioris Ecclesiæ usu suam opinionem Calixtus conatur struere. Ac 1. quidem, tametsi fateatur antiquissimas Liturgias Petri, Marci, Jacobi, Matthæi & aliorum, quæ passim circumferuntur, nullius apud se esse autoritatis, utpote falsò nomina illa præferentes, putat tamen validam ex ijsdem contra Catholicos, apud quos scilicet in magna sunt veneratione, peti posse machinam, quâ Missæ privatæ oppugnentur. Nam *in ijs omnibus & singulis*, inquit, *aperta & manifesta communionis populi cum Sacerdote indicia.* (e) Prô! quem non terreat Achilles iste! explosit illum jam pridem Bellarminus, (f) cùm respondet, ideò in Liturgiis illis fieri mentionem distributionis Sacramenti, quia semper fieri potest, imò & debet in Missa eorum Sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, si qui parati sint ad communicandum; non tamen ideo cessandum à sacrificio, si nulli sint, qui communicare velint. (e) Th. 48. (f) lib cit. c. 10.

XXIV. Minùs ad rem faciunt, quæ ex Constitutionibus Apostolicis (g) Clementis Episcopi Romani, & scriptis Dionysij Areopagitæ adducit. In illis enim prioribus solùm ritus describitur, qui observatus olim fuit in Corpore & Sanguine Domini distribuendo. Dionysius verò aliud nihil dicit, quàm suo tempore morem fuisse in Ecclesia, ut Sacerdos, peracto sacrificio, conversus ad populum, qui aderat, ad eandem sacram mensam certâ verborum formulâ fideles invitaret, & tunc, qui parati erant, eos Sacrosancta mysteria sumpsisse, ut totidem pænè verbis ex Catechismo Tridentino (h) refert ipse Calixtus. Quòd tamen aliter Missæ sacrificium fieri non possit aut debeat, apud Scriptores istos nusquam legitur: imò propter communicantium defectum factum arbitror, quòd illa populum invitandi consuetudo paulatim abrogata fuerit. Nec est, quòd ideò Ecclesiam Romanam incuset Calixtus aut exclamet, (i) *quàm dissimilis igitur hodierna Pontificia Missa illi antiqua Apostolicæ*! nam si omnia, quæ in Ecclesia primitiva in usu fuerunt, retinere semper oporteat, ne ipsi quidem Pseudo-Evangelici excusari poterunt, quòd communionem quotidianam tam primis Christianis familiarem, illa item caritatis convivia, sive Agapas tum celebrari solitas, in Ecclesiis suis hodie non imitentur. Aut si in his impunè licet à primitivæ Ecclesiæ exemplo recedere, cur non in similibus aliis? (g) Th. 49. & 50. (h) part. 2. c. 4. n. 46. (i) Th. 55. (k) Th. 51. & 53.

XXV. Profert præterea (k) Canonem Apostolorum decimum, qui jubet excommunicari eos, qui non permanent in Ecclesia, usque dum Missa peragitur, & non accipiunt sanctam communionem: Cui conforme est decretum Anacleti in epist. 1. apud Gratianum (l) in hæc verba: *Per-* (l) Can. Peractâ, de consecrat. dist. 2. c. 10.

 actâ

actâ consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & Romana tenet Ecclesia. At nec ista quidem probant, quod intendit Calixtus. Nam 1. Canones isti jubent quidem, ut qui intersunt consecrationi, communicent, non tamen prohibent Sacerdoti sacrificare, si populus non adsit, aut communicare nolit. 2. Concilium Antiochenum quarto seculo celebratum dictum Canonem Apostolicum sic explicat, ut velit non damnari eos, qui absolutè non communicant, sed eos, qui certa de caussa, nimirum ob aliquam superstitionem, aut pravam opinionem aversantur sacram communionem. Verba Concilij sic citat ipse Calixtus: (m) *Quicunque Ecclesiam ingressi, & audientes sacras Scripturas non communicant in oratione cum populo, vel aversantur perceptionem Eucharistiæ per quandam perversitatem, ex Ecclesia ejiciantur.* 3. decretum illud Anacleti non ad Laicos pertinet, sed ad solos Clericos, qui in festis solennioribus Episcopo solenniter sacrificanti ministrabant: quocirca si die aliquo non solenni, aut sine aliorum Clericorum solenni ministerio quis sacrificaret, non tenebatur ex hoc decreto communionem dare. Juvat ipsum adire fontem, ex quo Canon ille desumptus est, hoc est, epistolam decretalem ipsius Anacleti, sic habet: (n) *In solennioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & SubDiaconos & reliquos ministros secum habeat* (Episcopus) *qui sacris induti vestimentis, in fronte & à tergo, & presbyteri è regione dextra, lævaq; contritocorde & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio. Peractâ autem consecratione omnes communicent, qui noluerit,* &c. Ecce Canon de solis ministris loquitur, & quidem solennioribus diebus, malè ergo Calixtus eundem universim ad omnes etiam Laicos & dies conatur extendere. Denique utrumque istum Canonem, quia non divini juris, sed humani erant, sicut in multis aliis accidit, per contrariam consuetudinem progressu temporis abrogari potuisse, nemo intelligens est, qui dubitet. Ita Bellarminus. (o)

(m) Th. 61.

(n) tom. 1. Conc. p. 158. col. 2. edit. Colon. Anno 1606.

(o) lib. 2. de Missa c. 10.

XXVI. Idem pæne judicium esto de Liturgiis Basilij Magni tam græca, quàm Syriaca, è quibus colligitur, instante communionis tempore Catechumenos à Diacono è Templo olim exire jussos, tum deinde reliquum populum communicâsse. (p) Fatendum siquidem, factam olim ejusmodi dimissionem in festis & officiis solennioribus, quanquam non cum eodem rigore in locis omnibus observatum id fuerit: unde cum testetur S. Ambrosius loco suprà citato, (q) Græcos non nisi semel in anno com-

(p) Calix. Th. 62.

(q) assert. 20.

communicâsse, non potuit consuetudo illa, quod ad fideles attinet, in Missis quotidianis & dominicalibus locum habuisse; ac proinde nihil inde solidi universaliter contra Missas absque populi communione concludi potest. Confirmari hæc possunt ex S. Augustino, qui alibi (r) sic dicit: *Ecce, post sermonem Missa fit Catechumenis.* *Post sermonem*, inquit, non autem quotidie sermo aut concio habebatur, cùm tamen fateatur idem Augustinus, (s) *Christum semel in Cruce immolatum, omni die in Sacramento populis immolari.* Non ergo quotidie exire jussi sunt, qui nondum ad communionem admitti poterant, sicut non erant quotidie, qui communicare cuperent.

(r) serm. 127. de tempore.

(s) epist. 23. ad Bonif.

XXVII. At *inter veteres*, inquit Calixtus, (t) *si quisquam alius, maximè audiendus Iustinus, Philosophus & Martyr.* Audiatur, quid prohibet? Is in apologiâ Antonino Pio Imperatori Christianorum nomine oblatâ, ritus Ecclesiæ Christianæ sic describit, ut dicat Diaconos benedictum panem & vinum tum astanti populo distribuere solitos. Rectè. ita factum esse, quoties adessent, qui communicare vellent, quis neget? quòd autem in Missis singulis id fieri oportuerit, Justinus non asserit. Audiatur & S. Martyr Ignatius. Is ait Calixtus (u) 1. *Ephesios ad frequentem communionem incitat.* quid tum postea? faciunt idem hodie concionatores nostri, nec tamen Missas sine communicantibus improbant. Scribit 2. Philadelphensibus, *unum panem omnibus frangi, unum calicem omnibus distribui.* Verùm nec hoc Catholicorum caussæ quicquam officit. facit idem Ecclesia Catholica, eundem panem, hoc est, eundem cibum & potum spiritualem in Eucharistiæ Sacramento fidelibus omnibus porrigit. Unde quotquot sive hîc Monasterij, sive Romæ, sive alibi, sive in eadem Missâ, sive in diversis communicamus, semper cum Apostolo Paulo (x) dicere possumus: *Omnes de uno pane participamus.* Quæ præterea de oblationibus olim fieri solitis, de temporibus item Tertulliani, Clementis Alexandrini, & Cypriani adducit Calixtus, (y) solùm indicant in Ecclesiæ nascentis exordiis tantam fuisse populi devotionem, ut celebrationem Missarum semper ferè comitaretur sacra Christi Corporis ab astantibus sumptio, ut rectè quoque observavit Alcasar noster, (z) & nemo negat, imò etiamnum fieri optat Concilium Tridentinum. (a)

(t) Th. 55.

(u) Th. 54.

(x) 1. Cor. 10. 17.

(y) Th. 57. & 59.

(z) in c. 10. Apoc. v. 10.

(a) Sess. 22. cap. 6. & can. 8.

XXVIII. Adijcit his omnibus Calixtus aliquot Conciliorum decreta, quibus, ut ipse sibi imaginatur, Episcopi invalescentem seculo nono sine communicantibus celebrandi consuetudinem profligatam cupiebant. Ita factum ait in Concilio Nannetensi suprà (b) à nobis citato. Facilè vide, bonum virum probationibus solidis omnino destitui,

(b) Aff. 17.

qui

qui inde caussæ suæ subsidium petit, ubi reperire non potest. Nulla ibi mentio communionis in Missa instituendæ, sed hoc solum prohibetur, ne quis Sacerdos absque ministro celebret, quod & statutum in Concilio Moguntino (c) sub Leone III. & observatum semper fuit in Ecclesia. Sed nihil melius, quàm ipsum audire Juonem, qui decretum illud Concilij sic refert: (d) *Definivit sanctum Concilium, ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare; cui enim dicit, Dominus vobiscum, Sursum corda aut Gratias agamus Domino Deo nostro, cùm nullus sit, qui respondeat? aut in Canone, Et omnium circumstantium,* &c. *cùm nemo adsit? aut quem invitat, cùm dicit, Oremus, cùm nullus sit, qui secum oret?* &c. Et hunc celebrandi modum sine ministro tanquam ridiculum & superstitiosum reiicit Concilium, non Missas sine communicantibus, ut somniat Calixtus. Sequitur in eodem Concilio paulò pòst: *Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobijs, & in alijs Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Si quis hoc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.* Illa autem cooperatio non necessariò communionem postulat, nam ille etiam, qui solùm ministrat sacrificanti, & respondet, rectè & propriè cooperari dicitur.

(c) cap. 34.

(d) lib. 1. de disc. Eccles.

XXIX. Ejusdem planè tenoris est Canon 48. Concilij Parisiensis, ut mirum iterum sit, eum à Calixto (e) contra nos adferri. Appello ad ipsa Canonis verba, quæ fideliter repeto. *Irrepsit in plerisque locis, partim incuriâ, partim avaritiâ reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, eò quòd nonnulli Presbyterorum sine ministris Missarum solennia frequentent. Quod nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria Corporis & Sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec Apostoli Pauli declarant documenta, nec etiam in ipsis actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere, ullo modo invenitur. Unde conveniendus, imò interrogandus nobis videtur hujusmodi Corporis & Sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicat, Dominus vobiscum, & à quo illi respondeatur, Et cum spiritu tuo, vel pro quibus supplicando Domino inter cetera, Memento Domine & omnium circumstantium, quum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ autoritati refragatur, & tanto mysterio ac honorationem quandam irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhiberetur, provideatq; unusquisque Episcoporum, ne in sua Parochia quisquam presbyterorum Missam solus celebrare præsumat, & si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, Canonicæ correctioni subjaceat.* Quid clariùs (exclamat iterum Calixtus) aut rectius contra Missas ἀκοινωνήτους dici & decerni poterat? imò verò, quid clarius, quàm Canonem istum non Missas sine communicantibus, sed sine ministris improbare? quæ an mera sint subterfugia, ut ait Calixtus, judicent alij.

(e) Th. 13.

XXX.

XXX. Sed quoniam delapsi huc sumus, videamus eadem opera, qua ratione Sacerdos uno solo ministro astante dicere possit, *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, *Habemus ad Dominum*, *Orate fratres*, & similia; quomodo item, *Memento Domine circumstantium*, &c. *Sacramenta, quæ sumpsimus*, &c. *Vt quotquot ex hac Altaris participatione sumpserimus*, &c. Certè Calixtus Deo illudere existimat, (*f*) qui cùm soli de Sacramento participent, his tamen posterioribus verbis eum compellant; tametsi priora illa faciliùs accommodari aut excusari posse credat. (*g*) At ostendi facilè potest, rectè ista omnia sic dici. Nam 1. rarissimè accidit, ut præter ministrum nemo alius coràm sit præsens, ac proinde meritò dicere potest Sacerdos, *Orate fratres*, *Dominus vobiscum*, & similia, quia ordinariè & ut plurimùm plures adsunt. 2. licèt etiam contingat, unum solum ministrum assistere, adhuc tamen ille plurium, Ecclesiæ scilicet & populi personam sustinet. Sicut enim Sacerdos, quando orat ad Altare, *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*, intentionem suam ad omnes fideles dirigit, ita nomine eorundem, ex instituto Ecclesiæ & totius Christianæ communitatis approbatione, ministrans sive respondens Deo pro omnibus supplicat, sive præsentes ij sint, sive non, ac proinde pluribus virtute æquivalet. Similiter cùm Sacerdos minister sit Ecclesiæ, & *in persona omnium*, ut loquitur S. Thomas, (*h*) Corpus & *Sanguinem* Domini *offerat & sumat*, quidni possit dicere in numero plurali, *Sacramenta quæ sumpsimus*, &c. Nec plus difficultatis habet, si dicat, *ut quotquot ex hac Altaris participatione sumpserimus*, &c. etsi enim in eadem Ecclesia nemo fortè alius præter ipsum Sacerdotem communicaverit, in aliis tamen locis eodem tempore plurimi fideles & Sacerdotes eiusdem sacræ communionis sive spiritualiter sive sacramentaliter facti sunt participes, quorum nomine Sacerdos Deo gratias agit, & nova dona ac beneficia ab ipso obtinere contendit.

(*f*) Th. 46.
(*g*) Th. 19.
(*h*) 3. p. q. 80. c. 12. ad 3.

XXXI. Walafridi Strabonis antiqui Scriptoris & Abbatis oblivisci hic non debeo, quando istum etiam Calixtus contra nos in scenam producit sic loquentem: (*i*) *Quamvis autem, cùm soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus Sacerdos exequitur, tamen fatendum est ILLAM ESSE LEGITIMAM MISSAM, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Vociferatur hìc iterum Calixtus: *si demum legitima est Missa, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens, atque communicans, quot ergo*

(*i*) lib. de rebus Eccles. c. 22.

millia illegitimarum quotidie in Ecclesia Romana celebrantur! At nihil agis, mi Calixte. Non dicit Walafridus illegitimas esse Missas, in quibus nemo alius præter Sacerdotem sacramentaliter communicat; sed illud quærit, an Missa fieri possit absque ministro & respondente; respondet autem, sine his posse quidem Missam intelligi, tunc tamen veram & legitimam esse Missam, in qua est Sacerdos, respondens, offerens atque communicans. Quorum verborum hic sensus est, Missam quidem, in quantum est sacrificium, in substantia sua esse integram, etiamsi solus sit Sacerdos (siquidem ad sacrificium plus non requiritur, quàm offerens & res oblata) quia tamen ratione Sacramenti, quod in ea conficitur, etiam ad nutritionem spiritualem populi ordinatur, rectè tum demum omnino perfectam (intellige accidentaliter) & legitimam Missam dici, quando adsunt, & qui respondet, & qui communicat.

(k) Th. 16.

XXXII. Existimat porrò Calixtus, (k) Missis solitariis introducendis insignem quoque occasionem dedisse Oratoriorum, Sacellorum & Altarium multitudinem, quam circa seculum nonum maximè putat invaluisse, adeò ut necesse fuerit variorum Conciliorum decretis prohibere, ne extra basilicas Deo dicatas in privatis ædibus aut sacellis passim Missæ celebrarentur. Fallitur tamen in utroque Calixtus; & quidem non eo primùm tempore Missas privatas introductas, ex suprà dictis satis constare arbitror. Ad oratoria autem, & sacella privata quod attinet, semper (à quo quidem tempore Templis publicis uti licuit) jure communi & ordinario prohibitum fuit propter reverentiam sacrificio debitam, extra Ecclesiam aut locum sacrum ad hoc specialiter deputatum, illud offerre, ut patet ex decretis Pontificum Clementis (l) & Felicis, (m) ex antiquissimis item Conciliis Laodiceno (n) & Carthaginensi II. (o) quæ secuta deinde sunt Concilia Aquisgranense sub Ludovico Pio, (p) & novissimè omnium Tridentinum, (q) quod omnes antiquos Canones ea de re editos gravissimè commendat, & innovat.

(l) Epist. 2.
(m) Epist. 1.
(n) cap. 58.
(o) cap. 9.
(p) cap. 48.
(q) Sess. 22. cap. de observandis in celebr. Missæ.

XXXIII. Dixi tamen jure communi & ordinario, quia semper in Ecclesia usitatum fuit, ut ex prudenti caussâ, vel necessitate in privatis quoque locis aut domibus Missæ interdum celebrari possent, quod absolutè & in se reprehendi non potest. Nam Christus ipse primam Missam non in Templo, sed in domo privata celebravit; idem fecerunt Apostoli, (r) & deinde SS. Pontifices & Martyres tempore persecutionis, quando etiam in cryptis & cavernis terræ sacra peragebant. Quid! annon S. Lucianus sacrificavit in carcere, & suo ipsius pectore pro Altari usus est, cùm catenis onu-

(r) Act. 2. 46.

onuftus jaceret, nec erigere feipfum poffet? (s) S. Ambrofius nonne in domo matronæ cujufdam nobiliffimæ Romæ facrificium obtulit? (t) Theodoretus in cellula Maris Anachoretæ? (u) Caffius Narnienfis Epifcopus in fuo oratorio? (x) ut taceam SS. Ioannem Eleemofynarium, Auguftinum, Gregorium Nazianzenum, de quibus fuprà. (y) Nihil ergo illa Conciliorum decreta contra Miffas fine communicantibus faciunt.

(s) Niceph. lib. 8. hist. c. 31.
(t) Paulinus in ejus vita.
(u) Theod. in hist. relig. c. 20.
(x) Greg. hom. 37. in Evang.
(y) Act. 18. & 21.

XXXIV. Altarium infuper multitudinem in eodem Templo vehementer improbat Calixtus, additque (z) primævam Ecclefiæ finceritatem non nifi unicum Altare, & quidem in medio Templi noviffe, ita enim Eufebium magnificum illud Tyriorum templum defcribere. (a) In fumma, nihil tam pium, tam fanctum eft, quod homo ifte, novus fcilicet Ecclefiæ reformator, cavillari non audeat, in facra etiam involat Altaria. At quæfo, quid in Altarium pluralitate eft mali? fi unum aliquod in Dei honorem erigere, laudatiffimum eft, cur ob finem eundem multiplicare non liceat? Nec concedi debet, veteres plura Altaria in eodem Templo non noviffe? Quando enim in vita Conftantini refert Eufebius, (b) Epifcopos invitatos ad dedicationem Templi Hierofolymitani, magno numero illuc confluxiffe, & facrificiis incruentis Deo oblatis diem feftum celebràffe, quomodo id fieri potuiffet, fi non nifi unicum Altare in Templo illo extitiffet? quomodo item miniftri Valentiniani Imperatoris Ambrofio, à quo non nifi unicam poftulabant bafilicam potuiffent dicere in plurali, *Trade nobis Altaria*, ut factum teftatur ipfemet Ambrofius? (c) Quid dicam de S. Gregorio, qui tredecim Altarium in uno Templo meminit? (d) Non ergo Altarium pluralitas veteribus fuit incognita. Quod de Tyriorum Templo adfertur, particulare exemplum eft, ex quo univerfalis conclufio aut confuetudo deduci non poteft.

(z) Th. 17.
(a) l. 10. hist. Eccl. c. 4.
(b) lib. 4. c. 45.
(c) Epist. 33. ad Marcellinam.
(d) lib. 5. Epist. 50. ad Palludium.

XXXV. Atque ex his omnibus nemo non videt, ne ullum quidem adhuc à Calixto ex omni antiquitate proferri potuiffe teftimonium, unde conftet nunquam celebratas fuiffe Miffas fine communicantibus, aut pluribus, qui adeffent: tantum abeft, ut argumentis planis & perfpicuis id oftenderit, quod facturum fe fuerat pollicitus. Ne quid tamen intentatum relinquat, etiam à vocibus, quibus tum ab Apoftolis ipfis, tum fcriptoribus Ecclefiafticis appellatur Euchariftia, argutatur. Ejufmodi funt inprimis voces ufitatiffimæ κοινωνίας & συνάξεως, quarum illa communionem, hæc congregationem fignificat; tribui autem dicit Euchariftiæ, *quod olim à pluribus fimul communicantibus eidem pani & calici fumebatur*; (e) *& quòd ad eandem fumendam frequentes olim in fuis five cœmeterijs, five cryptis,*

(e) Th. 22.

five

sive basilicis conveniebant fideles. Quis autem ferè synaxes appellari posse dixerit eas Missas, quæ non solùm non in Conventu aliquo populi, qui particeps fiat mysteriorum, celebrantur, sed etiam vix uno vel altero astante, imò interdum non nisi unô puerulo? (f) Profectò si sic argumentari liceat, ne ipse quidem Calixtus evadet. Peto enim ab illo, quando aliquis Verbi minister in domo privata panem benedicit, & soli porrigit infirmo, nullo etiam alio, vel vix uno atque altero præsente (quod fieri interdum contingit) an dicendum sit juxta Calixtum, eiusmodi infirmum sacrâ communione aut synaxi refectum fuisse, annon? si negabit, à suis omnibus ridebitur; sin affirmabit, sequetur non semper necessarium esse, ut quoties Sacramentum illud sumitur, plures de eodem participent, aut conveniant. Aliud ergo est, unde Eucharistia nomina ista invenerit, aliud quid semper fieri necesse sit. Vocatur communio, quia in communem animarum cibum pro omnibus instituta est, nec ideò talis esse desinit, licet hîc & nunc ab uno solo sumatur. Quemadmodum cibus aliquis materialis cibus communis dici potest, quando pro pluribus in communi apparatur, etsi fortè per accidens ex hospitum defectu non nisi unus solus ex illo comedat. Appellatur Synaxis, quia pluribus in unum congregatis solet distribui, quòd autem aliter sumi nequeat, vox illa non evincit.

(f) Th. 23.

XXXVI. Quid? quòd *ne ipsa vox Cœna invisa Adversarijs*, inquit Calixtus, (g) *haud satis rectè Missis solitarijs convenit? Neque enim cœna, si vim vocis spectes, nisi plurium*, Plutarcho teste. Unde S. Hieronymus: (h) *Dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis, qui adorant, æqualiter tradidit Sacramentum.* Miror quid hic Calixto nostro in mentem veniat, quod dicat nomen Cœnæ tam nobis invisum esse? quis obsecro Catholicorum illud unquam, quoties de solo Sacramento sermo est, rejecit? nónne Ioannes Walterus Viringius scriptor Catholicus, & è Societate, integrum edidit librum de triplici cœna, inter quas etiam cœna Dominica comprehenditur? nónne Matthias Faber, Mastrillus & plerique alij concionatores Catholici Evangelium de Cœna magnâ, quod Dominicâ secundâ post Trinitatis publicè populo prælegitur, SS. Eucharistiæ explicant? idem facit Georgius Schererus, haud dubiè Calixto notissimus, (i) quòd si fortè vox illa aliquibus aliquantum displicuit, ideo solùm factum est, quòd eâdem abutantur Adversarij ad exterminandum Missæ sacrificium. Sed lis tota est de nomine. Neque tamen verum est, Cœnam sive δεῖπνον, ut habetur in græco apud Paulum, solum significare refectionem pluribus communem, nam de eo etiam, qui sub vesperum solus comedit sine aliis, rectè & propriè dicitur, quòd cœnaverit. S. Hieronymus verò cùm ait, cœnam

(g) Th. 23.
(h) in ep. 1. ad Cor. c. 11.

(i) Conc. 1. de commun. sub una vel utraque specie post conciones festivas.

cœnam dominicam omnibus debere esse communem, aliud nihil vult quàm non debere admitti aliquos ad communionem, exclusis aliis, qui communicare desiderant, quod non fit apud Catholicos, omnibus siquidem debitè dispositis ad sacram illam mensam patet aditus. Videatur Forerus. (k) (k) in antiq. Pap. 3. p. lib. 7. controv. 13. c. 3

XXXVII. Rimatur denique Calixtus etiam ipsum nomen Missæ, quod ut verius videtur, latinum est, à mittendo derivatum, eò quòd peracto illo sacrificio dimitti soleat populus. ex quo ille sic instat: *Vbi sunt hodie in Romana Ecclesia, quibus dici posit, Ite, Missa est, cùm nullus interdum sit, qui astet, nedum qui sumat Corpus & Sanguinem Domini?* (l) Quid hîc quærenti respondeam aliud, quàm VENI ET VIDE? Veniat, inquam, Calixtus, obeat Catholicorum Templa, quando divina peraguntur mysteria, inspiciat, rarissimè videbit templa ita penitus vacua, ut non aliqui minimùm præsentes sint. Sed esto, nemo etiam adsit, præter unum ministrum, is tamen populi totius personam sustinet, unde sicuti illo solo præsente rectè ideo dicitur, *Dominus vobiscum, Orate fratres*, & similia, ut suprà ostendimus, ita quoq;, *Ite Missa est*, neque in hoc plus mysterij, quàm in illo altero. Illud hic obiter monendum, errare Calixtum, quando ait (m) Cornelium Episcopum Romanum primum fuisse, qui in epistolâ ad Lupicinum Missæ nomen usurpaverit: reperitur enim epistola 1. Pij I. Summi Pontificis data ad Justum Episcopum Viennensem, in qua de domo Euprepiæ pauperibus assignata sic ait, *ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus.* (n) Constat autem Pium illum annis facilè centum Cornelium præcessisse.

(l) Th. 25.

(m) ibid.

(n) Baron. in Annal. ad annum Christi 66.

XXXVIII. Unum pæne exciderat de Agno Paschali, quem figuram fuisse Eucharistiæ maximè propriam, communis est Doctorum apud Catholicos opinio, quæ si vera est, argumentum omnino efficax contra Missas privatas inde formari posse arbitratur Calixtus. (o) *Si enim Agnus Paschalis*, inquit, *adeò expressa est Eucharistiæ figura, necesse quoque erit, ut figura figurato respondeat, in omni Eucharistiæ administratione adesse nonnullos, qui cum consecrante Presbytero Corpus & Sanguinem sumant: nunquam enim defuerunt, qui unà cum patrefamilias de Agno Paschali ederent.* Ego verò respondeo, ut figura figurato respondeat, non requiri omnimodam paritatem in omnibus, sed satis esse 1. quòd sicut Agnus Paschalis sacrificij pariter & Sacramenti rationem obtinebat, ita & Eucharistia. 2. quòd sicut Agnus ille non solùm immolabatur in memoriam liberationis è servitute Ægyptiaca; sed etiam ut esset in cibum familiæ: ita Eucharistia immoletur non solùm in memoriam liberationis è servitute peccati & diaboli, sed etiam ut sit in cibum spiritualem animæ. Hoc tamen inter utrumque discrimen est, quòd Agnus ille

(o) Th. 38.

(p) Exod. 12. 9. Paschalis necessariò debebat comedi à pluribus, quia inter ritus à Deo præscriptos erat, ut totus absumeretur, (p) quod quia ab uno solo vel pauculis fieri non poterat, expressè præcepit Deus, ut tot è vicina domo assumerentur, quod ad vescendum Agnum sufficerent: (q) Eucharistia autem etiam tota ab uno Sacerdote sumi potest, nec ullum extat præceptum divinum, ut non nisi à pluribus simul percipiatur.

(q) ibid. v. 4.

XXXIX. Dicet adhuc aliquis, S. Chrys. ait (r) frustra esse oblationem quotidianam, si nemo sit, qui simul participet, ergo Deo placere non potest. Sed distinguere oportet duplicem finem, qui in celebratione Missæ spectari potest. Unus est, ut totius Ecclesiæ nomine laudetur Deus, reddatur propitius, & nova ab ipso impetrentur beneficia: & hic est finis illius principalis, in quantum sacrificium est. Alter finis est, ut cedat etiam in spiritualem fidelium refectionem, quod quia ad essentiam aut integritatem sacrificij non pertinet, non semper & necessariò illam comitatur. Cùm ergo dicit Chrysostomus, frustra esse talem oblationem, solùm vult esse frustra, quatenus ordinatur ad finem posteriorem, licet non sit frustra, quatenus ordinatur ad finem illum priorem. Nam alioqui ne ipse quidem Chrysostomus quotidie sacrificâsset, si omnino & absolutè frustra fieri existimâsset.

(r) hom. 3. in Epist. ad Eph.

XL. Denique si nihil aliud esset, quàm antiquissima tot seculorum recepta praxis & consuetudo Missas etiam sine communicantibus celebrandi, cujus initium ostendi non potest, existimari meritò deberet juxta communem SS. Patrum regulam, eam ab ipsis Apostolis usque ad nos manâsse, & semper fuisse in Ecclesia observatam. Quidnì ergo dicam cum S. Augustino? (ſ) *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, de eo quin ita faciendum sit disputare, INSOLENTISSIMAE INSANIAE est.* Calixtus autem, qui nullum finem facit ea, quæ antiquissima sunt in Ecclesia, impugnandi, videat quomodo insaniæ notam possit effugere.

(ſ) Epist. 118.



Addimus auctarij loco conclusiones aliquot ex 3. p. S. Th. quæ in ipsis Thesibus partim supponuntur, partim ex ijsdem deduci possunt.

I. DAtur in Ecclesia Christi verum ac propriè dictum Sacrificium, illud ipsum nimirum, quod in Missa Deo offertur.

II. Di-

II. Dicti sacrificij substantia in duplici actione consistit, consecratione scilicet Eucharistiæ, ejusdemque sumptione; ita tamen, ut posita consecratione, jam posita sit sacrificij essentia, adveniente verò sumptione, ponatur etiam pars quædam, sed solùm integralis.

III. Oblatio proinde verbalis sive panis & vini, sive specierum consecratarum ad substantiam sacrificij minimè pertinet; multò minùs fractio Eucharistiæ, aut ejusdem distributio.

IV. Ad essentiam & valorem hujus Sacrificij consecratio utriusque speciei requiritur, nec eâ in re à Pontifice dispensari potest.

V. Sacrificium Missæ non differt essentialiter à sacrificio, quod Christus in ultima Cœna obtulit, differt tamen accidentaliter.

VI. Ecclesia nec potest instituere aliud sacrificium, nec usurpare, præter illud, quod Christus instituit.

VII. Sacrificium illud non latreuticum solùm est, & Eucharisticum, sed impetratorium etiam & propitiatorium.

VIII. Sacrificium Missæ tam vivis quàm defunctis prodest infallibiliter & ex opere operato ad remissionem pœnæ temporalis.

IX. Fructus satisfactionis ex hoc Sacrificio proveniens non est infinitus extensivè, ac proinde pro pluribus oblatum, minùs prodest singulis, quàm si pro paucioribus vel uno solo offerretur.

EX SCRIPTVRA.

I. SAcrificium Novæ Legis ritè probatur à Catholicis ex Malach. 1. cap. v. 10. & 11.

II. Ex illo Hebr. 10. 14. *Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, malè colligunt Adversarij, non dari in Ecclesia aliud sacrificium, præter illud, quod in Cruce peractum fuit.


III. Ex nullo Scripturæ loco ostendi potest, communionem sub utraque specie præceptam esse Laicis.

Omnia ad majorem DEI gloriam.

Calixti Georgii

DEFENSIO DI-ſputationis de Miſsis Solitariis,

adverſus JOANNEM MÜLMANNUM, è SOC. JESU PROFESSOREM MONASTERIENSEM.



Didit superioris anni mense septembri, JOHANNES MÜLMANNUS è Societate JESU Professor Monasteriensis, disputationem de missis privatis, oppositam exercitationi de solitariis, quam sub præsidio Georgii Calixti, SS. Theol. D. & Professoris primarii mense Majo disputandam proposueram. Quum verò conjicere facile possem, non esse tantum otii illi viro à gravioribus negotiis, per quas ipsi liceret respondere singulis, qui indies novas contra ipsum chartas cudunt, consului eum, quid fieri vellet. Ille verò, quo fuit semper in me singulari affectu, facilè assensus est, ut exercitationis illius, quam ipso præsertim præside habuissem, defensionem in me susciperem. Feci etsi parum instructus ab iis, quæ ad hanc rem necessaria sunt; parvi tamen, fretus non ingenio aliquo, aut in hoc studiorum genere peritiâ, sed causæ, quam tuendam suscepi, æquitate. Scripsi autem modestè, ut decet juvenem, nisi, sicuti calumnias, & cavillis, quas interdum inspergit Mülmannus, retundere opus fuit, etsi is possit videri modestior, & à dicacitate, quæ nonnullis familiaris est, alienior. Interdum tamen temperare sibi non potuit, quin proderet odium in B. Lutherum, & Ecclesiam in quâ natus & educatus fuit.

II. Ejus insigne specimen præbet initio statim suarum Thesium, quum ait, Luterum à diabolo edoctum & persuasum, esse, quod recepta in Romanâ Ecclesiâ missas solitarias celebrandi consuetudo ab institutione Christi aliena sit. Quid enim poterat dici asperius? Quid magis à veritate alienum? Quæ fere calumnia sæpius confutata est, & protrita? Nihil eâ tamen apud Pontificios scriptores, & inprimis Jesuitas frequentius. Quis fere, ubi occasio est, hujus fabulæ non meminit? Illis autem, qui simile cum Andrea Eudæmon Johanne, Gretsero & aliis hominibus eruditis quidem, sed extremè maledicis ingenium nacti sunt, nihil magis in ore est. Nicolaus Serarius integro & peculiari scripto eam perstrinxit. Tanti scilicet erat, tam atrocem & frivolam incrustare calumniam. Nihil fere his æquior est & modestior Mulmannus. Et qui possit: Verissimè enim Chrysostomus: *Qui sibi ipsis nihil boni conscii sunt velut solatii cujusdam vice aliorum opinionem violare nituntur.* Hoc sunt ingenio, quibus famæ & existimationi eorum quos Homil. 8. in 2. Tim. c. 3.

Lib. 2. de Interpell. Jobi & David. c. 3.

quos oderunt, detrahere volupe est; *Quum nihil inveniunt, quod verum est, falsa pro veris componunt*, ut indicat D. Ambrosius. Nos verò quid agemus? Numquid silebimus? id multa suadent. An verò audiemus monentem D. Basilium: *Ad calumnias conticescere non oportet, non ut contradicendo nos ipsos defendamus, sed ne mendacio progressum permittamus, circumventosq; damno affici patiamur.* Hoc satius videtur. Ita igitur se res habet.

Orat. de livore & odio.

III. Vacaverat Lutherus per complures años missarum Solitariarum celebrationi ante quàm ad emendanda Ecclesiæ Romanæ vitia animum adjiceret, cùm Erphordiæ & Wittembergæ, tùm verò etiam aliquandiu Romæ. Accidit autem aliquando, ut conscientia hujus facti gravissimè angeretur, quum sibi visus esset exaggeratis etiam in majus delictis, graviter accusari à dæmone, quòd toties missam aliter, atque Servator instituerat, celebrasset, & tot mortales, adorato, & proposito ad adorandum nudo pane in idololatriam impulisset. Hæc summa gravissimæ tentationis, cujus totam seriem exponit Lutherus libro de missa angulari & unctione sacerdotum. Hîc verò rogatos velim omnes, quos partium studium & immania odia nondum penitus trans versum egêre, ut sepositis tantisper odiis secum expendant, quâ demum consequentiâ hinc elici possit, *edoctum & persuasum à diabolo Lutherum, missas privatas esse horrendam idololatriam.* Ita tamen docet Mülmannus. Et sanè quis dubitaverit, quum tam confidenter asserat, id disertè ipsummet Lutherum fateri. Injurius verò es Mülmanne in B. Lutherum, injurius in Protestantes omnes, quos ejus criminis simul reos agis, quo fingi majus non potest. Quid enim, an putas ullos homines, quantumvis perfrictæ frontis & perditi ingenii ejus hominis autoritate duci potuisse, quem ipso præcone & teste constitisset à dæmone hausisse, quam proponebat, doctrinam? Quod si verò hoc tam disertè Lutherus ipsemet fatetur, ut ais, fuerint ibi tales, tum quibus olim acceptus fuit, tum etiam, quibus hodienum adhuc grata est ejus viri memoria, quo, quid dici possit asperius, non video. Nullus autem hactenus inter nostros inventus est, qui unquam ex dæmone consilium exquisierit, ut à quodam magni nominis Theologo ex vestro ordine factum constat, quem non puduit à maligno spiritu corpus humanum insidente quærere, quis evidentissimus locus esset ad probandum purgatorium, & invocationem sanctorum. Non fuit vel Lutherus, vel quisquam alius ex nostris unquam ita *incogitans*, aut *curiosus*, aut *desperatione animi oppressus*, ut eò temeritatis proveheretur. In medio sunt divinæ legis volumina sunt antiquorum conciliorum decreta sunt veterum Patrum scripta. Huc confugimus, his nitimur.

Th. 2.

Thuanus lib. 132.

Vide Mogunt. Animadv. in Antib. cont. 8. q. 2. f. 1.

IV. Quod

IV. Quod verò B. Lutherum antiquus ille humani generis hostis recordatione prioris vitæ, quam in Romanâ Ecclesiâ egerat, interdum torsit & afflixit, quid in eo mali est? Nihil in eo singulare est, commune illi hoc est, cum omnibus piis, qui aliquando minus rectè suam instituerunt vitam. Non patitur ille antiquus hostis pios recto tramite incedere, Quos in casses per illecebras pellicere nequit, hos vi rapere conatur, his instat terribilis, exprobrat delicta, exaggerat, q̄ sint adversa legi & præceptis divinis ostendit Hoccine verò doceri est à diabolo, hoccine psuaderi est? Nulla hic docendi, nulla persuadendi ratio apparet. Cur igitur his portentis toti orbi imponitis? cur innocentem hominem tam malignè traducitis, & antiquam calumniam toties protritam iterum ac sæpius reponitis? Vix dici potest, in quas iras vestri Doctores exardescant, quos clamores tollant, quid denique non minentur, si quis fortè nostrûm Pontificem quendam necromanticum, aut verò flagitiosæ & desperatæ vitæ hominem ex scriptoribus Pontificiis, qui ante Lutherum vixerunt, producat, & nos non graviter feramus, dici id in B. Lutherum & omnes eos, qui Protestantium nomine censentur, quo nihil poterat dici aut cogitari atrocius.

V. Fateor tamē quum primùm præeunte B. Luthero missas solitarias celebrandi consuetudo, quæ hacten⁹ obtinuerat, abrogari cœpisset, restitutâ in compluribus Ecclesiis illâ Eucharistiam administrandi ratione, quam & Servator instituerat, & antiqua Ecclesia per complura secula observarat, sæpius eum illâ de re fuisse sollicitum. Etsi enim facilè agnoscebat illam missas celebrandi rationem, nec divinæ institutioni, nec perpetuæ Apostolicæ & antiquæ Ecclesiæ praxi conformem esse, ex quâ præsertim tot aliæ corruptelæ in Ecclesiam redundarant, non poterat tamen non turbare eum autoritas totius occidentalis Ecclesiæ, tam inveteratus usus, tot sacella, tot altaria, & ingens denique illa sacrificulorum turba, quæ ex stipendiis ab hominibus minimè malis pio ut plurimum Zelo in eum usum collatis vivebat. *Quis contra catholicam Ecclesiæ consuetudinem*, inquit Eckius in Enchiridio octavùm recognito, *audeat improbare privatas missas in tot regnis & provinciis, in tot Ecclesiis cathedralibus, Metropolitanis ac Patriarchalibus, in omnium ordinum monasteriis*? His se cogitationib⁹ sæpius conturbatū passim queritur Lutherus. Perrexit tamen in instituto. Causa ipsi gravis erat, quæ nobis hodieq; est, permanendi in receptâ semel sententiâ, divinæ legis autoritas, cui accedit catholicæ Ecclesiæ traditio. His meritò cedere debet autoritas hodiernæ particularis Ecclesiæ, qualis utique est Latina, quam in errorem labi posse, nec ideo, *si ipsa tota erret, Ecclesiam universalem errare*, jam olim tradidit ille ma- cap. 37

Ad prolegum. 2. in Matth. q. 3. gni nominis & vasti ingenii Abulensis Episcopus Alfonsus Tostatus. Huc igitur res redit, ut ostendatur missas solitarias alienas esse à divinæ legis autoritate, alienas à catholicæ Ecclesiæ traditione. Quod si constiterit, in aperto est, quid potius sequendum sit. Hoc enim *duplici modo munire fidem suam domino adjuvante debere, qui in fide sanâ sanus & integer permanere volet*, jam

Commonit. cap. 1. olim monuit Vincentius Lirinensis. Quod si igitur nos idem vobis cum hâc in re & sentire, & loqui vultis, docendi sumus, quos devios esse clamatis, eo modo, quem monstravit Vincentius, nec ita tamen contortis argumentis, & tenuibus conjecturis, sed planis & perspicuis ex divinis literis & antiquorum scriptis adductis testimoniis. Sin hoc vobis integrum non est, nec ea vobis media in promtu sunt, non indignè feretis, si in eâ maneamus sentẽtiâ, q̃ divinæ & Ecclesiasticæ traditioni conformem esse novimus.

VI. Dicet forsitan Mülmannus, id abundè præstitum eâ disputatione, quam de missis privatis proximo septembri habuerit, quâ ea omnia, quæ contra missas solitarias afferri possunt argumenta, planè confutarit. Sed forsitan dicet tantùm. Nec enim quicquam eâ disputatione allatum est,

Th. 4. quo nostra sententia erroris convinci possit. Ait quidem, se *omissis iis, quæ prorsus ἀπροσδιόνυσα sunt, singula argumenta, quam brevissimè poterit, ad incudem revocaturum*, sed quàm dextrè id præstiterit, æqui judicis arbitrium esto. Ἀπροσδιόνυσον verò nihil allatum esse memini. Etsi enim nonnulla argumenta non sunt ita plana & certa, ut singula rem totam conficiant, probant tamen plurimum simul collecta. Ea autem quæ initiò traduntur, ἀπροσδιόνυσα non sunt, etsi Mülmanno fortè ejus modi videntur. Duo enim inprimis initio pertractantur. Nam & varia missæ privatæ, publicæ, & peculiaris acceptio expenditur, & missarum solitariarum dein origo paulo altius investigatur. Nihil autem hîc extra mètas, nihil præter institutum. Non prius: Nam omnibus illis, qui aliquâ de re disputare instituunt, hoc ex ipsâ rectè disserendi formâ præcipitur, ut vocum æquivocationes, si quæ sunt, vel indicent, vel removeant, & reapse licet animadvertere hanc vocis homo-

Enchirid. cap. 37. nymiam ita nonnullis, ut Eckio, aliisq; imposuisse ut, quoties missæ privatæ apud quemquam mentionem fieri legerent, de missis solitariis eum locutum existimarent, cùm tamen missa privata aut peculiaris apud mediæ ætatis scriptores nihil minus sit, quàm solitaria. Nec alterum quoque: Nam omnium confessione constat, aut controversias, quæ nos à Romanâ Ecclesiâ dividunt, rectè cognoscendas magnum habere momentum, si singulæ à primis initiis arcessantur, quum Pontificum singula, uti nunc in usu sunt, ab initio sic obtinuisse, nos verò pleraque post plurium seculorum decursum invalescente superstitione, oppressis bonis literis, & aucto Pontificum Romano-

rum

rum dominatu in Ecclesiam invecta esse asseramus. Nihil igitur hîc *ἀπροσδιόνυσον*, nihil præter institutum.

VII. Accedit dein Mülmannus ad palmarium, ut ait, nostrum argumentum, quod ab institutione, exemplo & præcepto Christi petitur. *Mirum est*, inquit, *quam in hoc argumento triumphent & sibi applaudant.* Etsi verò nusquam hoc disertis verbis profitemur, non tamen omnino falsum dicit Mülmannus. Gloriamur enim in exemplo Christi, triumphamus in ejus institutione. Mülmannus verò, quum gloriari in eâ non possit, non tamen nobis debebat hoc invidere. Satius utique est gloriari in exemplo & præcepto Servatoris nostri, quàm in decreto quopiam Concilii Tridentini, quod faciunt adversarii. Et verò, quare in præcepto & exemplo Christi non gloriemur? Planum enim est, quod, quum hoc sanctissimum sacramentum institueret, corpus suum & sanguinem Apostolis distribuerit, planum quoq;, quod per verba imperantia, *hoc facite*, distribui jusserit. In eandem sententiam loquuntur citati Thomas, Clichtovæus, & Jacobus Faber, qui etsi missas solitarias alibi non improbant, dum tamen ita loquuntur, pro nobis faciunt. De postremis duobus silet Mülmannus, Thomam verò ita vindicat, ut dicat, *Calixtum solum tam fuisse oculatum, qui viderit, quod hactenus nemo videre potuerit.* Verba verò Aquinatis ita habent:

Th. 5.

Th. 27.

Th. 8.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit
Ut sumant, & dent cæteris.

Quod si perinde mihi atque Mülmanno volupe esset cavillari, possem regerere, eum forte ex oculis laborasse, quum hæc scriberet, ut non viderit, citari in ipsâ exercitatione virum insignem, qui idem prorsus nobiscum sentit, & eodem modo verba Thomæ accipit.

VIII. At qui is est Claudius Espensæus, *Theologus clarissimus & vir summus* Genebrardo, *cujus divina opera immortalitati consecrare diligentissimè studeat.* Inter hæc divina opera quæ immortalitati consecravit Genebrardus, est ejus dissertatio de missa publicâ & privata, ex commentariis ipsius in Philemonem excerpta, in quâ, etsi hanc missas solitarias celebrandi consuetudinem non omninò rejicit, (neq; n. id impunè tulisset,) de totâ tamen hâc controversiâ multo rectius sentit, q̃ vel Mülmañus, vel quisquam alius. Verba autem ejus etsi pluscula, & jam in ipsâ exercitatione allata, integra nihilominus iterum adscribo. Ita verò inquit. *Verum ab initio & multò post non fuit sic*, (quod sc. missa absq; comunione alterius unq̃ fuerit celebrata,) *nam & cœna dominica, cujus missa memorialis est, plurium indubiè fuit, & utriusque eadem verba sunt*,

Præfat. in lib. de ador. Euch.

fol. 215.

nu-

numeri quoque pluralis, Accipite, sumite, edite, bibite, hoc facite, &c. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. *ubi Paulus juxta quod à Domino acceperat, Ecclesiæ tradens, convenientibus, ait, vobis in unum in Ecclesiam, & itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum. Ex quâ Christi institutione sic habet hymnus tantò licet posterior, i.e. ab Aquinate compositus, quasi, quod prior fecit dominus, posteris, uti facerent, edixerit.* Hæc ille. Vides igitur Mülmanne, Espensæum quoque existimasse, eum esse verborum Thomæ, si ea, ut jacent & sonant, accipiantur, sensum, quòd sacrificium missæ ita sit institutum, ut, quando peragitur, sumant presbyteri & dent cæteris, nec ea à nobis *in sensum alienum violenter detorqueri*. Quod verò eo sensu hymnus Aquinatis cum Bellarmino non conveniat, non opus est homine admodum oculato, qui id perspiciat, vel lupus id videre possit.

IX. Sed de Thomâ satis. Videamus jam, quid Mülmannus ad Christi distribuentis exemplum, & præceptum distribui jubentis respon-
Th. 5. deat. *Responsio facilis est*, inquit, *ex iis quæ tradunt SS. Cyprianus & Augustinus,*
Ep. 63. *dicentes, non præcepisse nobis Christum in conficiendo hoc mysterio observare omnes cir-*
Ep. 118. *cumstantias, quas ipse tunc pro temporis & occasionis opportunitate observavit, sed ea tantùm quæ ad ritum substantialem pertinent.* Agnosco, si non verba, mentem tamen Augustini, nisi, quod in iis, quæ ad ritum substantialem pertinent, determinandis immane quantum Mülmannus ab Augustino discrepat. Verba
Ep. 118. Augustini hæc sunt. *Non* inquit, *præcepit Christus, quo deinceps ordine sumeretur hoc sacramentum, ut Apostolis per quos dispositurus erat Ecclesias, hunc locum reservaret.* Sed quæso, Mülmanne, cur vestri Doctores, si quando de communione sub unâ & missis solitariis sermo ipsis est, semper ad circumstantias, quales esse, quas enumeras, in confesso est, provocant? Agnoscitis enim, si non omnes, plerique tamen, præceptum in institutione de dispensandâ inter fideles Eucharistiâ esse datum, præceptum verò de circumstantiâ aliquâ observandâ nullum datum esse, omnes, nisi valde fallor, dicitis, agnoscitis quoque veram esse hanc propositionem, Christus instituit, ut distribuatur Eucharistia. Num autem eædem vobis sunt hæ propositiones, Christus instituit vesperi, coram XII. Apostolis, & post lotionem pedum Eucharistiam, & Christus instituit, ut vesperi, coram XII, & post lotionem pedum celebretur Eucharistia. Non arbitror id quenquam dicturum. Quid igitur vos demum juvat Cypriani autoritas, quid illa Augustini verba, quæ vestri Doctores in ore semper habent? Cur non administratis eo ordine hoc sacramentum, quo administrarunt Apostoli, & Ecclesia tempore Cypriani & Augustini? Cur vos discipuli non facitis, *quod prior magister docuit & fecit*, quod toties in-

culcat

culcat hâc Epiſtolâ Cyprianus, imitando non circumſtantias actionum Chriſti, quales ſunt celebrare noctu, poſt lotionem pedum, nullis præſentibus fœminis, ſed actiones ipſas, verbis dedit diſcipulis, accipite, edite, bibite, expreſſas. Nemo, inquam, noſtrum exigit, ut circumſtantias obſervetis, de quibus loquuntur Cyprianus & Auguſtinus, ſed id tantùm poſtulamus, ut, *ſi ſacerdotes* veſtri *vice Chriſti verè fungi & ſacrificium verum & plenum in Eccleſiâ Deo Patri offerre volent*, vel ipſi id, *quod Chriſtus fecit, imitentur, & ſic offerant, ſecundum quod ipſum Chriſtum vident obtuliſſe*, aut ſi hoc ipſis integrum non eſt, nos ſaltem, qui *à præceptis Evangelicis omninò non recedendum eſſe* novimus, non traducant. Veteres in recente adhuc Eccleſiâ Chriſtiani, ita fuêre retinentes exempli Chriſti, ut circumſtantias etiam nonnullas imitati initiò fuerint, ut ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis diſcimus. Mutavit hoc dein Eccleſia, idque rectè factum aſſerunt Cyprianus & Auguſtinus. His verò nos minimè refragamur. Poteſtatem enim Eccleſiæ in mutandis & abrogandis circumſtantiis perſonarum, loci, temporis, vel quibuscunque aliis, quæ acciderunt, quum Servator ſanctiſſimum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum inſtitueret, libenter agnoſcimus. Sed quod hinc conſequatur, licere miſſ is ἀκοινωνήτους introducere, aut interdicere, ne calix populo amplius miniſtretur, nobis perſuaderi non patimur.

X. Dicet forſitan Mülmannus, quod Chriſtus panem & vinum benedictum Apoſtolis diſtribuit, & hodienum adhuc nonnunquam præter ſacerdotem etiam alii de ſacrificio participant, nihil aliud, quàm circumſtantiam aliquam eſſe. Et verò huc tandem redeundum eſt ijs, qui cum Gregorio de Valentia, noſtros diſpenſationem urgentes ita affantur. *Aut omnia iſta*, (ut noctu, poſt cœnam, & lotionem pedum hoc ſacramentum adminiſtretur,) *ſimiliter faciant, aut ſi ea ſe facere non debere intelligunt, quoniam ad circumſtantias pertinent, quæ non ſunt effecta illis actionibus, quas verba præcedentia propriè ſignificant, ad quæ eſt verbum, hoc facite, referendum, intelligant etiam eâdem ratione neq; nos, ut ex Chriſti inſtituto miſſam celebremus, plures, qui communicent, convocare debere, quoniam ne hoc quidem verbis illis, deditq; diſcipulis ſuis propriè ſignificatur eſſe factum.* Si enim circumſtantia quæpiam eſt, quòd præter ſacerdotem conſecrantem alius aliquis participat corpus & ſanguinem Domini, circumſtantia etiam fuerit, quòd præter Chriſtum, quem ſemet ipſum communicaſſe communis eſt in Eccleſiâ Romanâ ſententiâ, diſcipuli corpori & ſanguini dominico communicarunt, & ſicut hodiè perfecta & legitima cenſetur miſſa, in quâ ſolus ſacerdos communicat, circumſtantia autem, ſi qui alii præter eum communicarint, circumſtantiam quoque fuiſſe neceſſe eſt,

Tom. 4. Diſp. 6. q. 11. p. 1. q. 2. § 4 & lib. de ſacrif. miſſæ cont. Hebr.

quod Servator discipulos ultimæ suæ cœnæ adhibuerit. Sed vix mihi persuaderi pátior, hanc esse Mülmanni sententiam, etsi id Thesi quintâ apertè innuit. Sunt enim multa & gravia hujus sententiæ incommoda.

August. Ep. 118.

XI. Fuerit enim tum eadem ratio hujus circumstantiæ, quæ est cæterarum omnium, quas deinceps amplius observari necesse non erat. Quis verò dixerit, potuisse Ecclesiam, uti sanxit, *ne pransi aut cœnati fratres ad hoc sacramentum convenirent, sed ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius intraret corpus Domini, quàm cæteri* cibi, pariter quoque constituere, ne unquam corpus & sanguis domini cuiquam præberetur, quum circumstantia solùm fuerit, quòd Christus discipulis panem & vinum benedictum dedit, *nec Servator, verbis illis, Dedit discipulis, effecerit, ut discipuli illic præsentes adessent*, ut philosophatur Gregorius de Valentia. Quis præceptum ullum divinum ex Institutione laicos & clericos non consecrantes ad sumendam Eucharistiam obligans elicere poterit? Nec enim præceptum illud divinum, *Hoc facite* ad circumstantias ullas se extendit. Tale verò divinum præceptum agnoscunt hodie pleriq; ex Doctoribus Pontificiis, & ipsi Patres Tridentini, ut Vasquetz autor est. Denique ea est reliquatum circumstantiarum omnium ratio, ut, si fortè Evangelistæ eas prætermisissent, in narrationibus suis, integra nihilominus & perfecta fuisset hujus sacramenti descriptio. Non licet verò idem de his verbis, *Dedit discipulis, accipite, edite, bibite*, asserere. Si enim Christus non prior distribuisset, forsitan non fuisset licitum distribuere. Quod enim ex capite sexto D. Johannis ducitur argumentum, non satis firmum est. Nunc verò, quia Christus prior distribuit, & ita faciendum sanxit, nemini licitum esse debet distribuere, quandocunque ille volet. Hæc & alia plura consectaria non admittunt, ut in circumstantiarum numero dispensatio hujus sacramenti haberi possit.

Disp. 6. q. 11. p. 1. q. 2. & Disp. 6. q. 8. p. 5. §. 2.

Tom. 3. Disp. 213. cap. 2.

Th. 6.

XII. Nec verò etiam rem expedit, quòd paullo post ait Mülmannus, præceptam quidem esse dispensationem, sed *ut in præceptis similibus affirmativis fieri consuevit, non aliter præceptam, quàm ratio temporis, loci & personarum exigat, h. e. si coram adsint, qui illud petant, & mensæ dominicæ participes fieri cupiant. Nisi forte quis dicere velit, Christi voluntatem fuisse, ut invitis etiam & nauseabundis sacer iste cibus obtrudatur.* Non opus est hic iterum repeti, quæ in ipsâ exercitatione contra Gregorium de Valentia ex præceptorum affirmantium naturâ itidem argumentantem disputata sunt. Ea verò, quæ Mülmannus affert, contra nos non militant. Neque enim ulli invito apud nos sacer cibus obtruditur, sed pœnitentibus, confessis & rogantibus præbetur, nec semper dispensatio instituitur, sed interdum, quum adsunt, qui parti-

participes fieri cupiunt, si verò nulli adsint, qui benedictum panem & vinum comedant & bibant, à celebratione quoque Eucharistiæ abstinetur. Novimus enim & dispensationem & consecrationem, adeoque ea omnia, quæ Servator noster in celebratione hujus sacramenti fieri vult, præcepto affirmativo esse mandata, atque ideo facienda quidem, sed pro loco & tempore. Uti igitur præceptum dispensandi non obligat, nisi sint, qui accipiant & manducent, ita quoque non obligat præceptum consecrandi, nisi sint, quibus consecrata dentur, sive uni, sive pluribus, ut satisfiat præcepto Christi, per verba, *Dedit discipulis*, expresso, ad quam Christi dantis actionem non minus præceptum, *hoc facite*, refertur, quàm ad actiones cœteras. Substantia autem hujus actionis est, quòd Christus dedit, circumstantia, quòd dedit Apostolis & dedit pluribus. Quoties igitur Eucharistia administratur, dari & distribui debet. Quod si non sit objectum, sine quo hæc actio præstari impossibilis est, totam actionem non vult præstari Servator. Non quidem diffitemur actionem benedicendi & consecrandi, præsente objecto pane & vino, circa quod occupatur, præstari posse, etiamsi nemo sit, qui particeps fieri cupiat, sed negamus id ritè fieri, aut tum præceptum quoq; ipsum consecrandi obligare, quia propter dispensationem datum est, ut taceam, actiones omnes ita esse combinatas, ut eas non liceat discerpere seu divellere. Vel si hoc absque injuriâ fieri potest, cur non licet vel in extremâ necessitate vel panem solum, vel vinum solum consecrare, quum tamen separatæ actiones sint, & una sine alterâ peragi possit, & casus intercidere queant, ut vel abstinendum penitus sit à celebratione Eucharistiæ, vel panis solus, aut vinum solum consecrandum? Cur non & hoc casu licet niti præsidio præceptorum affirmativorum, quæ, quum obligent pro loco & tempore, hîc quoque locum habere poterant? Uti autem actiones Christi benedicentis panem & vinum combinatæ sunt, ita quoq; cum iis jungitur actio Christi dantis panem & vinum, utraq; per præceptum, *Hoc facite*, sancitur servanda.

XIII. Sed negat Mülmannus, Christum æqualiter omnes actiones sanxisse servandas. *Licet enim Christus dixit, Hoc facite, non tamen dixit, hæc omnia simul facite*, inquit Franciscus Suaretz. Nos verò dicimus, quum constet, verba, *Hoc facite*, ac actiones, ante id præceptum commemoratas, sive ut Cajetanus loquitur, ad *universitatem præmissorum* referri, nullam esse rationem, cur minus ad unam, quàm alteram actionem præceptum istud referatur, atque ita quare minus una, q̃ altera sit servanda. Sunt n. omnes combinatæ, & religioni ducim' discerpere, q̃ cõjuncta esse voluit Servator, & multis post seculi' Ecclesia antiqua. Dicis Mülmañe, *actiones, quas semper imitari oporteat quoties*

In 3. Tom. 3. Disp. 69. Sect. 3.
Opusc. tom. 3. tract. 10. c. 3.

 pera-

peragitur sacrificium, esse eas tantùm, quæ ad substantiam & integritatem sacrificii pertinent, ad hanc porro duas summùm actiones requiri & sufficere, consecrationem sc. panis & vini benedicti per verba Christi. à sacerdote prolata, & ejusdem sacerdotis sumtionem. Nihil nunc de eo dicam, quod supponis, tanquam certum, esse in missâ verum & propriè dictum sacrificium, quod nos non agnoscimus. Unde verò probas has duas actiones tantùm ad substantiam & integritatem sacrificii pertinere? Ex institutione enim divinâ, à quâ nobis recedendum non erat, non apparet, utra actio magis aut minus sit de substantiâ sacrificii, sed idem, qui jussit consecrare, jussit quoque consecrata distribuere, & in eâdem ultimâ cœnâ, in quâ vos *Christum consecrando panem & vinum sacrificium æterno Patri obtulisse* dicitis, ipsemet distribuit, & Apostolis, ut pari ratione offerrent, præcepit, non determinando, quas actiones semper, quas interdum imitari oporteat, sed jubendo generaliter, uti ita agerent, sicut ipsum videbant egisse.

XIV. Quanto verò satius erat simplici fide sequi Servatoris nostri vestigia, & hoc sive sacramentum sive sacrificium, ita celebrare, uti illud Christum administrasse constat, sive simpliciter, actiones Christi, ad quas præceptum, *Hoc facite*, refertur, semper imitari, quàm scrutando, quæ actio sit de essentia, quæ de integritate, quæ semper observanda, quæve intermitti nonnunquam possit, errandi periculo se exponere. Qui priorem enim insistunt viam metuere non audent, ne errent, vel, si forte errant, paratam tamen habent excusationem, quòd existimaverint inhærendum sibi esse vestigiis Christi, nec aliter agendum, quàm ille egerit, præceperit & docuerit. Qui verò aliter agunt, ingenti se exponunt periculo, nec perinde in promtu habent, quo se tueantur, inprimis quum antiqua quoque Ecclesia nihil hâc in re determinarit, sed exemplo suo, Christi institutionem presso pede secuta, docuerit, ita esse agendum, uti prior magister egit. Nos igitur hæc non ita curiosè rimamur, sunt enim hujus generis intricatissimæ & difficillimæ quæstiones, quod vel sola opinionum diversitas inter Romanæ Ecclesiæ doctores de essentiâ sacrificii missæ, in quibus ea consistat actionibus, disputantes arguit, quum vix duo tresve ex tanto scriptorum numero inter se consentiant, atque ita paucos veritatem assequi, plerosque verò errare necesse sit, sed ea, quæ Christus, quum hoc mysterium institueret, fieri voluit, observamus. Quum igitur corpus quoque suum & sanguinem distribui fidelibus Christus jusserit, ut omnes fatentur, & hâc fini totam hanc sacram actionem instituerit, idem quoque nobis semper observandum esse statuimus.

XV. Quod si olim Judæi, perinde atq; nunc Pontificii, ita ratiocinari voluissent, hic ritus, sive hæc actio est de essentiâ sacrificii, illa pars integralis, ista neq; de essentiâ, neque de integritate, atque ideo intermitti quandoque potest, non opus fuisset tam exactâ & rigidâ observatione eorum, quæ Moses à DEO doctus ad sacrificia ritè obeunda fieri præscripserat. Quot enim inter illa, quæ ad substantiam & integritatem sacrificiorum referri nequeunt, si ea exigere ad regulas, quibus Romanæ Ecclesiæ Doctores utuntur, instituas. Nec tamen quidquam horum mutare aut intermittere fas erat. Exemplo est ille conspicuus maximè ritus, quem sæpius inculcat Moses, ut, si quæ anima hostiam pro peccato, aut hostiam pacificam offerat, *eam adducat, in conspectum domini; & ponat manum super caput sacrificii sui.* Hic, inquam, ritus neque de substantiâ, neque de integritate sacrificii est, quia tota actio sacrificandi, quæ ad rationem sacrificii pertinet, debet immediatè fieri à sacerdote, uti docent Fr. Suarez & Becanus. Nec tamen hunc ritum intermitti fas erat. Non minoris igitur apud nos debent esse autoritatis verba Servatoris, *Hoc facite*, quàm fuêre apud Judæos verba Domini, *Hæc est lex hostiæ pro peccato*, *Hæc est lex hostiæ pacificæ.* Quid enim aliud est divina hujus mysterii institutio, quàm lex perpetua, quæ nos in eodem mysterio administrando dirigat, sive *constitutio*, ut vocat Clemens, *quam memores eorum, quæ Christus causâ nostrâ sustinuit, implemus, & Deo omnipotenti gratias agimus, non quas debemus, sed quas possumus.* Const. Apost. l. 8. c. 12.

XVI. Atqui ais Mülmanne, *cur ne in suis quidem Ecclesiis qui Evangelicos se jactitant, factum, exemplum & institutionem Christi imitantur? Cur panem non frangunt, sicut Christum fecisse Evangelistæ memorant?* Th. 12. Nos autem non frangimus panem, Mülmanne, quia in usum Eucharistiæ unà vobiscum pane, quem frangi necesse sit, non utimur. Quòd verò Christus panem fregit, & eum deinceps morem diu Ecclesia antiqua retinuit, ideo factum, quia Christus communi pane usus est, quem ubique frangi oportebat, ut distribui posset. Hic usus communis panis mansit deinceps quoque diu in Ecclesiâ, quamdiu duravit oblatio panis & vini in usum Eucharistiæ. Nec alius panis *collura consecrata* apud Damasum in vitâ Zephyrini, aut *sacra oblationum corona* apud Gregorium, & ἄρτος στρογγυλοειδής apud Epiphanium, etsi aliter visum est Claudio Albaspinæo. Hunc panem fractum fuisse mirum non est, quia distribui oportebat, etsi nolim negare, vel in hoc ipso noluisse antiquam Ecclesiam ab exemplo Christi recedere, & fortassis parum intererat, si ille fractionis ritus fuisset retentus. Quare autem non sit ita omninò necessarius, ut intermitti nullatenus possit, non aliam nunc rationem afferam, l. 4. Dial. c. 55. Lib. 1. Obs. 5.

In 3. Tom. 3. Disp. 75. Sect. 2. & 3. De sacram. c. 25. q. 6. tam, quam eam, quâ utuntur Fr. Suaretz, Bellarminus, Becanus, & alii, ut probent fractionem non esse de essentiâ sacrificii. Ajunt autem, fractionem Christi non fuisse mysticam, sed usualem, quamvis enim fregerit panem, non tamen fregisse ad certum mysterium significandum, sed ad distribuendum. Quoniam igitur fractio Christi ordinata tantùm erat ad distributionem, nulla apparet ratio, quare simpliciter censeri debeat necessarium, ut in ipsâ sacrâ actione panis frangatur, sed satis esse videtur, si panis ita sit paratus, ut dari possit. In cap. 26. Matth. & 24. Lucæ. Act. 2. 42. Unde Maldonatus hanc totam actionem, fractionem panis, phrasi hebræâ à Lucâ appellatam ait, *non quòd revera frangatur, sed quòd detur.* Perinde igitur est, utrum panis in ipsâ sacrâ actione proximè ad distributionem ordinetur, sive ante eam. Quod si autem mystica quoque simul est fractio, ut contendunt, qui pro fractione ceu necessariâ pugnant, alia tum forte fuerit ratio. Th. 12. Sed ait Mülmannus, *hanc actionem versari circa materiam, eas autem actiones, quæ circa materiam versantur, non minùs à nobis dici necessarias, quàm materiam ipsam.* Sed sermo nobis fuit de actionibus primariis, non minùs principalibus, quæ ordinantur ad aliam aliquam actionẽ, & ideo tantùm adhibentur, quia faciunt ad actionem illam primariò intentam. Par autem propemodum ratio est fractionis, quæ est sumtionis in manus, quam actionem denotant verba, *Accipite.* In cap. Matt. cap. 131. Conc. Certum enim est Apostolis panem & calicem in manus traditum, ut docent Maldonatus, Jansenius, Alphonsus Salmeron & alii, quem morem diu quoque retinuit Ecclesia antiqua. Versatur & illa actio circa materiam, nec tamen quod esset minùs principalis, & ordinata tantùm proximè ad manducationem ita est judicata necessaria, ut non pridem desierit esse in usu, postquam panis & vinum benedictum immediatè in os traditur & infunditur. Vides igitur Mülmanne, nos ab institutione Christi non recedere, cum panem in nostris Ecclesiis non frangimus. Vos, si potueritis ostendere, eandem esse dispensationis, quæ est fractionis rationem, non gravatim in vestram ibimus sententiam.

XVII. Non solùm autem dispar longè ratio est dispensationis & fractionis, sed etiam sumtionis sacerdotis, quam Mülmannus cum plerisque de integritate sacrificii missæ esse statuit. Ut enim sacerdotes distribuant Eucharistiam, verbis planis & apertis mandavit Servator, uti omnes fermè tradunt. Ut verò itidem, quoties sacrificium offerunt, communicent corpori & sanguini dominico, non exstare præceptum ullum divinum, sunt qui asserant. Nec enim aliud fundamentum hujus sumtionis est, quàm exemplum Christi, quod solum quoque affert Franciscus Suaretz, sed tacet de eo historia Evangelica, & obstat Becanus, inquiens, *Quia Christus in Evan-* De sacram. c. 25. q. 6.

gelio

gelio non legitur sumsisse Eucharistiam, Ergo ex Evangelio non constat sumtionem pertinere ad essentiam sacrificii. Etsi enim *probabilior est eorum sententia*, inquit Suaretz, *qui ajunt Christum se ipsum communicasse, tacent tamen Evangelistæ*, inquit idem, *quos verisimile est narrantes historiam & institutionem tanti mysterij non prætermisisse essentialem ritum hujus sacrificij, referunt autem expressè Christum tantùm consecrâsse Eucharistiam, non autem ita referunt sumsisse illam.* Eodem autem hoc argumento probatur quoque non pertinere ad integritatem sumtionem presbyteri consecrantis. Ut enim de integritate sit, necesse est, ut sit sancita præcepto divino, quale nullum exstat, quum de sumtione Christi, teste etiam Suaretzio & Becano historia omnis Evangelica nihil quicquam memoret. Quinam igitur rectius sentiant, nosne, qui dispensationem, quam divino jussu servari præceptam omnes pæne consentiunt, observatu necessariam esse dicimus, an verò Pontificii, qui solam sacerdotis sumtionem, quum tamen nullum de eâ exstet in divinis monumentis præceptum, de integritate aut essentiâ hujus sacrificii esse volunt, hinc apparet. Etsi enim illam consuetudinem, ut is, qui consecrat, semet ipsum communicet, quum à tot seculis in Ecclesiâ usitata sit, improbare omninò non possumus, iniquum tamen est, potiorem ejus, quàm dispensationis à Christo institutæ & præceptæ rationem haberi. Secundum Suaretzium autem & Becanum perfectum fuerit hoc eucharisticum sacrificium sine omni hostiæ manducatione, quod, quomodo cum institutione Christi, & antiquæ Ecclesiæ traditione conveniat, ipsi viderint. In. 3. Tom. 3. Disp. 75. s. 2. Sect. 5.

XIIX. Videtur tamen velle Mülmannus, verba, *Accipite & manducate*, referenda quoque esse ad sacerdotes consecrantes, quum communicant corpori & sanguini dominico. Sed fallitur in eo indubiè cum Gregorio de Valentia. Docet enim Valentia, & cum eo plerique alii sacerdotes, quam ipsi sumunt Eucharistiam, sequi eâ in re exemplum Christi. Uti igitur verba, *Accipite & manducate*, ad Christum semetipsum communicantem non possunt referri, ita quoq; eadem verba ne nunc quidem ad sacerdotem consecrantem, quum communicat pani & vino benedicto, referri possunt, quum verba illa ad discipulos dicta sint, à Christo diversos, cujus exemplo sacerdotes ipsi Eucharistiam, dum sacrificant, sumunt. Deinde sacerdos & consecrat & sumit in personâ Christi. Consecrationem fieri per verba operatoria à sacerdote, *quatenus ille peculiari ratione induit & repræsentat eâ in re Christi personam*, docet Thomas, & est ea communis Theologorum propemodû omnium apud Pontificios sententia, quanquam nonnulli tamen aliter sentiunt. Sumere verò etiam in personâ Christi presbyterum consecrantem Th. 13. Disp. 6. q. 9. p. 1.

expres-

l. 1. de missâ c. 27. expressis verbis dicit Bellarminus: *Neque obstat*, inquit, *quòd ista consumtio sc. sacerdotis non fieri in personâ Christi videatur, qui tamen est primarius sacerdos. Nam Christus quidem non seipse manducat, neq; immediatè consumit sacramentum, tamen ipse dici potest consumere, qui ad consumendum tradit.* Ita Bellarminus, quem & Philip. Aleg. in bibl. Script. S. J. Cardinalem, & tantæ autoritatis scriptorem, *ut intra limites ævi sui neminem habuerit se majorem aut parem*, in tantâ discrepantium opinionum varietate sequi libuit. III. Consummatio sacrificii, quæ fit per sumtionem sacerdotis ad essentiam sacrificii pertinet. l. 12. de locis Th. c. 13. Ita docent Dominicus à Soto, Ledesma, Melchior Canus, & moderni Thomistæ, ut Suarez autor est. In 3. Tom. 3. disp. 75. sect. 5. Bellarminus autem tanto conatu idem asserit, ut haud obscurè innuat, ne ipsum quidem sacrificium defendi posse, nisi sumtio sacerdotis statuatur pars essentialis l. 1. c. 27. esse hujus sacrificii. *Quod sit pars essentialis*, inquit, *inde probatur, quia in totâ actione missæ, ut mox ostendemus, nulla est alia realis destructio victimæ præter istam: requiri autem realem destructionem supra probatum est, cum definitionem constituerremus.* Non potest igitur aliter fieri, quin in personâ Christi sumat sacerdos, De Sacr. c. 25. q. 6. §. 10. quum communicat corpori & sanguini dominico. *Quicquid enim essentiale huic sacrificio est, illud à sacerdote in personâ Christi peragi oportet*, ut Becanus ait, L. 3. de tripl. sacrif. c. 8. & idem alibi, *Sacrificatio victimæ debet fieri vel à Christo, ut contigit in ultimâ cœnâ, vel ab aliis secundariis sacerdotibus in personâ Christi.* Denique Th. 6. & Concl. 2. Mülmannus ipse sumtionem sacerdotis *partem integralem sacrificij* esse ait, cui Disp. 6. q. 11. p. 1. q. 1. accedit Gregorius de Valentia, cùm substantiam hujus sacrificii, etsi *minus principaliter in sumtione quoq; sitam* existimat. Sed ne sic quidem verba Christi, *Accipite & manducate*, ad sacerdotes sacrificium consummantes referri possunt. Quia enim verba illa, non ad solos sacerdotes, sed ad omnes fideles communicantes corpori & sanguini dominico referuntur, ratio nulla reddi potest, quare solius sacerdotis, & non aliorum etiam fidelium communio pars integralis sacrificii censeatur. Id verò negant Pontificii Th. 6. & ipse quoque Mulmannus, quum ait, *Quod de eodem sacrificio etiam alij participant, ad rationem sacrificij nihil attinet.* Consequens igitur verba, *Accipite & manducate*, ad sacerdotes sacrificium consumantes referri non posse.

Th. 13. XIX. Quod verò Mulmannus ait, affingi Gregorio de Valentia quod ille nunquam dixerit, *de solis enim verbis consecrationis hoc est corpus meum illum loqui, quum dicit, assertivè & personaliter enuntiari, de alijs antecedentibus, inter quæ sunt illa quoq;, accipite & manducate, disertè ibidem fateri proferri solùm recitativè, historice & materialiter*, in eo non satis rectè judicat. Nuspiam enim asseritur, hoc dicere Gregorium de Valentia. Quod ille de solis verbis consecrationis tradidit, id tantùm affertur. Junguntur dein verba

Bel-

Bellarmini quibus tradit sacerdotem in personâ Christi sumere, atque ex iis dein infertur conclusio. Quanquam vel id solùm fortassis, quod Valentia ait, verba consecrationis enunciari à sacerdote in personâ Christi, satis est, ut ostendatur, verba, *Accipite & manducate*, ad sacerdotem sumentem, quod consecrarat, referri non posse, præsertim si verba illa, *deditq́, discipulis, dicens, accipite, comedite,* ideo necessario sunt præmittenda, *ut verba consecratoria in personâ Christi dicta intelligantur,* ut volunt Scotus & Johannes de Rada. Certum enim est, actiones, verbis, *Accipite & manducate*, imperatas, exercitas esse ab iis, qui diversi erant à consecrante. Quia igitur nunc idem est consecrans, sacerdos in personâ Christi, alios quoque esse oportet, qui accipiant & manducent. In 4. Dist. 8. Part. 4. Conc. 5. art. 4.

XX. Non igitur inanis est & cassa nostra illatio, sed inanis & cassa est, nisi valdè fallor, illa Mulmanni argumentatio, quam eâdem thesi his verbis proponit: *A contrario ego sic colligo, ad veritatem verborum illorum in missa non magis requiri, ut coram adsint, qui Eucharistiam è manu sacerdotis participent, quàm id necessarium sit, quoties eadem institutionis verba pro concione è cathedrâ recitantur ad populum, aut forte leguntur in bibliis.* Annon enim & illa, *Accepit IESVS panem, accepit calicem* proferuntur solùm recitativè, historicè & materialiter? Nonne autem ad veritatem horum verborum requiritur, ut adsint panis & calix cum vino. Atqui mihi proinde in hoc quoque negotio licet à contrario colligere, atque Mülmannus argumentatus est. Nulla igitur est hæc Mulmanni illatio, sed, uti ad veritatem verborum illorum, *& accepit IESVS panem & calicem* necessarium est, ut adsint panis & vinum, ita quoque ad veritatem verborum illorum, *deditque discipulis dicens, accipite, manducate,* necesse est, ut adsit aliquis, qui consecratum panem accipiat & sumat. Quid verò fiet de Gregorio de Valentia, qui contendit sacerdotes non præterire septimam & octavam actionem, quæ præcipitur Christi verbis, quibus discipulos affatus, dixit, *accipite & manducate,* quum consecratum panem accipiant & sumant. Siquidem ex Mulmanni illatione facili consequentiâ deducitur, ad veritatem illorum verborum ne quidem necessarium esse, ut Sacerdos consecrans sumat Eucharistiam, quæ tamen est Valentiani sententia. Nec enim æquè est necessarium, ut, quum verba institutionis pro concione è cathedrâ recitantur ad populum, aut fortè leguntur in bibliis, is qui recitat aut legit, particeps fiat Eucharistiæ. Manet igitur, quum solus sacerdos sumit quod consecrat, inania esse & cassa verba *Dedit discipulis, dicens, accipite & manducate,* & ad rem, quæ sic peragitur, non pertinere.

XXI. Ita patuit, nihil esse in institutione hujus sanctissimi sacramenti. quod pro Mulmanno faciat. Num igitur sacrificia veteris Testamenti huc quicquam faciunt. Ita sibi omninò persuadet Mulmannus *Firmari potest*, inquit, *hoc ipsum, quod diximus, exemplo victimarum, quas ex veteri Hebraeorum instituto offerri sic oportebat, ut ex iis nemo unus praeter solum sacerdotem ederet, ne is quidem, cujus causâ Numini consecrarentur. Hinc enim manifeste concluditur, delibationem ipsius hostiae, atq; manducationem non esse semper de naturâ & integritate sacrificij, ac proinde Christi Servatoris praeceptum ea faciend , quae ipse fecit, h. e. offerendi corporis & sanguinis ipsius pro remissione peccatorum nullâ necessitate obligare eos ad communionem, pro quibus divina illa mysteria celebrantur.* Ita Mulmannus, quae omnia, ut & ea, quae sequuntur, totidem verbis ex Petri Cotoni Institutione catholicâ descripsit. Sed facilis est responsio. Primò enim non aliud à sacrificiis V. T. argumentum ducitur, quàm, quod convenientia quaepiam suppeditat. Deinde, quum triplex fuerit in lege Mosaicâ sacrificium, holocaustum, hostia pro peccato, & hostia pacifica, haec *omnia tamen figura erant hujus oblationis, in quâ corpus dominicum offertur*, ut docet Franciscus Toletus, & alii communiter. Malè igitur Mulmannus à solâ hostiâ pro peccato argumentum ducit, quum non minor intercedat inter holocaustum & hostiam pacificam convenientia. Tertiò etsi de hoc sacrificio nihil cedebat in usum ejus, qui offerebat hostiam pro peccato, non tamen soli sacerdotes, qui in eo sacrificio peragendo occupati erant, ex eo manducabant, sed & *mas quoq; omnis de sacerdotibus*, uti docet Moses, Levit. VI. 29. & VII. 6. IV. Quis unquam dixit de naturâ & integritate sacrificii semper esse, ut hostia manducetur. Novimus enim plurimùm inter se differre sacrificia V. T. Docet autem primùm Mulmannus, quodnam ex his sacrificiis expressam figuram sacrificii missae gesserit. Neque enim à naturâ unius sacrificii ad naturam alterius argumentari licet. Ratio quidem formalis in omnibus sacrificiis eadem est, quae verò ad integritatem illorum spectant, ea plurimùm inter se differunt. Non igitur licet cum Mulmanno ita argumentari; Hoc non est semper de integritate sacrificii, ergo non est de integritate hujus sacrificii. Quid enim ad integritatem cujusque sacrificii pertineat, docet Scriptura, ubi institutionem cujusque sacrificii tradit. Eadem igitur consequentiâ, quâ probare vult Mulmannus, non esse necesse, ut praeter sacerdotem alius aliquis unà communicet, probatur quoque non esse necesse, ut vel sacerdos solus communicet, quoniam ne hoc quidem semper est de naturâ & integritate sacrificii, ut ex holocaustis apparet. Oportebat igitur primùm docuisse Mulmannum, hostiam pro peccato ejusmodi fuisse typum sacrificii missae, ut necesse sit figuratum

Th. 7.

l. 3. cap. 55.

Instruct. Sacerd. l. 2. c. 4.

ratum figuræ respondere, quo probato, poterat forsitan argumentari, uti in oblatione hostiæ pro peccato non necesse erat, eum participem fieri victimæ oblatæ, cujus causa numini consecrabatur, ita nec in sacrificio missæ obligantur ad communionem, pro quibus divina illa mysteria offeruntur. Quis verò unquam docuit, eos omnes, pro quibus in liturgiâ summo numini preces offeruntur, & *divina illa mysteria celebrantur*, obligari ad communionem mysteriorum. Obtestabantur olim veteres in suis liturgiis Deum Patrem per mortem filii pro fidelibus omnibus vivis & defunctis, absentibus & præsentibus, pro pœnitentibus, energumenis, catechumenis, & aliis pluribus, qui mysteriorum participes esse non poterant. Quis verò eos omnes obligari ad communionem dixerit? Fingunt sibi Cotonus & Mülmannus larvam, quâ cum pugnent, nec scio propemodum, quid sibi velint. Denique præceptum faciendi ea, quæ Christus fecit, non solùm præceptum offerendi corporis & sanguinis ipsius, sed & alterum distribuendi fidelibus includit, quod agnoscit Mülmannus. Etsi igitur prius præceptum non obligat ad communionem eos, pro quibus divina illa mysteria celebrantur, obligat tamen alterum præceptum sacerdotes, ne celebrent missam, nisi adsint, qui velint corpori & sanguini Domini communicare.

XXII. Etsi autem hæc ita se habent, negari tamen forsitan non debet, si Eucharistia non sacramenti solùm, verùm etiam sacrificii rationem obtineat, missas sine communicantibus jure improbari non posse. Nec tamen vel hoc ipsum, difficultate caret, etsi aliter sentit Mülmanus. Certum n. est, potuisse Servatorem ita instituere hoc sacrificium, ut præter sacerdotem semper adessent aliqui, qui sacrificii fierent participes. Neq; in hoc genere institutionis repugnantia aliqua ostendi potest, quia ratio sacrificii ab institutione, quæ multis modis fieri potuit, & ex libero Dei beneplacito pendet. Servator autem, quum modum & rationem offerendi in posterum ritè sacrificii docere vellet, discipulos participes sacrificii fecit, & uti cœteras, ita has quoq; actiones, quod illis dedit, quod acceperunt & manducarunt, per verba imperantia, *Hoc facite*, servari præcepit. Ex hâc primâ igitur hujus sacrificii institutione colligitur, voluisse Servatorem, ut cōmuniter saltē, ordinariè, & nullis aliis obstantib⁹ impedimentis ita ĩposterũ ĩ Ecclesiâ administraretur hoc sacrificiũ, sicuti ipse peregerat. Quod si n. voluisset illã sine comunicãtib⁹ missas agendi rationē tàm frequētē esse in Ecclesiâ, q̃ frequēs hodie est ĩ Romanâ, *si ad sacrificiũ, ut sacrificiũ est, nihil attinet, nulli an aliqui cōmunicēt*, si deniq; duplex est missa una, q̄ nihil est nisi sacrificiũ, altera, q̄ sacramētũ, & hæc ab illâ specie distĩcta, ut hodie docent, par est de divinâ bonitate credere, Christum suo exēplo aliquãdo p̄iturũ fuisse, ĩprimis, quũ ea ꝓpter bis Eucharistiã instituerit, primũ sub utrâq; in ultimâ cœnâ, dein sub unâ in Emaũte, Bell l. 2. de missa c. 9. Becan. c. 25. de Sacram. q. 8.

 ut

Tom. 2. Opusc. de comm. sub utrâque c. 3.

ut fingit Becanus. Non legitur autem uspiam Christum alicubi missam instituisse sine communicantibus. Consequens igitur est, communiter, ordinariè, & nullis aliis obstantibus impedimentis sacrificium offerri non debere, nisi sint, qui cum sacerdote mysteriorum participes esse cupiant, atque ideo rectè illos agere, qui operam dant, ne sacrificium hoc unquam aliter, quàm Servator primùm instituit, celebretur. Neque enim potest Ecclesia sine gravi causâ ab eâ sacrificii celebratione, quam Servator communiter obtinere voluit, recedere, multò minus verò aliam ab eâ introducere, quæ, communiter obtineat, quod fit in Romanâ Ecclesiâ. An autem graves causas habeant Pontificii, ipsi viderint.

XXIII. Certè desidia & incuria populi, quam missis solitariis occasionem præbuisse communiter docent Pontificii, nec sola causa est, neq; si esset, tanti momenti est, ut ideo ab exemplo & institutione Christi recedere fas sit. Utinam verò non ipsi sacerdotes & præsides Ecclesiæ tam gravi populi socordiæ occasionem præbuissent. Certè desiit moneri populus, ut frequens ad sumendum corpus & sanguinem Domini adesset, obrepsit prava consuetudo, ut sacerdos curatus sub parochiano petēti Eucharistiam extra tempus ab Ecclesiâ statutum ministrare non teneretur, ut Gabriel Biel autor est. Obrepsit consuetudo, de quâ queritur Gerson in declaratione defectuum virorum Ecclesiasticorum, *Nonne in Livoniâ consuetudo inolevit, ut nulli rusticorum sacramentum Eucharistia detur.* Eant nunc & culpam omnem in desidiam populi conferant. Quicquid tamen sit, si sequioribus seculis concilia quædam & Pontifices decreverunt, ut propter verba Ecclesiastica, *Dominus vobiscum*, Pax vobis, & alia, adessent aliqui sacerdoti missarum solennia agenti, quantò magis facienda constitutio, vel potius Christi constitutio jam facta in usum revocanda erat, ut propter exemplum Christi dantis discipulis, & verba ejus, *Accipite, manducate, bibite, hoc facite*, præstò essent unus vel plures, quos sacerdos participes sacrificii faceret. Quod verò dicitur, si tale sit sacrificium, ut ab uno & solo sacerdote confici possit, idrectè ab uno peragi, non videtur usquequaque certum. Nam & in veteri fœdere Deus jussit, ut semper pars aliqua hostiæ pacificæ cederet in usum offerentis, quum tamen totum sacerdos consumere posset. Quare probabile est, quia Christus in primâ institutione non peregit solus sacrificium, voluisse eum, ut idem quoque in posterum in Ecclesiâ fieret, pro quâ præsumtione, si non aliæ, congruentiæ tamen rationes afferri poterant, si opus esset.

In 4. Sent. Dist. 13. q. 1. art. 3. dub. 5.

XXIV. Accedit veterum consensus, qui non tantùm soli nunquam

quam rem divinam fecerunt, nec intra privatos, neque in publicis conventibus, quum tamen in omni Eucharistiæ administratione sacrificium obtulerint, ut ajunt, sed etiam sæpius & apertè asserunt, ipsâ fidelium manducatione memoriam cruenti Servatoris in cruce sacrificii peragi. Nota sunt verba Augustini. *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm dominici corporis in cruce immolatio, ejusq; sanguinis de latere effusio designatur.* Et iterum, *Manducare panem in Novo Testamento est sacrificium Christianorum* Idem tradit vulgatis illis verbis: *Christiani jam peracti sacrificij memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione & participatione corporis Christi.* Nec aliter Cyrillus Alexandrinus: *Participatio mysterij vera quadam confessio & commemoratio est, quod propter nos, & pro nobis Dominus mortuus sit & vixerit, & divinâ nos benedictione propter hoc replet.* Paria sunt, quæ habet Eulogius Alexandrinus, lib. II contra Novatianos apud Photium in bibliothecâ codice ultimo, & Hesychius: *Si non fuisset crucifixus*, inquit, *sacrificium corporis ejus minimè comederemus. Comedimus autem nunc cibum, sumentes ejus memoriam passionis.* Denique Gregorius M. vel quisquis autor est illius libri, & ex eo Hincmarus, Tomo II. Epistolâ III. ad Carolum Calvum cap. 8. *Pro nobis Christus in hoc mysterio immolatur, Ejus quippe corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* Moverunt utique hæc & similia argumenta Sotum & Canum, ut, etsi non auderent asserere, communionem fidelium esse de integritate sacrificii, dicerent tamen fideles per ipsam sumtionem suo gradu & ordine sacrificare, & mortem Christi non in consecratione, sed in consumtione tàm sacerdotis, quàm aliorum repræsentari, quin etiam, *hujusmodi distributionem, quando fit, aliquo modo ad complementum & perfectionem sacrificij pertinere*, ut testatur Fr. Suaretz, qui contra hanc eorum sententiam disputat, eo inprimis usus argumento; quòd Christus non præceperit, *ut, quum Eucharistia sacrificatur, populo distribuatur*, de quo quia jam ante dictum est, hic non opus est ea repeti. Fortassis etiam Gropperus his aliisq; argumentis motus est, ut communionem de substantiâ sacrificij missæ esse assereret, ob quam sententiam eum malè in concilio Tridentino acceptum esse, autor est Chemnitius.

Lib. 19. cont. Faustum cap. 16.
l. 19. c. 17.
l. 20. c. 18.
l. 12. in. Joh. c. 58.
In cap. 2. Levitici.
l. 4. Dial. c. 58.
Tom. 3. Disp. 75. Sect. 3.
Exem. part. 2. de missâ.

XXV. Sed quid opus est eò descendere, quum verum & propriè dictum sacrificium nullum sit in Eucharistiâ, quod, si aliquod est, probent Pontificii. Becanus docet *ad sacrificium, perfectum & propriè dictum quinque ex communi sententiâ requiri I. ex parte ministri, ut sit sacerdos, II. ex parte materiæ, ut sit res sensibilis, III. ex parte formæ, ut res illa sensibilis destruatur aut mutetur, IV. ex parte finis, ut explicitè vel implicitè referatur ad cultum DEI.*

Tract. de jure & just. q. 85. q. 1. & in Manuali l. 1. c. 10. nu. 1.

V. ex parte loci, ut fiat in altari. Eadem tradit Leonardus Lessius, lib. II. de justitiâ & jure, cap. XXXVIII. Dub. 2. & ait, *ex scripturis colligi hac quinq; ad perfectum & propriè dictum sacrificium requiri.* Ostendant igitur hæc quinq; requisita in Eucharistiâ quoq; inveniri. De solo fine convenit, uti is ita generaliter proponitur. Cætera omnia controversa sunt. Oblatio enim, quæ fiebat gratiarum actione, & precibus commemorantibus mortem Domini, in quâ rationem sacrificii sitam esse olim crediderunt, communis etiam erat aliis fidelibus præter presbyterum, cũ hujus erat principaliter. Consecrationem autem ipsam aliquando in extrema necessitate à laicis, & olim quoq; à diaconis factam visum est Nicolao Rigaltio, & autori dissertationis de administratione cœnæ, ubi pastores non sunt, præeunte Tertulliano, & nonnullis canonibus conciliorum. Corpus autem & sanguis domini, quomodo dici possint res sensibilis, quum tamen sint materia principaliter oblata, non satis apparet. Altaria Christus & primitiva Ecclesia non habuit: Ligneæ mensæ & tumuli martyrum vice altaris erant. Illud quoq; altare, quod hodie adhuc Romæ in veneratione est, quoq; D. Petrum usum esse ajunt, ligneum est. Sed quicquid de his sit, ostendant saltem formalem sacrificii propriè dicti rationem in Eucharistiâ inveniri, ostendant realem destructionem aut physicam imutationem in materiâ principaliter oblatâ. Moralis enim aliqua immutatio non sufficit, ut aliquid constituatur in genere propriè dicti sacrificii, quum ita sacrificii appellatio in eas quoq; res transitum sit, quas tamen rectè sacrificia appellari non posse constat. Ait Mülmannus, *hoc jam pridem argumentis solidissimis multos gravissimos doctissimosq; viros, imò quotquot pane aut de rebus fidei controversis, aut in tertiam partem D. Thomæ de sacramentis commentati sunt ostendisse.* Sed hæc argumenta pridem multi gravissimi doctissimiq; viri nostratium Theologorum confutarunt. Nomina eorum percensere opus non est, in promtu sunt eorum scripta. Ille novem tamen ex innumeris opponit, qui satis superq; sacrificium in Eucharistiâ asseruerint, eosq; quidem omnes Jesuitas. Ego verò non nostros solùm oppono scriptores, sed & veteres omnes primæ mediæq; ætatis Doctores, quin & ipsos veteres scholasticos, qui omnes propemodum non aliud, quam memorativum, & repræsentativum sacrificium inculcant.

Exhort. Cast. cap. 7.

XXVI. Quod si commentatores in tertiam partem D. Thomæ pro Mülmanno faciunt, per me quidem licet, dum hoc largiatur, Thomam ipsum à nostris stare partibus. Ex toto certè articulo primo q. LXXXIII. quo respondet ad quæstionem, utrum in celebratione Eucharistiæ Christus immoletur, aliud colligi non potest. Ita enim verba ejus habent: *Dupliciter atione cele-*

Part. 3.

celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio Christi. Primò quidem, quia sicut dicit Augustinus ad simplicianum, solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt; sicut cùm intuentes tabulam aut parietem pictum dicimus, ille Cicero est, & iste Salustius, celebratio autem hujus sacramenti imago quadam repræsentativa est passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio, & ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio. Vnde Ambrosius dicit super Epistolam ad Hebraeos: In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos, nonne per singulos dies offerimus, sed ad recordationem mortis ejus. Alio modo, quantum ad effectum passionis Christi, quia sc. per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicæ passionis. Hæc Thomas, quibus paria tradunt alii nonnulli Scholastici, Thomam secuti. Quomodo verò illa pro sacrificio strictè dicto in Eucharistiâ faciant, præsertim quòd specie idem sit cum eo, quod in arâ crucis Christus obtulit, fateor me videre non posse. Dicunt Pontificii sacrificium de sacrificio in Eucharistiâ, & cruento crucis univocè prædicari, Thomas ait prædicari æquivocè, sicut homo prædicatur de Salustio, & pictâ imagine Salustii, hoc vocat veram immolationem, illud imaginem repræsentativam. Vidit hoc Eckius, ideoq; aliter putavit Thomæ verba esse explicanda. *Duplicem*, inquit, *modum ponit Thomas, quo missa possit esse sacrificium. Primus per solam repræsentationem oblationis factæ in cruce, sic verum est, missam non esse oblationem sed memoriam ejus, sicut nec pictus homo est homo, Secundus est, quantum ad effectum dominicæ passionis, cujus efficimur participes hoc officio. & sic est veritas, & oblatio in se, & tunc illatio non procedit.* Sed nihil dicit Eckius. Nihilominus enim optimè procedit illatio. Nec enim dicit Thomas, hoc officio participes nos fieri fructus passionis Christi, sed per hoc sacramentum, sc. per manducationem corporis & sanguinis domini, quæ ad sacrificium non pertinet. Deinde sunt etiam alia, per quæ efficimur participes fructus dominicæ passionis, quæ tamen non sunt sacrificia propriè dicta. Sed hæc plana & aperta sunt. l. 2. de sacrif. missæ, cap. 8.

XXVII. Miraberis autem forsitan Mülmanne, quòd affirmare ausus sum, veteres primæ mediæq; ætatis doctores, tale, quale vos hodie traditis sacrificium ignorare, quum *nihil magis usitatum sit apud Patres antiquos tum Græcos, tum Latinos, quàm quod Eucharistiam vocent sacrificium, oblationem, hostiam, victimam, dicant offerri Deo, immolari, sacrificari, quæ omnia satis indicent, quis veteris orthodoxæ Ecclesiæ eâ de re sensus fuerit.* Fateor nihil frequentius his Eucharistiæ oblationibus esse in veterum scriptis, eorum præsertim, qui seculo tertio & deinceps vixerunt, quo cœpit Ecclesia veteri pacto proprias voces suis usibus attemperare, nec quisquam facilè erit, qui has & similes appellationes non velit libenter approbare, Th. 9.

atque

atque iis quoque cum antiquâ Ecclesiâ uti. Sed nihil etiam frequentius apud eosdem veteres est, quàm eas res appellare sacrificia, quas tamen non esse sacrificia propriè dicta, satis constat. Quoties enim officia charitatis & preces appellantur sacrificia, nec tamen preces sacrificia propriè dicta sunt? Facilè igitur reddi ratio potest, cur veteres tam frequenter Eucharistiam sacrificium appellarint. Consideretur tota Liturgia, quot in eâ occurrant, quæ sacrificii nomine venire possunt. Considerentur tot gratiarum actiones, cum pro aliis beneficiis, tum ipsa morte & passione Domini, considerentur tot preces pro universo orbe terrarum, pro præsentibus atq; absentibus, pro vivis & defunctis, in quibus mortis meritiq; Christi commemoratio fiebat. *Quid vero aliud est annunciare mortem domini, quàm sacrificium illud crucis repræsentare,* ut Johannes Roffensis in defensione regiæ assertionis contra captivitatem Babylonicam Lutheri ait, qui & sæpius in eo scripto in commemoratione mortis domini sacrificium hoc situm esse tradit. Considerentur illæ in universâ quondam Ecclesiâ usitatæ panis & vini oblationes, quum fideles viri fœminæq;, divites & pauperes, offerebant ad altare munera sua, panem & vinum, tum in alimentum pauperum, & clericorum, tum in usum etiam Eucharistiæ, ut testarentur suam erga summum numen gratitudinem, & devotum ipsi corpus & animam. Has oblationes *sacrificia* imò *pura sacrificia* vocat Irenæus, *sacrificia altaris* Augustinus sæpiùs, *sacrificia illibata & hostiam immaculatam*, Canon missæ, *Et similes sunt in Liturgiâ non paucæ sententiæ*, ait Bellarminus, *quæ panem offerri apertissimè demonstrant.* Neque ex frequenti usu hostiæ & victimæ sequitur, sensisse veteres, esse sacrificium propriè dictum in Eucharistiâ. Hostiam enim & victimam vocamus, quia in hâc φρικωδεστάτῃ τραπέζῃ præsens est Christus Jesus Dominus & Servator noster, qui hostia factus est pro peccatis nostris, sive, ut Augustini verbis utar, quia *dispensatur in altari victima illa sancta, quâ deletum est chirographum*, & *offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij*, ut habet Cyrillus.

Cap. 6.

l. 4. c. 32.

Lib. 1. de missâ c. 27.

l. 9. Conf. c 13.

Catech. mystag 5.

XXIIX. Appellant igitur quidem veteres Eucharistiam sacrificium, appellant oblationem, hostiam victimam, non quòd hæ voces verè & propriè Eucharistiæ conveniant, uti conveniunt sacrificiis V. T. & sacrificio, quod Christus ipse in cruce obtulit, cujus Eucharistia symbolum, signum, similitudo, figura & memoria est, uti veteres frequenter appellant, sed per analogiam quandam, convenientiam, & propter memoriam veri & propriè dicti Christi sacrificii, quod hîc iterum repræsentatur. Videas igitur apud veteres sæpius ita institui comparationem inter sacrificia legalia, &

hoc

hoc novi fœderis sacrificium, ut facilè appareat, non posse sacrificii vocem univocè de utroque sacrificio prædicari. Quin addunt etiam nonnunquam, quæ propriam sacrificii acceptionem apertè diminuunt. Locus est insignis apud Eusebium, libro I. Demonstrationis Evangelicæ, cap. ult. *Post omnia*, inquit, *admirabilem quandam victimam, eximiumq; sacrificium Patri operatus pro omnium nostrûm salute obtulit, ejusq; memoriam nobis tradidit, ut vice sacrificij, ἀντὶ θυσίας, semper offeramus.* Quid poterat dici apertius? Ibidem appellat *sacrificium laudis*. *Sacrificium orationis* vocat D. Hieronymus, ut notat in Confessione Hieronymianâ Cornelius Schultingus. Ἀνάμνησιν τῆς θυσίας *Christi*, Chrysostomus, Homiliâ XVII. in Epistolam ad Hebræos, quod verbis iisdem repetit Ambrosius. Augustinus jungit, libro de curâ pro mortuis capite ultimo, *altaris, orationum, & eleemosynarum sacrificia*, & his similia passim reperias. Comm in c. 56. Es. Tom 3. c. 7. 2. 1. In Ep. ad Heb. c. 10.

XXIX. Poteram igitur in hanc rem plura afferre, si opus esset, sed tam planum hoc est, ut Matthæus Galenus Theologus & Cancellarius academiæ Duacensis candidè fateatur, ex quo concilium Tridentinum definiit, in missâ offerri Deo *verum & proprium sacrificium*, ereptam ipsis esse autoritatem veterum, quâ uti ante poterant. Verba ejus etsi jam ante in exercitatione allata, hîc iterum adscribo. *Si Tridentini*, inquit, *obscurißimam definitionis sacrificij quæstionem illustrassent, adversarijs & scholis orthodoxis meliùs consultum videretur. At nunc tantum abest, ut id sperare poßimus factum, ut, si fas est dicere, simus deinceps iniquiore loco pugnaturi. Poteramus enim hactenus adversariis præscribere, ex vocibus attributis nostro sacrificio, & Patrum testimoniis, vel uti Augustini definitione, vel postremò fateri hoc nostrum sacrificium esse quidem improprium, non tamen illud nomen malè retinere, quum sit primi illius sacrificij Christi imitatio.* Audin Mülmanne, non posse te amplius nobis præscribere ex vocibus, attributis Eucharistiæ, neque ex Patrum testimoniis. Illas tamen voces & Patrum testimonia inprimis urges. His alii nihil clarius esse dicunt, ut mirentur nos non protinus in hodiernam Romanæ Ecclesiæ sententiam concedere, pro quâ tam apertè totius veteris Ecclesiæ autoritas militet. At verò, quàm planum & apertum est, appellatam in veteri Ecclesiâ sacrificii nomine Eucharistiam, tam quoque perspicuum est, non eâ significatione sacrificium dictam, quâ hodie in Romanâ Ecclesiâ sacrificium vocari solet. Cat. 134.

XXX. Michaël Sidonius, Merseburgensis Episcopus, cujus de missa homilias Augustæ Vindelicorum anno superioris seculi XLVIII. linguâ vernaculâ habitas, & latinè dein à Laurentio Surio versas, pluri-

De sacrif. missæ p. 207. In Chron. mùm commendat ex Pontificiis Michaël Buechingerus, & magnâ cum doctrinæ, eloquentiæ ac moderationis laude habitas ex nostratibus Chytræus affirmat, concionum illarum tertiâ, veteris Ecclesiæ de sacrificio missæ sententiam ita exponit: Man hat gelehrt / glaubt vnd gehalten / daß der Leib vnd das Blut Christi ein allgemeines Opffer sey der Christenheit / welches die Kirch Gottes auß Befelch Christi jhres HErrn allezeit dem Himlischen Vatter darstellen soll / vnd wird zu der Gedächtniß deß trefflichen heylsamen Creutz-Opffers / welches der Sohn Gottes in seinem sterblichem Leib vnd Blut einmals zur Versöhnung der gantzen Welt am Creutz verricht hat. In welchem jhrem täglichem Opffer / die Gemeind der Glaubigen GOTT dem Vatter höchsten danckſaget vmb die Erlösung Christi vnsers HErrn / vermahnet vnd bittet GOTT / daß Er an vns wolle lassen trefflich seyn / vnd zu vnserem Heyl gedeyhen lassen / was Christus am Creutz für alle Welt außgericht vnd erworben hat. Er wolle sich vber die Sünden seiner Christenheit versöhnen lassen / alles vbel von vns abwenden / vnd vns alles gutes verleyhen / durch Christum vnsern HErrn / der für vnser Heyl sein Leib am Creutz in Todt geopffert / vnd sein Blut zur Versöhnung vnserer Sünden außgossen hat. Diß ist je vnd je das hochgeachtheiligste Opffer der Christenheit gehalten worden / darauff die Christenheit alle jhre Hoffnung vnd Zuflucht gericht / vnd sich sonst nichts anders hat trösten mögen / auch sich sonst nichts anders trösten kan / wider jhre Sünden vnd Gebrechligkeit / dann / das sie den Sohn Gottes / der vns zum Heyl geschencket ist / mit vollem Glauben ergreiffe / vnd jhn für Gott darstelle / vnd auff seine Verdienst bitte / Vergebung jhrer Sünden / vnd was jhr sonst zum Heyl zeitlich vnd ewig vonnöthen ist. Hæc Michael Sidonius, quæ iisdem pæne verbis repetit sub initium Concionis quartæ, & dein sæpius. An verò hæc sufficiant, ut Eucharistia verum & propriè dictum sacrificium appellari possit, & sacrificium de Eucharistiâ, sacrificio crucis, & V. T. sacrificiis univocè prædicari; æquus lector judicet.

Th. 10. XXXI. Ait quidem Mülmannus, *nullo negotio refelli posse, quod dicitur; priscos illos Patres, quum Eucharistiam sacrificium dicunt, nihil aliud voluisse, quàm memorativum & repræsentativum sacrificium hìc esse*, sed frustra est. Sit enim, loquantur ita, ut dicant, se non solùm offerre, sed etiam per hanc oblationem commemorare oblationem factam in cruce, ergone inde sequitur, oblationem illam esse verum & propriè dictum sacrificium? Non utiq; apparet. *Oblatio tamen*, inquit, *non definit esse vera & realis oblatio, licet sit alterius oblationis commemoratio, sicut participatio corporis Christi non desinit esse vera & realis participatio, eò quod sit commemorativa.* Sed quid juvat Mülmannum Augustini testimo-

stimonium. De Christianis enim omnibus, non de solis sacerdotibus ait, quòd peracti sacrificii memoriam celebrēt oblatione & participatione corporis Christi. Quid verò fidelium oblatio & participatio huc facit, ubi de sacrificio propriè dicto agitur. Nihil inquam ad rationem sacrificii ex vestrâ sententiâ pertinet. Quòd verò de oblatione dicitur, rectè hoc quidem, commeratio enim non impedit, quo minùs oblatio illa possit esse verum & propriè dictum sacrificium, sed oblatio Eucharistiæ non potest hoc nomine appellari, etiam in se spectata, & quatenus non est comemorativa sacrificii crucis. Longè alia enim ratio est sacrificiorum legalium, quæ non ideo sacrificia dicebantur, quòd sacrificium futurum Christi figurarent, sed quòd essent vera & propriè dicta sacrificia, spectatâ intrinsecâ sacrificii ratione. Ostendet igitur Mülmannus parem esse rationem sacrificiorum V.T. & oblationis Eucharistiæ, ostendat veram & propriam sacrificii rationem non minùs in hâc oblatione quàm in illis reperiri, & habebit rem factam. Ritus autem & modus offerendi in sacrificiis V.T. & Eucharistiâ adeo diversus est, ut prorsus non appareat, quomodo sacrificium æquè de Eucharistiâ, atq; de illis prædicari possit. Oblatio enim, quæ in Eucharistiâ peragitur, & de quâ veteres passim loquuntur, nihil est aliud quàm *extrinseca aliqua deprecatio*, ut fatetur Suaretz, & offerre corpus & sanguinē Christi, est Deum Patrem per Christum Christiq; mortem obtestari & precari; Unde apud Clementem indifferenter usurpatur, *Offerre, rogare, obsecrare*, & quum Tertullianus, Apolog. cap. XXXIX. ait, *Oramus etiam pro imperatoribus*, id libro ad Scapulam cap. II. ita aliter reddit: *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed, quomodo præcepit Deus, purâ prece*, Tum addit: *Non enim eget Deus conditor universitatis odoris aut sanguinis alicujus*. Pamelius ad hæc verba, ne ea videantur adversa esse sacrificio vero & propriè dicto, ita commentatur. *Opponit precem puram odori aut sanguini, & verò nos Deo non sacrificamus aut odore aut sanguine, sed prece purâ, Nam sacrificium non nisi per preces & per invocationē sacrificatur & offertur.* Quis verò non videt, quod ingens sit inter oblationē per preces, & oblationem in sacrificiis & oblationibus V.T. propriè sic dictis per cædē animantiū, & rei oblatæ substantialē destructionē pactā discrimē. Meram certè inter utrumq; offerri intercedere ὁμωνυμίαν nemo non videt.

Tom. 3. Disp. 75. s. 3.

l. 1. Const. Ap. c. 12.

XXXII. Sed forte Müllmanno non de illâ oblatione, quæ extrinseca tantùm deprecatio est, sed de ipsâ consecratione, quæ virtute & intentione includit oblationem, ut recentiores nonnulli definiunt, sermo est. Quid verò demum sit in consecratione, quod sacrificii propriè dicti rationem tueri possit. Tria in consecratione spectari possunt, ait Becanus, *Primò destructio panis & vini, II. Adductio seu præsentia Christi sub speciebus panis & vini. III. Mystica mactatio, quæ fit per consecrationem utriusq; speciei, quatenus ex vi verborum corpus & sanguis Christi sacramentaliter separantur, licet re ipsâ conjuncta sint per naturalem*

De sacram. in spec. c. 25.

concomitantiam. Ita Becanus. Sed neque in ullo horum separatim, neque in omnibus simul & propriè, dicti sacrificii ratio reperitur. Quod ad primum enim attinet, panis non destruitur, sed manet, & si omninò destrueretur, non tamen pertineret ad rationem sacrificii, quia non panis, sed Christus dicitur materia principaliter oblata. Adductio autem, seu præsentia Christi facit quidem, ut materialiter idem hîc sit sacrificium, quod fuit in cruce, sed deest ratio sacrificio intrinseca, quæ est realis destructio. Ait,
Disp. 75. Sect. 5. quidem Fr. Suaretz, *esse hoc singulare & excellens in hoc sacrificio, quod per se primò potius est propter efficiendum, quàm propter destruendum, neque, si sit necessaria alicujus creaturæ realis immutatio, inde sequi esse eam necessariam per modum destructionis in re principaliter oblatâ, cum etiam esse possit per modum effectionis.* Sed hoc eâdem facilitate negatur, quâ asseritur. Repugnat enim omnibus omninò sacrificiis. Nec præit Suaretzio Scriptura. Constituere autem prorsus diversam sacrificii rationem à cœteris omnibus sacrificiis, quæ Scriptura commemorat, sine manifestâ ejus autoritate temerarium propemodum est. Dissentiunt denique alii quamplurimi. Unum nunc profero Episcopum Ruræmundensem Guilielmum Lindanum, qui in defensione quotidiani sacrificii graviter indignatur Sadeelio, quia scripserat, Pontificios agnoscere immutationem in sacrificio missæ, & quidem in conse-
p. 170. cratione. *O sycophanticam*, inquit, *calumniam, Sadeeli! Non te pudet istiusmodi figmentis sophisticis catholicam improbè vexare Christi Ecclesiam? Quis unquam Theologorũ tam fuit imperitus, qui assereret in sacrificio altaris fieri victimæ immutationem. Docent quidem fieri panis viniq; mutationem, sed in consecratione, Aliud porro est, quod eam longo subsequitur intervallo sacrificium altaris* (de oblatione, quæ deprecatio est, Suaretzio, loquitur,) quo Christi Domini corpus Deo Patri in illius cruentæ quondam hostiæ à Christo immolatæ juxta ejus mandatum, recordationem immolatur, sive offertur. Imperiti igitur Theologi Lindano Bellarminus, Becanus, Suaretz, Lessius, Müllmannus, & quicquid propemodum hodiè est Theologorum pontificiorum, qui docent essentiam sacrificii in consecratione consistere, necessariam esse mutationem, & eam in consecratione fieri, aut sumtione sacerdotis, ut vult Bellarminus. Superest denique mystica mactatio, sed hanc non sufficere ad verum & reale sacrificium, tum satis manifestum est, tum etiam fatetur Sua-
Disp. 75. Sect. 5. retz. Rectè igitur Algerus. *Quotidianum nostrum sacrificium idem ipsum est*
l. 1. c. 16. *cum eo, quo Christus semel oblatus est in cruce, quantum ad eandem veram hîc & ibi corporis Christi substantiam, licet oblatio Christi semel in cruce sit vera, quotidiana autem in altari sit figurata.* De oblatione, quæ fit per veram & propriè di-

ctam immolationem loquitur Algerus. Quia igitur formalis ratio sacrificii hic figuratio tantum est, necesse est ipsum quoque sacrificium esse figuratum.

XXXIII. Ita patet, quomodo Eucharistia dici possit sacrificium, quomodo non possit. Verum est sacrificium, si finem sacrificiorum spectes, impropriè dictum, si formalem rationem attendas, in eo positam, ut res oblata destruatur, uti docent communiter, & apertissimè omnium Bellarminus. Sermo autem mihi est, non de morali aliquâ immutatione, sed destructione reali & physicâ. Hanc enim sacrificio intrinsecam esse inductione colligitur, non ex Judæorum solùm, sed & aliarum gentium sacrificiis. Patet id, inquam, *ex sacrificiis legis naturæ, & veteris, quæ non fiebant oblatione solâ, aut elevatione ad altare, sed rei destructione factâ in honorem Dei*, ut autor est Becanus & Bellarminus, & tot idem verbis tradit Leonardus Lessius, lib. II. de Just. & Jure. cap. XXXVIII. Dub. II. Illam tamen nonnulli sufficere volunt. *Exemplo*, inquiunt, *esse homines Deo oblatos, quidni in sacrificium propriè dictum sine cæde & sanguine, cum alibi, tum Levit. VIII.* Itane verò idem est offerre Deo in ministerium, quod offerre in sacrificium? At illa oblatio sæpe fiebat à parentibus, quum sacrificium propriè dictum non possit offerri nisi à sacerdotibus. Jam igitur & primogenitos oblatos olim in sacrificium propriè dictum, quod negant tamen Becanus & Lessius, & viros fœminasque, qui seculo renunciantes se totas Deo offerunt & devovent, ita Deo in sacrificium offerri rectè dicetur. Augustini quidem hæc sententia est, *ipsum hominem Dei nomini consecratum, & Deo devotum, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium esse*, sed latâ illâ sacrificii acceptione, quâ *verum sacrificium est, omne opus quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo*, uti id apertè colligitur ex lib. x. de Civ. Dei, cap. VI. Quin Christiani omnes ita se Deo in sacrificium offerre debebant, juxta D. Paulum, quum ait: *Adhortor vos fratres per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra, hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum vestrum.* Quis verò credat, tantam esse sacrificii propriè dicti latitudinem?

L. I. de missâ c. 2.

De just. & jure q. 85 q. I.

Loc. cit.

Moguntini cont. Crociū Cont. 10. s. I.

Loc. cit.

Rom. 12. I.

XXXIV. Rectiùs nostri docent, esse quidem Eucharistiam sacrificium, sed impropriè & per extrinsecam tantùm denominationem dictum sacrificium laudis, sacrificium gratiarum actionis, sacrificium commemorativum & repræsentativum veri & propriè dicti sacrificii, quod Christus in cruce æterno suo Patri obtulit, propter mortem & passionem Christi, in hoc mysterio præsentis, peculiariter comemoratam & repræsentatam, quam mortem & passionem Christi itidem docent cum antiquâ

Ecclesiâ Deo Patri in Eucharistiâ offerri, sive per eam Deum rogari, adeoq; hoc intuitu propitiatorium esse sacrificium. Ita antiqua Ecclesia, ita veteres magno consensu docent, Ita vestratium Theologorum complures docuerunt, quorum testimonia magno numero adducunt clarissimi nostræ ætatis Theologi Georgius Calixtus, & Johannes Gerhardus, hic Confessionis Catholicæ, lib. II. Part. II. art. XV. cap. I. Ille verò Disputatione tertiâ de sacrificio missæ, Non aliud inculcat sacrificium in defensione quotidiani sacrificii Lindanus, quod verum quidem & externum appellat sacrificium, ita tamen, ut sub eâdem sacrificii acceptione, *eleemosynas, jeiunium, sepulturam mortuorum, prædicationem Evangelij, aliaq; pietatis in Deum & proximos opera* comprehendat.

p. 268. & 282.

XXXV. Cur verò his amplius aliquid exigitis? Cur postulatis, ut profiteamur missam esse verum & propriè dictum sacrificium, esse idem specie cum illo, quod Christus in cruce obtulit, ut nonnulli docent, quod nec antiqua Ecclesia credidit, nec multi è vestratibus crediderunt. Quin etiam iniquum est, quod vultis, ut dimissâ planâ & perspicuâ de sacrificio missæ sententiâ, qualis est veteris Ecclesiæ & nostra, amplectamur novam, obscuram, impeditam, & multis difficultatibus obnoxiam, ex quibus eluctari non licet. Testes do tam varias, tam multiplices, & inter se pugnantes, tum de sacrificio in genere, tum de ipso missæ sacrificio, opiniones, ut hîc propemodum obtineat, quod vulgò dicitur. Quot capita, tot sententiæ. Alii ad rationem hujus sacrificii quatuor, imò quinq; statuunt concurrere actiones, alii tres, alii duas, alii unam tantùm. Qui duas existimant requiri, iterum in diversa abeunt. Alii enim eorum in consecratione & oblatione dicunt consistere totam hujus sacrificii essentiam, alii in consecratione & sumtione. Eorum autem, qui unâ actione totam rationem sacrificii absolvi putant, alii solam oblationem, alij consecrationem solam requirunt. Ante definitionem Concilii Tridentini plerique totam rationem sacrificii in oblatione, quam extrinsecam deprecationem appellat Suarez, constituebant, & in eo plurimùm desudabant, ut à Christo quoq; talem oblationem factam ostenderent, uti hoc apertè ex scriptis superiori seculo de hâc controversiâ editis constat. Postquam verò proprium esse sacrificium Tridentini Patres definierunt, quum homines acuti facilè perspicerent, sacrificium propriè dictum defendi non posse, si ratio sacrificii in oblatione posita sit, hâc sententiâ penitùs explosâ ad consecrationem & sumtionem sacerdotis receptum habuerunt. Nonnullos verò hæc opinionum diversitas coëgit, ut nihil determinando dicerent, *vim sacrificij & essentiam vel esse in consecratione, vel in oblatione, vel in communione, & hostiæ consumtione, vel in totius*

tius actionis complexu sitam. Hæc est sententia Petri Cotoni, nec alia est Johannis Azorii, & Didaci Nugno de Cabezudo, celebris Thomistæ. Inst. Cath. l. 3. c. 49.

XXXVI. Sed ne sic quidem finis contentionum: Succedunt aliæ, quomodo sacrificium missæ non tantùm à sacramento Eucharistiæ differat, sed etiam a cæteris sacrificiis cum veteris Pacti, tum etiam novi, quale est illud perfectissimum crucis sacrificium, *cuius umbra fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum*, ut docet Augustinus libro primo contra adversarium legis & prophetarum cap. XVII. Alii idem specie esse cum hoc sacrificio dicunt, alii negant, sed prior sententia hodiè videtur esse communior, & tuetur eam quoque Mülmannus. Franciscus certè Suaretz, quum forte priorem sententiam confutasset, quòd facilè perspiceret, *actionem sacrificandi essentialiter diversam, essentialem quoq; & specificam inducere differentiam*, non impune tulit, adversarium haud multò nactus Didacum Nugno de Cabezudo, celebrem Thomistam, qui eum, quo primus esset, ut ait, in illâ sententiâ asserendâ, sub junioris nomine perstringit. Sed quid numerum tot discrepantium opinionum inire instituo? Hæc sola, quam attuli opinionum diversitas satis novitatem dogmatis arguit. In quas tamen tot & tam diversas opiniones abire necesse erat homines eruditos & acutos, quum omnes rationem veri & propriè dicti sacrificii in missâ defensam cuperent, nusquam tamen pedem figere possent. Nonne igitur iniquum est, quod volunt Pontificii, ut ex tranquillo portu in altum mare discrepantium opinionum provehamur? Disceptatio autem hîc est, non de re aliquâ parvi momenti, sed de eo, quod sub anathemate credendum proposuit Concilium Tridentinum. Si igitur sacrificium proprium est, si est visibile sacrificium, necesse etiam est, ut ostendi possit actio aliqua sive una, sive plures, & actio quidem aliqua sensibilis, in quâ ratio sacrificii posita sit. Sicuti, si quæstio sit vel de sacrificiis legalibus, vel de sacrificio cruento crucis, non opus est arduâ disceptatione, ut ostendatur, in quo ratio sacrificii sita sit. Jam verò sacrificium de his sacrificiis, & sacrificio missæ univocè prædicatur, idé quoq; specie est cum sacrificio crucis. Sed nihilominus incerta hîc omnia sunt & controversa. Quin tanta est contrariantium opinionum diversitas, ut, si doctorum sententias mutuò se tollentes expendas, nullum in missâ reliquum maneat verum & propriè dictum sacrificium.

P. 1. Inst. mor. l. 10. c. 19.

Concl. 5. T. 3. Disp. 76. s. 1.

In 3. Tom. 1. q. 83. a. 1. dub. 3.

XXXVII. Quum igitur constet missam non esse verum & propriè dictum, sacrificium, sed sacramentum tantùm, & suo etiam quodam modo sacrificium, nihil fere superest, quod magnopere pro missis solitariis faciat. Audivimus enim disertè fatentem Gabrielem Vasquetz, *Si missa tantùm sit sacramentum communionis, ab omnibus adstantibus, aut ab aliquibus reipsâ participari debere*, & manifestum est, ex institutione, & verbis factisq; domini, hoc Disp. 214. c. 3.

sacra-

sacramentum in actionibus consistere, ex quibus præcipuæ sunt benedictio
Th. 11. panis & vini, benedictorumq; exhibitio & sumtio. *Legimus tamen*, inquit Mülmannus, *olim moris fuisse, ut Eucharistia sive corpus Christi asservaretur, pro infirmis, ut domum à quibusdam asportaretur, ut pro symbolo communionis Episcopis ad urbem venientibus mitteretur obviam, an ista de tribus suis actionibus interpretabitur Calixtus?* Quid verò ita nobis insultas Mülmanne? Nonne materia, circa quam hæ actiones versantur, sunt panis & vinum, nonne panis & vinum asservari & transportari de loco in locum possunt? Panis autem, inquiet fortassis Mülmannus, quum asservatur, quum transportatur, non est secundum nos corpus Domini, adeoq; nec sacramentum, veteres autem Eucharistiam sive corpus Domini dicunt asservari. Fateor loqui ita interdum veteres, & rectè loquuntur. Etsi enim symbolum, per quod communicatur corpus Domini, est panis benedictus, cum quo, quando comeditur, unà comeditur corpus domini, seu longior sive brevior mora inter benedictionem & sumtionem intercessit, quanquam non videntur veteres, quum tam frequens fuerit apud eos communio, diu asservasse Eucharistiam. Ego verò, lego, Mulmanne, reliquias ex Eucharistiâ, aut hostias paullò diu-
In cap. 2. Levitici. tius asservatas igne cremari apud veteres solitas. Ita & Hesychius & canones nonnulli Anglicani docent. Mirum autem profectò, si Mülmannus
De hist. Sacerd. lect. 8. de Euch. corpus Domini apud veteres igni traditum asserere ausus fuerit. Petrum à Soto, quum *sumtionem proprium usum hujus sacramenti* vocat, de manducatione fidelium loqui, certum est: Hanc autem in plerisque missis, quæ in Romanâ Ecclesiâ habentur, negligi, probatu non est opus, docet id experientia. Hæc sumtio de integritate & essentiâ sacramenti est. Integritas enim & essentia hîc, sive, ubi de sacramento loquimur, coincidunt, non quòd integritas idem sit quod essentia, sed, quia perinde est, utrum eas actiones, ex quibus sacramentum constat, quis dicat esse de integritate, aut de essentiâ, quum ex institutione Christi una non sit minus necessaria quàm altera, Et idem etiam accidere potest in aliis, quæ ex pluribus actionibus moraliter aliquid unum fiunt.

XXXIIX. Nihil hactenus Mülmanno, missas solitarias propugnanti, profuit. Non prima institutio: Non V. T. sacrificia: Non denique appellationes sacrificii, oblationis, hostiæ, victimæ, & similes. Libet nunc quoque attendere, utrum ab antiquæ Ecclesiæ autoritate speciosius subsidium arcessat. Primi sint Apostoli, eorumq; discipuli, de quibus
Act. 2. 42. ita Lucas in Actis ait: *Perdurabant in doctrinâ Apostolorum, & communione, &*
Act. 20. 7. *fractione panis*, & iterum, *Unâ sabbati, quum convenissemus ad frangendum panem*

nem. Quæ verba Lucæ, uti & alia, Act. II 46. & Act. v. 42. de communione quotidianâ accipiunt Walafridus Strabo, & Catechismus Tridentinus. c. 20. Part. 2. n. 48.
Duo autem ait Lucas, & fregisse panem Apostolos, & convenisse ad frangendum. Utrumque indicat dispensationem factam, neque de eo dubium est. Quid verò ad hæc Mülmannus: *Secuti sunt quidem Apostoli*, inquit, *Christi exemplum in dispensando altaris sacramento, quoties essent, qui peterent: Quod tamen id fecerint semper, quoties sacrificarent, ex dictis verbis probari nunquam poterit.* Hoccine verò est seriò respondere? De facto, qualis fuerit synaxis in Ecclesiâ Apostolicâ controversia est. Nos nunquam fuisse sine communione dicimus, quia ejus nullum exstat in sacris scriptoribus vestigium, qui non unum aliquem panem fregisse, sed multos ad eum frangendum convenisse tradunt. Quod si interdum Apostoli aliter dominicam cœnam celebrarunt, unde constat Mülmanno, cur non vel levi aliquâ conjecturâ probat? Th. 14.

XXXIX. Quod verò D. Paulus in Corinthios divisim & seorsim alios hîc alios isthîc proprias, sive privatas cœnas præoccupantes dixit, idem missis privatis haud incommodè adaptari posse, communis fere nostrûm est sententia. Neque nos pudet illius argumenti. Quare enim pudeat? l. 2. de miss. c. 10.
Num ideo, quia Bellarminus, Cornelius à Lapide & alii quidam negant de Eucharistiâ hîc agi? Non verò est tanti eorum apud nos autoritas, ut ea sola protinus nobis quidvis persuadeat. Quot enim sunt Pontificii Scriptores, atque illi non minoris autoritatis, ut de veteribus & nostris nihil nunc dicam, qui de Eucharistiâ hæc Pauli verba interpretantur. Atque *illa expositio*, si Francisco Suarezio credimus, *satis est accommodata textui, quam sequuntur D. Thomas, Theodoretus, Anshelmus, D. Hieronymus, Glossa, Lyra, & alii. Colligitur id tamen manifestè*, inquit Mülmannus, *ex illis verbis, unus esurit, alius ebrius est, quæ de sumtione Eucharistiæ intelligi non possunt.* Non verò id ita manifestè colligitur; Aliter enim visum est Eligio Noviomensi Episcopo, qui hæc ipsa verba de Eucharistiâ interpretatur, Homiliâ xv. Tom. 2. Biblioth. Patrum, Editionis secundæ. *Hæc ideo Paulus dicit*, inquit, *quia Corinthii, qui per prædicationem ejus ad fidem venerant, solebant in hâc die deferre ad Ecclesiam panem & vinum, & dabant sacerdoti ad consecrandum, expletisq; mysteriis, unusquisq;, quod dederat, recipiebat.* Aliter quoque visum est Thomæ, Part. III. q. LXXVII. art. 6. Bonaventuræ, in IV. Dist. XII. art. II. q. 1. & aliis, qui ex iisdem Apostoli verbis probant species sacramentales verè nutrire, quod, quum nonnullis, de quibus idem Bonaventura, & Dionysius Carthusianus minùs visum esset probabile, ne tamen Apostolo refragari viderentur, In 1. Ep. ad Cor. c. 11. Tom. 3. disp. 40. sect. 2. In 4. Dist. 12. q. 2.

rentur, dixerunt, *odorem vini, immutando aëra, cerebrum inebriare posse.* Quod utique argumento est illâ ætate creditum, D. Paulum toto illo capite de Eucharistiâ agere. Nos verò non ita. Dicimus enim Apostolo non de Eucharistiâ solùm, sed conjunctis quoque illâ ætate agapis sermonem esse, quæ sententia, quum sit media inter utramque, & tutior est & verior. Augustinus Ep. 118. ad Jan. ait, *Corinthios sacram mensam cum communi miscuisse.*

XL. Præcedebant autem Agapæ, iisq; peractis dominicum sacramentum celebrari moris erat, unde, quod junctim hæc fierent, nomē ipsum in appellationem hujus sacramenti transiit, ut ex Ignatii ad Smyrnenses Epi- Hom. 27. in Ep. 1 ad Cor. stolâ discimus. Ait quidem Chrysostomus, peractâ synaxi post sacramentorum communionem convivium iniri solitum, sed quum constet, fuisse Christianos admodum observantes eorum, quæ Servatorem egisse notant, & Conciliū Carthaginense ita sacramenta altaris à jejunis celebrari velit, ut tamen diem anniversarium cœnæ dominicæ excipiat, quo cœnati imitatione l. 5. c. 21. l. 7. c. 19. ultimæ cœnæ communicabant, & denique Socrates atque Sozomenus testentur, Ægyptios Alexandriæ finitimos, & eos qui Thebaidem incolunt, *sabbato* μετὰ τὸ εὐωχηθῆναι, καὶ παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνειν, *post epulas mysteriis communicare*, præcessisse agapas synaxin verisimile est, etsi horum conviviorum non eadem apud omnes ratio fuit, neque forsitan diu admodum illa agaparum & Eucharistiæ conjunctio, invalescente paulatim per universam Ecclesiam, ut à jejunis tantum corpori & sanguini dominico communicaretur, consuetudine duravit, receptâ tamen alia magis conveniente, ut post sacramentorum cōmunionem fierent communia convivia in Ecclesiâ, de quibus videatur Chrysostomus, Homiliâ XXVII. in 1. ad Corinth. XI. Agapæ verò illæ aliæ privatæ, in privatis domibus habitæ, secundum canonem XI. Concilii Gangrensis, & XXIIX. Concilii Laodiceni, aliæ publicæ in Ecclesiâ fieri solitæ, & decreto synodi Lao- can. 29. dicenæ postmodum abrogatæ. Sunt qui volunt, utrobique celebratam simul Eucharistiam, sed negant id plerique. Initio tamen, & in publicis quidem Agapis, atque eâ de quâ Paulo sermo est, communionem corporis & Obs. Eccl. l. 1. c. 18. sanguinis dominici institutam satis certè constat, neque id negare potuit Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus. Ita enim ait: *Non ierim inficias, tempore Apostolorum forte factas esse Agapas cum celebratione Eucharistiæ.* Id v. 23. enim manifestò colligitur ex his verbis, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Cui fini illa connexio, *Ego enim*? Idcone tantùm, ut doceret dominum simul cum discipulis ad eandem mensam accubuisse? Hoc omninò improbabile est. Non igitur est, quod nos pudeat argumenti nostri. Uti enim Paulus ait, Corinthios non manducare cœnam dominicam, quum divisim

& scor-

& ſeorſim alii hîc, alii iſthîc, proprias cœnas præ occuparent, ita quoq; non admodũ conformé eſt cœnæ dominicæ, & primæ inſtitutioni, quum in eâdẽ Eccleſiâ diviſim & ſeorſim, ſacerdotes alii hîc alii iſthîc, nullâ neceſſitate coacti, ad diverſa altaria ſacram cœnam, quæ communis omnibus eſſe debebat, celebrant, & ita ſæpe celebrant, ut neque intendant, neq; poſſint quenquam participem facere. Quin altera illa, quæ fere publica eſt, & qualis in antiquâ Eccleſiâ obtinebat, quum ad unam menſam omnes communicabant, cœnæ dominicæ multò ſit conformior, nemo forſitan facile negabit.

XLI. *Sed demus*, inquit Mülmannus, *in primitivâ Eccleſiâ nullam miſſam abſq; communione populi celebratam fuiſſe, an ideo conſequens erit, nunquam offerri poſſe ſacrificium, niſi adſint, qui cum ſacerdote communicent. Minimè verò.* Nos verò ſolâ primitivæ Eccleſiæ conſuetudine non nitimur, etſi ejus ſumma apud omnes bonos debet eſſe autoritas habemus diſertam Chriſti Inſtitutionem, & eam quidem quater repetitam, accedit ſolennis Apoſtolorum uſus, & conſtans univerſæ antiquæ Eccleſiæ conſuetudo. Quomodo igitur non ſeqtur, ita hodienum adhuc inſtituendã σύναξιν, uti primùm inſtituit Chriſtus, ſervarunt Apoſtoli, & tenuit antiqua Eccleſia. Nam quod hîc iterum ingerit Mülmannus, *communionem eorum, qui interſunt miſſæ ſacrificio, ſe habere merè per accidens*, *id quidem fruſtra dicitur*. Neq; enim nos dicimus ideo quenquam teneri communicare divino præcepto, quia intereſt miſſæ, etſi id olim præceptis quibusdam Eccleſiaſticis ſtatutum erat, ſed divino præcepto miſſam celebrari non debere, niſi pro communicaturis, quâ iñ ſententiâ nos confirmat conſtans & perpetua veteris Eccleſiæ praxis. Neq; enim uſpiam apud veterum quenquam habitas quandoq; ſynaxes ſine communione legimus. Th. 14. Th. 14.

XLII *Augeſcente tamen*, pergit Mülmannus, *presbyterorum numero, & refrigeſcente fidelium devotione accidit ſæpius, ut miſſæ ſine communicantibus peragerentur.* Fateor factum, ſed nego illis ſeculis factum, quibus Mülmannus exiſtimat. Langueſcens autem fidelium devotio non fovenda erat, quod fit tantâ miſſarum ſolitariarum multitudine, ſed excitanda frequẽtibus monitis, precibus, minis, pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, eo modo quo B. Chryſoſtomus ſuis auditoribus languorem excuſſit. Illa verò tanta & tam copioſa presbyterorum multitudo cui demum fini introducta eſt? Cur non reſtringitur? Longè minor eorum numerus in veteri Eccleſiâ, non quòd non eſſent digni iſthoc munere, ſed quòd non ita facilis ad eum ordinẽ cuivis pateret aditus, neq; ꝓbarent veteres tam ingentẽ eorũ numerũ. Unde Juſtinianus Imp. jam olim presbyterorũ numerũ in Eccleſiis urbis Conſtantinopolitanæ, quũ exorbitaſſet, determinatũ eſſe juſſit. Ne hodie quidẽ in Romanâ Eccleſiâ ꝓbatur omnibus illa ingens ſacerdotum multitudo, & ex Dominico à Soto colligi- Th. 14. Authent. Collat. 1. t. 3. l. 7. de juſt. & jure, q. 6. a. 2.

figitur. Alberti verò Pighii hæc sunt verba sub initium Controversiæ quintæ: *Sacerdotis contemtus & irreverentia apud populum primùm ex multitudine nimiâ, deinde ex indignitate, postremò ex vitâ palam sceleratâ scandalosâq; multorum hujus sacratissimi ordinis mihi pendere videtur.* Nec dubium est, quin illa sacrificulorum multitudo immensæ huic missarum multiplicationi ansam dederit. Hinc illæ tot missæ quæstuariæ, de quibus cùm multi alii, tùm inprimis passim conqueruntur Alvarius Pelagius, & Guilielmus Peraldus, libro, qui inscribitur summa virtutum & vitiorum, Tom. II. Tract. IV. de avaritiâ. Part. II. capp. VII. X. & XI. Statuant igitur præsides Ecclesiæ modum aliquem missarum & sacerdotum multitudini, nec erit quisquam, qui de missarum quæstu inposterum conqueri poterit. Veteres moderatum voluerunt esse presbyterorum numerum: Monachi quoque omnes initiò laici erant, pauci dein admodum ex illis presbyteri facti, neque ubi plures, seorsim tamen singuli rem divinam facere soliti sunt. Testem do Palladium, qui de cap. 7. insigni quâdam Ecclesiâ in Nitriæ monte hæc tradit: *Sunt autem octo presbyteri, qui præsunt huic Ecclesiæ, in quâ, quamdiu vivit primus presbyter, hujus Ecclesiæ, nullus alius offert, nec judicat, nec habet sermonem, sed tacitè solùm cum eo sedent.* Si igitur plures in unâ Ecclesiâ presbyteri, quid opus est singulos seorsim rem divinam facere, communicent corpori & sanguini Dominico cum eo, qui missam celebrat, quod olim in veteri Ecclesiâ per complura secula factum ex scriptoribus Liturgicis apertè constat. Moris enim tum erat communicare primùm presbyteros, tum diaconos & reliquos clericos, demum ordine cœteros fideles.

XLIII. Ne verò quis existimaret nulla esse Mülmanno veterum testimonia, repetit ex Bellarmino illas sæpius protritas & explosas conjecturas. Juvat tamen audire iterum interpolatas à Mulmanno. Primam suppeditat Concilium Nannetense, quod seculo nono habitum esse diximus, quo missas ἀκοινωνήτως celebrari cœptas, neque nos inficias imus, & facilè probari potest cùm ex hoc Concilii Nannetensis canone, tùm etiam ex aliis aliorum conciliorum eodem tempore habitorum canonibus. Num verò probant hæc concilia illam, quæ tum irrepserat consuetudinem? Nequaquam. Ajunt esse *ridiculam, superstitiosam, & exterminandam ex monachorum monasteriis*, in quibus invaluerat. Mulmannus verò, cui præsens tantùm rerum facies ante oculos versatur, persuadere nobis nititur, non velle canones, *ut adsint, qui communicent, sed tantùm, qui respondeant*, atque ideo *non missas sine communicantibus, sed sine ministris improbari, quum nulla communionis in missâ instituenda mentio fiat.* Sed non sunt hæc tanti, ut ea propter à receptâ sententen-

Th. 17. 18. & 19.

tentiâ discedere opus sit. Apertior est canon XLVIII. Concilii Parisiensis, quàm, ut tam facilè perverti possit. Quid enim quæso opus erat provocare synodum ad primam institutionem, quid ad documenta Apostoli, & Apostolicam & Ecclesiasticam autoritatem? Non enim verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, requirunt, ut adsint, qui respondeant, sed qui accipiant & manducent. Ita enim habent verba, *Et dedit discipulis, dicens, accipite, edite, bibite, Hoc facite.* Num Christus, cùm hoc sacramentum institueret, ministros habebat, qui responderent & ministrarent? Equidem vel nullum omninò adesse necesse est, vel si propter hæc verba non licet sacerdoti *missarum solennia frequentare,* ut sancit Parisiensis synodus, ideo non licet, quia adesse necesse est, qui corpori & sanguini dominico communicare parati sint. Lynceus certè ille fuerit, qui ex verbis Institutionis & Pauli documentis, probare voluerit, non licere missam absque ministris, qui tantùm respondeant, celebrare. Sunt inter Romanæ Ecclesiæ doctores nonnulli, qui docent, non oportere missam, nisi uno saltem præsente, qui respondeat, celebrari, sed hoc argumento, quod tamen præcipuum esse debebat, nunquam utuntur.

XLIV. Meminêre autem hæc concilia responsionis tantum, quia ex verbis illis Ecclesiasticis salutatoriis & resalutatoriis evidenter constabat, ut omnia ritè fierent, requiri, qui responderent. Deinde, quia illâ ætate receptum erat, ut ministri sacerdoti ministrantes cum eo communicarent. Digna notatu sunt verba Nicolai Cusani: *Hoc singulariter attendendum est, quòd sacerdotes nunquam sine diacono celebrabant, & in omni missâ diaconus de manu sacerdotis accepit Eucharistiam sub specie panis, & sacerdos de manu diaconi calicem.* Et liber, qui Gemma animæ inscribitur. *Episcopus in tres partes oblatam dividit, sibi unâ retentâ, duas diacono & subdiacono tradit.* Non igitur opus erat meminisse communionis. Ministri autem non campanarius aliquis, aut puer, quod deinde invaluit, sed diaconi potissimum, quos ideo administros presbyteri & altaris frequenter appellant veteres, sine quibus ritè missam celebrari non posse, tradit Amalarius, tum etiam subdiaconi & alii clerici, qui itidem ministri altaris appellantur, & nonnunquam etiam, quum aliter non licebat, laici quidam. Theodulphus Aurelianensis Episcopus, in capitulari, quod exstat apud Baronium, Tomo IX. anno DCCCXXXV. & in collectione conciliorum Anglicanorum Henrici Spelmanni linguâ latinâ & Saxonicâ mandat suis presbyteris, ut, si quando ad concilium veniant, *duos vel tres clericos sive Laicos, cum quibus missarum solennia celebrent, secum adducant.* Hi verò & respondebant & communicabant, unde in concilio Altisiodorensi

Ad clerum & liter. Bohem.

c. 55.

l. 2. de off. Eccl. cap. 6.

cap. 4.

can. 19.

 statu-

Tom. 2. Ep. 6. ex Edit. Sirmondi. ſtatutum eſt, ut *clerici jejuni ad miniſterium altaris accedant*, quia ſc. communicaturi erant. Addo teſtem Hincmarum, qui *presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, & cæteros clericos in Palatio Domno Regi, & Domnæ Reginæ ac illorum fidelibus Eccleſiaſtico miniſterio conſulentes*, (ita enim habet inſcriptio Epiſtolæ,) graviſſimis verbis hortatur, ut inpoſterum alieno ſe oſtendant eſſe animo à deprædationibus, quibus nonnulli aulici indulgebant. *Paſcha, quod Dominus in novo myſterio egit*, inquit, *quotidie ſacerdotes immolando, diaconi miniſtrando, ſubdiaconi obſequendo, & cæteri clerici amen reſpondendo celebrátis pleno ore de rapinâ, pleno corde de iniquitate.* Proponit deinde, iis Judæ exemplum, & tum addit: *Væ illi presbytero, væ illi diacono, væ illi ſubdiacono, væ illi clerico, væ illi homini, de quo Ieſus, qui altaribus ſacroſanctis, utpote propoſita conſecraturus munera, adeſſe non dubitatur, adſtantibus ſibi miniſtris cœleſtibus queri cogitur, quod in cœnâ diſcipulis de Iuda dixit, Ecce, inquiens, manus tradentis me mecum eſt in menſâ.* Ex his verbis apertè colligitur miniſtros & clericos cum ſacerdote etiam in quotidianis miſſis corporis & ſanguinis Domini participes factos. Nec conſtat in aliis miſſis illâ ætate aliter eſſe actum.

XLV. Altera conjectura eſt ex Concilii Toletani XII. Canone quinto, quem recitat quoq; Gratianus de Conſec. Diſtinct. II. cap. Relatum.

c. 22. Verba ipſa, quia ſatis nota ſunt, non adſcribo. Walafridus ita breviter. Sacerdos, quoties in die miſſas facit, communicare non omittit. Quod ſi non faciat, canonico eſt feriendus judicio. Quibus verbis vel ad hunc Concilii Toletani canonem alludit, vel ad illum qui exſtat in Conſtitutionibus Caroli M. quo præcipitur, ut presbyteri, qui miſſas celebrant, ſimul communi-

Th. 17. cent, *ut rectè poſſint ducere ſumſimus domine Sacramenta.* Duplex verò hîc eſt Mülmanni error, Primò, quòd *Concilium Toletanum XII. ante annos mille ducentos prope celebratum* dicit. Conſtat enim habitum ſeculo VII. exeunte, anno ejus

Tom. 8. an. 681. App. ſac. Sum. Conc. p. 582. ſeculi XXCI. ut Garſias Loaiſa, qui Concilia Hiſpanica edidit, Baronius, Poſſevinus, & Franciſcus Longus à Coriolano tradunt. Mirum verò, quòd Mülmannus, quum ſingula propemodum verba ex Bellarmino tranſcripſerit, non tamen animadvertit, Bellarminum ipſum dicere, ante annos nongentos hoc concilium celebratum, neque tamen inter Mülmanni & Bellarmini, anno hujus ſeculi XXI. recens defuncti, ætatem trecentorum annorum interſtitium eſt. Deinde, quòd cum Bellarmino, Cotorio, pluribusque aliis exiſtimat, in miſſis illis neminem communicaſſe. Neque enim inde, quòd ſacerdotes, quoties miſſam celebrant, toties communicare jubentur, ſequitur nullum alium communicaſſe. Quin ne veriſimile quidem eſt, ita unquam

quam synaxes habitas, ut corpus & sanguis Domini consecrarentur, nemine tamen præsente, qui sumeret τὰ εὐχαριστηθέντα. De missis autem siccis, quas nauticas etiam appellant, quæ solis orationibus fiunt, Patres hujus concilii non loquuntur. Modus autem loquendi, *Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans participare dignoscitur*, talis non est, ut indicet, neminem alium communicasse, ut ex similibus exemplis patet. Licebat enim Patribus Concilii Toletani ita loqui, quòd æquum esse existimarent, sacerdotem potissimùm præ aliis omnibus participem fieri, quoniam ab aliquot seculis inoleverat, ut is, qui sacrum peregerat, primus corpus & sanguinem Domini sumeret. Neque id tum quidem, quum nulla fieret synaxis sine communione omnium, qui intererant, aliter fieri fas erat. Nescio autem, annon ex his postremis Canonis verbis, *Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi se participem præbeat*, haud obscurè colligi possit, alios quosdam communicasse, & autor est VValafridus, fuisse suo adhuc tempore, *qui sicut in unâ, sic in omnibus, quibus adfuerunt missis in die communicarent.* Quod si Toletana synodus de illâ missarum iteratione loquitur, de quâ sermo est Leoni Papæ Epistolâ XXCI. ad Dioscorum Alexandrinum, uti Hardingus tradit art. XIII. Sect. 8. quid opus est, ut disceptemus, an aliqui communicarint præter sacerdotem? Leonem enim loqui de iterandâ sacrificii oblatione propter communicantium multitudinem in festis solennioribus manifestum est. Moris enim erat illâ ætate, ut festis solennibus quamplurimi ex villis in civitates ad publicas synaxes commearent, uti ex Concilio Agathensi, & pluribus aliis discimus.

c. 22.

can. 21.

XLVI. Quod Paulinum attinet, Johannem Eleemosynarium, & Gregorium Nazianzenum, non debebat Müllmannus tam confidenter iterum proferre, de quibus tum in exercitatione nostrâ satis dictum erat, tum etiam nullius pene sunt momenti. Quid enim his aliud agit, quàm quod prodit causam. Ego verò iterum respondeo, quod Espensæus: *Non video, qui hæc probent, aut etiam ad missas privatas pertineant.* Sunt in promtu exempla Luciani martyris, Cassii Narniensis, & aliorum ejusdem ætatis, qui in privatis locis, non soli tamen, sacra peregisse dicuntur. Damascenus quoque in historiâ de Barlaamo & Josaphato autor est, Barlaamum, *quum incruenti sacrificii sacrum in Iosaphati cubiculo peregisset, immaculata Christi mysteria ipsi impertivisse.* c. 19. c. 39.

Et

Et iterum: *Iosaphatum ad quosdam fratres longè ab ipso dissitos,* (erat enim in eremo) *amandat, ut ea, quæ ad SS. sacrificium accommodata erant, adferret, quæ quum attulisset, incruentum sacrificium Deo obtulit, perceptisq; Christi ab omni labe puris mysteriis Iosaphato item impertivit.* Nihilominus tamen, si forte veterum quispiam dicit, à presbytero aut Episcopo privatim in oratorio aut Episcopio sacrum celebratum, protinus clamant homines importuni, ea missa privata aut solitaria, haud aliter atque nonnulli tot se testimonia apud veteres pro communione sub unâ reperisse existimant, quoties à quoquam corpus Christi nullâ mentione sanguinis aut vini simul factâ sumtum legunt. Quid verò opus erat veteres, quoties habitæ συνάξεως meminerunt, meminisse itidem ministrorum altaris, aut aliorum quorundam, quòd simul communicaverint. Non igitur existimandum est, solum fuisse Johannem Eleemosinarium, quando sacrificium in Episcopio obtulit. Idem enim Leontius, (de quo autore nunc non est dicendi locus) meminit & principis & ministri, (unum enim consultò sibi adsciverat,) qui sacra cum ipso in oratorio peregerint, & orationem dominicam clarâ voce pronuntiaverint. Non video, quare negari debeat hos cum ipso communicasse, etiamsi taceat Leontius.

cap. 38.

Th. 22. XLVII. *Non tamen, si aliquando id factum est,* inquit Mülmannus, *illicò sequitur, quotiescunq; in privatis locis Eucharistia olim celebrata est, ita factum fuisse, i. e. interfuisse, qui communicarent.* Quare verò hoc non sequitur? Ideone, quia tacent de eo scriptores, At verò tacent etiam, quod presbyter ipse communicaverit: Ergone inde sequitur sacerdotem ipsum non communicasse? Constat fuisse illâ ætate communi consuetudine receptum, ut communicarent, initiò quidem omnes, quotquot aderant, deinde verò aliqui. Constat itidem ex pluribus exemplis, si quando habita est in loco privato σύναξις, etiam paucissimis præsentibus, non tamen eam sine communione alterius, peractam. Inde prudenter colligitur, ita semper actum, dum exemplum aliquod affertur solitariæ communionis. Neque tamen postulo, ut disertis verbis dicatur, solum sacerdotem communicasse, afferatur tantùm exemplum, ex quo consideratis circumstantiis id colligi possit. Ejusmodi verò nec Mülmannus afferre potuit, nec quisquam alius. Idem igitur judicium

l. 9. Conf. c. 12. este de eo, quod Augustinus memorat *oblatum pro matre suâ sacrificium, cadavere juxta sepulcrum constituto,* similiter quod Possidius in vitâ Augustini *pro commendandâ ejus corporis depositione sacrificium ipsis coram positis oblatum* memo-

l. 22. de CD. c. 8. rat, aut quod idem Augustinus narrat factitatum in fundo cujusdam Hesperii tribunitii viri, ad fuganda, quibus locus ille infestabatur, spectra. Neque enim rectè ex his probaveris non esse communicatum, quia id non memo-

brant Augustinus & Possidius, nisi etiam quis admittere velit, neque sacerdotem ipsum communicasse. Neque enim vel id solùm Augustinus dicit.

XLIIX. Communionem autem aliâs fieri solitam in sacrificiis pro defunctis colligitur ex canone LIIX. in collectione capitulorum Græcarum synodorum Martini Bracharensis, qui ita habet: *Non oportet clericos ignaros & præsumtores super monumenta in campum mysteria portare, aut distribuere sacramenta, sed aut in Ecclesiâ, aut basilicâ, ubi martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis offerre oblationem.* Quomodo verò distributa sunt sacramenta, si solus presbyter particeps fuit? Quales autem olim fuerint illæ oblationes, quas in quibusdam locis, (*nec enim in plerisq; locis talis est consuetudo*, secundum Augustinum lib. VIII. de Civ. Dei, cap. ult.) offerebant super memorias martyrum & defunctorum, *pro spiritus dormientium*, quomodo institutæ ibi epulæ, & *communicatio quoq; corporis dominici*, docet Augustinus, libro VI. Confess. cap. 2. & Epist. LXIV. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, quâ monet eum, ut emendet in Africâ quoq; illam *fœditatem & turpitudinem*, quam jam antè Ambrosius Mediolani, quòd *illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima*, sunt hæc verba Augustini, penitus sustulerat. Idem autem quod de communione in sacrificiis pro defunctis fieri solita dixi, constat quoque ex canone XXIX. Concilii III. Carthaginensis qui est XLI. codicis Ecclesiæ Africanæ, excerptus quoque à Gratiano de Cons. Dist. 1. c. Sacramenta. Verba autem Canonis hæc sunt; *Ut sacramenta altaris nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna dominica celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum sive cœterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.* De Christianis omnibus loquitur Canon, non de solis sacerdotibus, omnes enim jubentur jejuni celebrare sacramenta, comunicabant igitur, si vel pransi non essent, vel antemeridiano tempore commendatio defunctorum fieret, vel omnes qui adstabant, aut certè aliqui. Inde forte est, quod Evodius Epistolâ, quæ inter Epistolas Augustini in editionibus per Theologos Lovanienses castigatis est CCLIX. quum de obitu adolescentis, qui ipsi fuerat carissimus, multa dixisset, ita porro de exequiis ipsius ait: *Exequias præbuimus satis honorabiles, & dignas tantæ animæ, nam per triduum hymnis dominum collaudavimus sepulchrum ipsius, & redemtionis sacramenta tertio die obtulimus.* Et verò, quæ ratio, quare præsentes non communicaverint, quum sacrificium oblatum est pro commendatione defuncti, antequam ejus corpus humaretur, uti moris erat in Italiâ, aut post corporis

depositionem, quod in Africâ tempore Augustini in usu fuisse videtur, quum id antea *morante adhuc sepulturâ* factum Tertullianus, libro de Animâ cap. LII. tradat, quum tamen id in aliis publicis fieret conventibus. Quare non perinde hîc locum habeat, quod ait Ludovicus Alcasar: *Quum mentio fit missarum Ecclesiæ primitivæ, innuitur circumstantium communio atque oblatio.* [In cap. 10. Apoc. v. 10.] Fuêre tamen illæ missæ quæ in defunctorum commemorationibus fiebant, minùs solennes, quàm eæ, quæ dominicis festisq; diebus fiebant. His enim populus omnis intererat, illis non nisi, qui exsequias iverant. Unde Concilium Vasense sive Vasatense in Galliâ Narbonensi, illa mortuorum sacra solennibus diei dominicæ, festorumq; missis opponit, & has *publicas* appellat. Neque tamen inde sequitur, fuisse illa sacra sine communione peracta. Jungit enim iis Concilium matutinas quoque & quadragesimales missas, quia nimirum ad eas non fiebat totius populi concursus. Verba Concilii Vasensis hæc sunt: *In omnibus missis sive matutinis sive quadragesimalibus, sive in illis, quæ in defunctorum commemorationibus fiunt semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine quo ad missas publicas dici debet.* Non liquet autem, ad quod Vasatense Concilium, quum tria habita sint, rectè referrè hunc canonem possis. Omnium enim trium conciliorum canones fere iidem sunt.

L. Gregorii verò Nazianzeni exemplum, non satis mirari possum, quare attulerit Mülmannus. Quis enim ex iis Sozomeni verbis, ad quæ Mulmannus respicit, colligere possit Nazianzenum solitarias missas celebrasse. [l. 7. c. 5.] Ita enim habent verba Sozomeni: *Gregorius Constantinopoli, in exiguâ quâdam cellulâ, quæ in domum precatoriam constructa erat, (basilicas enim tenebant Ariani,) cœtus suos colligebat*, ἐν οἰκίσκῳ μικρῷ ἐκκλησίαζε. Ἐκκλησιάζειν autem propriè est conventus agere, Unde etiam Socrates hanc eandem historiam enarrans ait, [l. 5. c. 7.] ἔνδον τῆς πόλεως ἐν μικρῷ οἰκητηρίῳ συναγωγὰς ἐποιεῖτο. Deinde etiam conventum habere Ecclesiæ ad sacramenta celebranda, quod alii dixêre συνάξεις ποιεῖν vel ἐπιτελεῖν, uti scriptores sacri usurpant. Quæso autem, consideret aliquis, an hîc vel suspicio ulla sit, solitarias fuisse συνάξεις, quas in hoc οἰκητηρίῳ habuit Nazianzenus. Sed verissimè Gabriel Albaspinæus. [lib. 1. Obs. Eccles. c. 1.] *Animus se à consuetudine rerum, quas videt, quas cernit, quibus utitur, non patitur, abduci, neque potest mente complecti, earum, quarum nomen usq; adhuc permansit, vim quoq; & naturam non permansisse.* Quia enim sacra pleraque & forsitan omnia, quæ in oratoriis & sacellis fiunt, solitaria sunt, non possunt mente complecti, quomodo non fuerint eadem, quæ antiquitus nonnunquam in privatis locis celebrata esse scriptores Ecclesiastici tradunt.

LI. Idem judicium esto de quartâ conjecturâ. Nihil enim verius est, quàm vulgari hyperbole, & ipsi quoque Chrysostomo aliàs usitatâ B. hunc Doctorem uti, quum ait: εἰκῆ θυσία καθημερινὴ, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων: *Frustra sacrificium quotidianum, frustra adstamus altari, nemo est, qui participet.* Nihil frequentius est etiam in familiari sermone ejusmodi aliquâ hyperbole. Cur verò hoc loco hyperbolen in Chrysostomi dictione nolunt agnoscere, cujus usum ipsi aliàs esse familiarem docent, & de hâc ipsâ homiliâ dicit Fr. Suaretz, *Multa in eâ per exaggerationem concinantium more dicta videri.* Dixeram ego, ut compendium verborum facerem, ex Liturgiâ, quæ Chrysostomo tribuitur, probari facilè posse, vel clericos quosdam, qui ipsi ministrarent, quoties sacra perageret, fuisse præsentes. Ita enim ait: *Diaconi portant discos cum sacramento ad sacrum altare, reliqui portant calices,* & iterum, *Diaconus pergreditur ad januam, & elevatum poculum ostendit populo dicens, cum timore Dei & dilectione accedite.* Respondet Mulmannus, *hoc in missa solennioribus tantùm factum.* Sed Chrysostomus non instituit Liturgiam, si quàm instituit, quæ in missis festis tantùm solennioribus obtineret. In omnibus synaxibus usus erat sacrorum vasorum, ad omnem synaxin invitat populum S. Chrysostomus. Non minùs igitur necessarii ipsi ministri in missis diebus profestis, quàm festis habitis, etsi his sine dubio plures, quòd major populi multitudo ad illam terribilem mensam confluerer. Quod si nondum quis mihi fidem habere voluerit, vel ipsi Chrysostomo credat, qui iisdem homiliis, quibus ait nullum esse, qui participet, meminit sæpius clericorum altari ministrantium. *Praconem,* inquit, *audis stantem ac dicentem,* ὅσοι ἐν μετανοίᾳ ἀπέλθετε & iterum, *Non vides mensam spongiâ circumquaque lavantem ministrum, domum expurgantem, scutellas apponentem, hoc fit inter preces, dum proclamat præco.* Et homil. LXI. ad populum Antiochenum, *Diaconus sublimis constitutus, magnâ voce, terribili clamore, hos vocat, hos arcet, hos pellit & ejicit, hos autem introducit & assistit.* Quid vis amplius Mulmanne? Neque enim arbitror id quoque in dubium te revocaturum, an clerici illi cum Chrysostomo communicaverint corpori & sanguini dominico. Non tamen necesse erat huc redire. Ipse S. Chrysostomus etiam ex populo quosdam communicasse, utrâque homiliâ, (quarum, uti etiam Hom. XVII. in Epistolam ad Hebræos verba pæne eadem sunt,) apertè indicat. Multis quidem hoc probari poterat, sed vel ex illo Diaconi alios

In 3. Tom. 3. Disp. 69. sect. 5.

Th. 20.

Hom. 3. in Ep. ad Ephes.

arcentis, alios vocantis, officio id constat, & ex his Chrysostomi: *Hymnum cecinisti, cum omnibus reliquis ex eorum te numero confessus es, quod non cum indignis abscessisti, Quomodo, quum manseris, de mensâ istâ, non participas?* Observans enim erat Chrysostomus antiqui moris, ut communicarent omnes, qui adstabant, recederent, qui nollent, aut digni non essent. *Cur præco dicit*, (inquit Hom. LXI. ad populum Antioch.) *abite, qui orare non potestis? Tu verò stas impudens, At ex his non es, sed ex his, qui possunt esse participes.* Et iterum, *Omnis qui mysteriorum participatione non fruitur, impudens & procax est, si adstat. Propterea qui sunt in peccatis, priores ejiciuntur.* Sed quid opus est pluribus in re adeo manifestâ, testimoniis. Clamat Chrysostomus & indignatur, non omnes, qui aderant, ad mensam Domini accedere, sed impudenter & procaciter nonnullos tantùm adstare, monet, attendant ad vocem præconis, qui facessere jubeat, quotquot indigni sunt. Hæc tamen pro missis solitariis facere, ex his, Chrysostomum solum sacra symbola sumsisse, nemine neque ex clero, neque ex populo simul communicante, probare volunt Pontificii, quàm rectè & prudenter, judicent, quibus sana mens est. Ego quidem arbitror, nihil posse ex omnium antiquorum scriptis afferri, quod minùs pro missis solitariis faciat, quàm illæ D. Chrysostomi homiliæ. Quid enim fere missa illa, quam solitariam tamen esse volunt, commune habet cum eâ, qualis hodie in Romanâ Ecclesiâ peragitur. In illâ adsunt clerici
Anno 57. omnium ordinum, & laici complures, diaconi apponunt scutellas, quas communicantium tantùm usui inservire tradit Baronius: Populus omnis ad integram sacramentorum perceptionem suavissimis à Diacono verbis invitatur: Non solus Chrysostomus totum haurit, quod est in poculo, sed ad ejus quoque communionem plebem omnem invitat. *Est* enim, inquit Homiliâ XVIII. in posteriorem ad Corinthios, *ubi nihil differt sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege partem quidem comedat sacerdos, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos: Nunc autem non sic, sed omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum.* Denique non patitur D. Chrysostomus adesse ullum, qui in pœnitentiâ est, non otiosum ullum, & spectatorem, omnes, qui adstant, vult corporis & sanguinis Domini fieri participes. Judicet igitur Mülmannus, quantum ab illâ Eucharistiam administrandi ratione, quam Chrysostomus his homiliis tradidit, hæc quæ nunc ferme in Romanâ Ecclesiâ obtinet, abeat.

LII. Quum igitur B. ille Doctor clamet, frustra esse quotidianum, sacrificium, frustra quotidianam oblationem, quia suos tantùm clericos, &

è po-

è populo pauciores, quam par erat, in communione habebat socios, quum plebs omnis communicare deberet, uti ait Homiliâ XXVII. in I. ad Corinthios: *Sacramenta semel proposita non auferuntur, donec tota plebs communicaverit, & partem illius spiritualis cibi ceperit*, quid putas dicturum Chrysostomum, si hodie videret tot missificantes sacerdotes, alium in oratorio, alium in angulo basilicæ, alium in sanctuario ad summum altare, alios ad reliqua templi altaria, cum quibus nullus omnino communicat, non ex populo tantùm, sed etiam ex presbyteris & ministris, qui satis frequentes interdum circumstant, præsertim si Episcopus aliquis rem divinam faciat? Erumperet utique & justissimè quidem iterum in has voces, *Frustra sacrificium quotidianum, frustra quotidiana oblatio.* Forsitan enim rarò auditur hæc vox in Ecclesiâ Romanâ: *Frustra stamus ad altare, nemo est, qui participet.* Nonnunquam autem, cùm olim, tùm verò etiam adhuc hodie existimaverim illas auditas voces, Frustra stamus, frustra exspectamus, nemo est, qui præbeat argentum, qui missam pro se legi velit.. Non omnibus hoc imputo, procul id à me absit, sed iis, de quibus conqueruntur ipsi Pontificii Doctores, *qui ex quæstu missarum vitam sibi mendicant*, ut Patres Concilii Senonensis ajunt, etsi & illis non desunt interdum patroni. Num verò alias putabimus esse voces mercenariorum illorum sacrificulorum, de quibus Molinæus αὐτόπτης ait, quod Parisiis in foro, la, Greve, ante cœmeterium S. Johannis toto antemeridiano tempore suspensô animo præstolentur, dum rogari à quodam, aut potius conducti missam aliquam properante voce demurmurent, vitam ex hoc quæstu tolerantes, quorum sæpius se misertum esse scribit Molinæus, cui, quare fides hâc quidem in re non sit habenda, causa nulla est. cap. 20. Nov. Pap. Cont. 13. c. 1..

LIII. Quid verò ad hæc Mülmannus ait: *Distinguere*, inquit, *oportet duplicem finem, qui in celebratione missæ spectari potest, Unus est, ut totius Ecclesiæ nomine laudetur Deus, reddatur propitius, & nova ab ipso impretentur beneficia, & hic finis est illius principalis, in quantum sacrificium est. Alter finis est, ut cedat etiam in spiritualem fidelium refectionem, quod quia ad essentiam aut integritatem sacrificij non pertinet, non semper & necessariò illam comitatur. Cùm ergo dicit Chrysostomus. frustra esse talem oblationem, solùm vult esse frustra, quatenus ordinatur ad finem posteriorem, licet non sit frustra, quatenus ordinatur ad finem priorem.* Sed frustra hoc dicitur. Sacrificium hîc nullum est, quale Mülmannus tradit. Primarius & principalis finis est, ut fideles victimæ participes fiant. Hâc fini sanxit Servator noster hoc tremendum mysterium. Dum verò sacrificium præparatur, dum manducatur hostia, vel ipsa na[illegible]is ratio dictat, ut Deum laudemus, ut gratias agamus pro accept[illegible], pro morte & passione Th. 39..

filii

filii ipsius, ut eum oremus, quò nobis sit propitius. Quod enim tempus, qui locus poterat esse his precibus aptior? *In manibus est hostia*, inquit D. Chrysostomus, *& omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt angeli, adsunt archangeli, adest filius Dei, cum tanto horrore adstant omnes*, Et iterum, *Annunciatur tunc sacramentum horrendum, quod Deus semetipsum pro mundo dedit, cum illo miraculo tempestive est ille memor eorum, qui peccarunt. Sicut enim quando regum trophaea statuuntur, tunc celebrantur quidem, & quicunque victoria socii fuerunt, dimittuntur autem, qui sunt in vinculis per illud tempus. Vbi autem transierit illud tempus, qui nihil assecutus est, nihil obtinet; Ita sanè & hîc: Trophaeorum & celebrandae victoriae tempus est. Quoties enim inquit, manducatis panem hunc, mortem Domini annunciate.* Et hunc ordinem Christus ipse servari voluit. *Hoc facite*, dixit, quum Eucharistiam institueret, *ad mei commemorationem*, quae verba explicans S. Paulus, *Quotiescunque* inquit, *panem hunc ederitis, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, usquequo venerit.* Nec fere aliter Ecclesia antiqua suas instituit synaxes. Unde tam frequens ibi nominis divini invocatio, toties repetita mortis meritiq; Christi commemoratio, tam frequens quoque gratiarum actio instituta, cujus formulam insignem recitat Clemens, Const. Apost. lib. VIII. cap. XII. Omnis tamen illa aetas ignoravit missas solitarias. Finis synaxium erat communio, huc omnia demum redibant. Facienda enim illa quidem sunt, sed neque alterum intermitti debet, alioquin ne quidem necesse fuerit, vel ipsum sacerdotem consecrantem communicare corpori & sanguini dominico. Fieri enim illa possunt, etiamsi nemo, ne sacerdos quidem consecrans particeps fiat, quum illae obsecrationes sumtionem sacerdotis praecedant. Quid verò futurum est de Apostolis, & iis, qui proximi illis fuerunt, quos Gregorius quidem M. *ad solam orationem dominicam consecrasse*, Walafridus autem Strabo *sine illo multiplici orationum, lectionum, cantilenarum & consecrationum officio*, praemissâ tantùm oratione dominicâ, & commemoratione passionis ejus adhibitâ corpori & sanguini Domini communicasse dicunt. Nunquid verò illi neglexerunt finem principalem? Durum hoc fuerit.

Hom. 21. in cap. 9. Actor.

1. Cor. 11. 26.

l. 7. Ep. 6.

cap. 22.

Th. 20. LIV. Supersunt adhuc duae conjecturae, aequè futiles & incertae, uti priores. Prior ita habet: *Cùm sacerdotes plerique tum temporis quotidie sacrificium obtulerint, aliunde verò Graeci admodum rarò, & non nisi semel in anno communicare consueverint, aliter fieri non potuit, quin sacerdotes absq; populi communione saepius celebrarent.* Supponit duo Mülmannus, plerosq; sacerdotes quotidie sacrificium offerre, & tamen Graecos semel in anno communicare solitos. Utrumque verò falsum est. Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, (Hyppolytum, quia is autor sup-

ſuppoſititius eſt, etſi nec ille quicquam pro Mülmanno facit, omitto,) non dicunt ſacerdotes pleroſque ſacrificium quotidiè obtuliſſe. Neque enim, quia Caſſius Narnienſis Epiſcopus id fecit, aut ſacrificium illud aliquibus in locis, neque enim apud omnes Chriſtianos, ut vel ex Auguſtini Epiſtolâ CXIIX. & Tract. XXVI. in Johannem conſtat, quotidianæ fuêre ſynaxes, quotidie ſacrificium obtuliſſe. Bellarminus non auſus eſt dicere pleroſque ſed multos id feciſſe, quod ipſum tamen verum non eſt, præſertim, ſi per ſacerdotes æquè presbyteros atque Epiſcopos, (communis enim eſt hæc appellatio utrique ordini) intelligat. Conſtat enim presbyteros non ſingulos ſeparatim offerre, ſed, ſi qui plures adeſſent præter eum qui Euchariſtiam confecerat, cum reliquis fidelibus communicare ſolitos, ut ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, Dionyſio Areopagitâ, Cy- l. 8. c. 13.
rillo, apud quem *κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον οἱ τοῦ θεοῦ πρεσβύτεροι*, & cœteris Catech. 5. Myſtag.
ſcriptoribus liturgicis diſcimus, hoc tantùm diſcrimine, quòd ſoli *ἱερατικοί*, ut Concilium Laodicenum ſancit, communicarent intra *θυσιαστήριον*, can. 19.
laici extra. Accedit, quòd pauciores tum adhuc eſſent baſilicæ, in quibus Sacra Chriſtiano ritu fiebant, & ipſimet Epiſcopi tàm in ſermonibus ad populum habendis, quàm in celebrandis corporis & ſanguinis Chriſti myſteriis aſſidui eſſent, ut vel hinc pateat, non potuiſſe tum ſingulos presbyteros ſeparatim ſacrificium offerre, quum presbyteri, ut dictum eſt, in ſynaxibus cum reliquis ex clero & populo fidelibus corpori & ſanguini dominico communicarent. In amplâ urbe Mediolanenſi Ambroſii ætate duæ tantùm erant baſilicæ, una intramurana, altera extramurana, ut ipſe tradit Epiſtolâ XXXIII. & Coſterius in vitâ Ambroſii. In alterutrâ earum ipſe D. Ambroſius quotidie ſacrificium inſtaurabat, ut eâdem Epiſtolâ inquit, *præſentibus presbyteris diaconis, clero & populo*. Quomodo igitur ſinguli ſacerdotes ſeparatim quotidie rem divinam facere potuerunt?

LV. Alterum eſt, Græcos non niſi ſemel in anno communicare ſolitos. Aliquos id feciſſe fateor, pleroſque vel omnes falſum eſt. Inter illos etiam Eremitæ, qui vel rarò, aut verò etiam nunquam per totam vitam corpori & ſanguini dominico communicabant, ab omni civili ſocietate alieni, & ſoli Deo familiares, ut docent illi, qui vitas & hiſtoriam præcipuorum Eremitarum nobis reliquerunt, quos uno volumine ex officinâ Plantinianâ edidit Heribertus Rosweidus. Reliqui in quibusdam Orientis provinciis Chriſtiani, atque illi potiſſimùm laici, diverſimodè communicabant. Ita Chryſoſtomus Ho-

Homiliâ XVII. in Epist. ad Hebræos tradit. *Plurimi ex hoc sacrificio semel toto anno accipiunt, alij bis, alij sæpius. Ad omnes nobis sermo est, non a leo. tantùm, qui in eremo sedent. Illi enim semel in anno participant, fortasse etiam post duos annos* Homiliâ quoque LXI. ad populum Antiochenum increpat eos, qui semel per annum accedebant, & eandem querelam alibi sæpius repetit. Ambrosius tamen, inquit Mülmannus, lib. V. de Sacramentis cap. IV. in expositione cœnæ dominicæ, (quæ eadem sub Augustini nomine, Tomo X. sermone XXIIX. de verbis Domini comparet,) ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt.* Num verò loquitur de omnibus Græcis Ambrosius? Verba certè ejus hoc non satis indicant. Communis enim est loquendi formula, ut si aliquam plures ex gente aliquâ quicquam faciant, dicamus, hoc populus ille facit. Quid igitur vetat iisdem locutum Ambrosium, de quibus Chrysostomo sermo est? De omnibus Græcis, sive Orientalibus, hos enim Græcos appellat, Ambrosii verba non posse accipi, certissimum est. Qui enim aliâs Basilius scribere ausus esset, *quotidie communicare utile quidem esse & præclarum, Cæsareæ autem quater tantùm institui communionem singulis hebdomadibus.* Eremitæ, quorum jam magnus erat illo tempore numerus, potissimum erant, quibus placebat illa rara communio. Horum dein exemplum sequebantur alii quidam. Aliter igitur B. Augustinus loquitur, quum eandem orationem dominicam enarraret. Ita enim ait, de sermone Domini in monte, cap. XII. *Plurimi in orientalibus partibus non quotidie communicant.* De iisdem autem, de quibus Ambrosius & Chrysostomus loquuntur, sermo quoque est Walafrido, quum ait: *Alii, ut ex Patrum collationibus discimus, semel in anno communicandum censebant, ut videlicet diuturnâ præparatione corpus & animum purificantes, tandem ad communionem mensæ cœlestis pertingerent.* Dubitat vir summus, qui se simplicium Verinum nominat, quum forte in judicio de posthumo scripto Hugonis Grotii hunc locum expenderet, quo spectent illa ipsius verba, *ut ex Patrum collationibus discimus.* Forsitan autem, quum hæc scriberet Walafridus, in ipsum Chrysostomum animum intenderat. Is enim sæpius de diuturnâ illâ præparatione eorum, qui semel in anno communicabant, disserit. *Dic mihi, rogo,* inquit, *quum demum annuo revoluto tempore communices, quadraginta dies tibi putas sufficere ad mundationem peccatorum totius temporis, & iterum septimanâ transeunte, tradis te ipsum sordibus primis. Hæc dicens, non ab unâ in anno acceptione vos revoco, sed volo semper vos accedere, sanctis hæc concessa sunt.* Aut verò, quum se ex Patrum collationibus id, quod de annuâ quorundam communione tradit, didicisse Walafridus testetur, ad Cassianum, Chrysostomi olim Diaconum

Th. 20.

Ep. ad Cæs. Patr.

c. 20.

Hom. 61. ad pop. Antioch & hom. 17. in Ep. ad Heb.

conum

conum respexit, qui, Collat. XXIII. monachos, quòd sub prætextu diuturnæ præparationis annum integrum à sanctâ communione abstinerent, graviter reprehendit, & ad frequéntem singulis diebus dominicis corporis & sanguinis Christi communionem hortatur. Illa autem de diuturnâ præparatione opinio causa fuit apud Græcos sive Orientales quosdam annuæ communionis, quæ tamen non omnium mentes persuasit, uti Mülmannus existimat: Quomodo enim semel tantùm Græci quotannis communicaverint, quum exstent Canones Græci, qui volunt, ut fideles omnibus tribus dominicis communicent, etsi illi Ambrosii ætate sunt paullò recentiores. Unde VValafridus ait: *Apud Græcos, qui duos dominicas vel tres sine communione transierint, excommunicari dicuntur.* Etsi igitur quidam in Oriente semel tantùm quotannis communicarunt, non tamen video, quomodo inde sequatur, synaxes in illis locis sine communione aliorum fidelium sive ex clero, sive ex populo fuisse peractas. Videant igitur ipsimet, qui his argumentis, quum alia in promtu non sint, utuntur. Vide Conc. Trull. can. 80. & Balsam. in can. 9. Apost. cap. 10.

LVI. Accedo demum ad ultimam conjecturam, quam his verbis proponit Mülmannus: *Idem haud obscurè colligit, ut bene observat Valentia noster, ex præceptis quibusdam Ecclesiasticis, quæ olim pro variâ ratione temporum data fuerunt fidelibus de communicando.* Quam bene Valentia ex præceptis illis Ecclesiasticis missas solitarias probare voluerit, in exercitatione dictum est, quàm rectè id Mülmannus conetur, alii judicent. Præcepta verò illa secularibus tantùm, aut laicis, & iis quidem non omnibus, sed, qui essent infrequentiores, data sunt. Clericos enim & religiosos frequentissimè, quin etiam quotidie nihilominus communicare solitos jam sæpius dictum est. Deinde in duplici sunt præcepta illa differentiâ. Alia indefinitè sanciunt, ut seculares ter quotannis communicent, uti Synodus Turonensis III. can. L. Concilium Ænhamense Anglicanum Generale can. XX. & Canutus Rex Anglorum Danorum & Norwegarum, qui initio seculi XI. regnum iniit, legum Ecclesiasticorum cap. XIX. Alia tempus quoque, quo id fieri debet, determinant. Ita Fabianus Pontifex in decreto, quod exstat ap. Gratianum de Cons. Dist. II. sancit, *ut laici homines, etsi non frequentiùs, saltem ter in anno communicent, (nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur,) in Pascha videlicet, Pentecoste, & natali Domini.* Sed hoc decretum sine dubio non est Fabiani. Idem tamen cum eo est canon XVIII. Synodi Agathensis apud eundem Gratianum, quem repetit, qui vixit medio seculo IIX. in excerptionibus suis Egbertus Eberacensis Archiepiscopus cap. XXXIIX. Ego verò miror, quare Bellarminus, Hardingus, Valentia, Th. 21. Tom. 1 Conc. Angl. Spelmanni p. 519. p. 548. Conc. Angl. p. 261. l. 2. de miss. c. 9. art. 1. f. 30.

l. 4. disp. 6. q. 11. p. 3. tia, & secutus illos Mülmannus hos canones proferant. An ut probent ex populo quosdam ter tantùm quotannis communicasse, sed hoc nemo nostrum negat. An verò, ut ostendant, ter tantùm quotannis institutam communionem? Sed tum imprudenter agunt, Neq; enim aliud quicquam ex his canonibus colligas, quàm seculares quosdam, si qui essent in cultu divino frigidiores, præceptis Ecclesiasticis compulsos, ter saltem quotannis, & quidem vel certis diebus, vel quandocunque ipsis libuisset, communicare. Id satis ex his verbis probari potest, *si non frequentiùs, saltem ter quotannis*. Reliqui

c. 20. verò communicabant diversimodè, alii sæpiùs, alii rariùs. Fuisse, qui quotidie adhuc communicarent suo tempore, imò sæpiùs de die, testis est VValafridus. Exstant canones, qui volunt, ut singulis dominicis offerant fideles ad altare panem & vinum. Solebant autem plerique, qui offerebant, etiam communicare, idq; primis præsertim seculis obtinuit. Ejusmodi est decretum, quod eidem Fabiano Pontifici imputatur, & similis est canon IV. Concilii Matisconensis secundi. Suo quoque tempore singulis dominicis communionem factam non quidem omnium, sed aliquorum tamen autor est Hincmarus Remensis Archiepiscopus, canone, qui est septimus inter capitula, quæ presbyteris suæ parochiæ dedit, uti ea exstant in appendice ad tomum III. Conciliorum Galliæ, & tomo I. operum Hincmari à Sirmondo nuper editorum. Severinus Binius tribuit Pio I. Papæ, & idem est cum canone IX. Concilii Nannetensis: Verba hæc sunt: *Vt de oblatis, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, convenienti, ut post missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis exinde accipiant.* Quia enim tum adhuc durabat offerendi mos, ut constat ex Amalario, quum desiissent communicare omnes, qui offerebant, placuit iis, qui communicare parati non erant, tum in signum communionis, tum etiam ne fructu omni destituti abirent, eulogias dari. Sed quid opus est pluribus, quum illâ ætate, quâ Fabianus vixit, Romæ longe aliam obtinuisse consuetudinem, & quotidianam communionem in usu fuisse notius sit, quàm ut id hîc iterum probari debeat. Quomodo igitur hinc sequitur, missas solitarias illis seculis in usu fuisse? Videat Mülmannus. Observandum autem, quum populus omnis, secus, quàm ante obtinuerat, communicare desiisset, atque ideo plurimi, vel paullò antè, quàm Catechumeni, aut tamen post missam catechumenorum exirent, visum est nonnullis conciliis è re esse, ut vel in communione saltem precum persisterent, atque deinde benedictionis participes fierent, si qui com-

De Off. Eccl. l. 3. c. 19.

Hieron. Ep. 28. & 50.

communicare corpori & ſanguini dominico nollent. Exſtant de hoc ipſo varii variorum conciliorum canones, & demum in hunc uſum poſterioribus ſeculis ſancitum eſſe videtur, ut εὐλογίαι darentur non communicantibus, de quibus jam diximus, ἀντίδωρα vocant Græci. *Quod reliquum enim eſt panis non conſecrati, peracto ſacro à ſacerdote fruſtratim dividitur populo, iis ſcilicet qui corpori & ſanguini dominico non communicaverint*, ut docet Gentianus Hervetus præfatione in Germani Theoriam rerum Eccleſiaſticarum. Uſus ejus nondum quidem omninò in quibusdam Galliæ locis deſiit, ſed tamen veteris moris veſtigium tantùm retinet. Vide Galla- ſium ad Iren. l. 4. c. 34.

LVII. Hæc ſunt Mülmanni ex veteribus pro miſſis privatis poſita argumenta, ſeu, ut verius dicam, conjecturæ, ſicuti appellat Bellarminus, incertæ prorſus & obſcuræ. An autem argumenta, quæ nos ex veterum ſcriptis in exercitatione noſtrâ attulimus, æquè obſcura & incerta ſint, judicent alii. Mülmannus ne unicum quidem potuit afferre aut exemplum aut teſtimonium cujusquam veterum, ex quo planè conſtet, ſacerdotem aliquando ſolum ſacra peregiſſe. Nos habemus publicam & unanimem univerſæ antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, neque id fere negant adverſarii. Duo tamen objicit Mülmannus. I. nuſquam legi apud veteres, quòd aliter Th. 14. miſſæ ſacrificium fieri neque poſſit, neque debeat, quo commento ſingula ferme, quæ ex veteribus allata ſunt, eludere conatur. II. non poſſe nos antiquæ Eccleſiæ autoritate uti, quum ipſi non retineamus omnia, quæ in primitivâ Eccleſiâ in uſu fuerunt. Exemplo eſſe communionem quotidianam & agapas, in quibus nos Eccleſiam antiquam non imitemur. Quod ad primum attinet, etſi id forte diſertis verbis apud quenquam veterum non legitur, neq; enim ulli fortaſſis in mentem venit, futuros unquam, qui id auſi eſſent, facilè tamen ex verbis, factiſq; veterum probari poteſt, quòd aliter legitimè fieri neque poſſit, neque debeat. Propoſitum autem nobis fuit in exercitatione oſtendere, nunquam per ſex ſeptem ve ſecula fuiſſe aliquam ſynaxin ſine communione habitam. Huic enim tam conſtanti & diuturnæ univerſæ antiquæ Eccleſiæ praxi ſi accedat exemplum & inſtitutio Chriſti, argumentum nobis præbet, cui facilè cedit, quicquid ratiuncularum & conjecturarum à Pontificiis opponitur. Quod ad alterum verò attinet, non par eſt omnium, quæ in primitivâ Eccleſiâ in uſu fuerunt, ratio, atq; ideo obligatio quoq; eadem non eſt. Conſiderandum enim eſt, qd ab initio, & apud omnes obtinuerit. Cōmunio quotidiana non ſemper,

nec apud omnes in usu fuit: Agapæ quoque maturè desierunt, & sæpiùs mutata est ratio instituendorum horum communium conviviorum. Secus se res habet de communione, qualem nos observatam cupimus, & semper illa, & apud omnes omninò Christianos obtinuit: Neque etiam ita in usu fuit Ecclesiæ antiquæ, ut illa eam instituerit, sed accepit à Servatore & Apostolis. Addidit illa dein, prout è re visum fuit, ut omnes, qui præsentes erant, communicarent, invaluitque quibusdam in locis consuetudo, ut quotidie sumerent. Utrumque à Servatore non acceperat, sed ipsa instituit, & ideo, quia non divini, sed humani juris sunt, pro ratione temporis mutari possunt. Non similiter comparatum est cum illâ communione, quam Christus sanxit verbis, *Accipite, edite, bibite*, & suo exemplo confirmavit. Hujus enim constitutionis Ecclesia antiqua quasi interpres quædam fuit, atque adeo suo exemplo, quomodo illa accipienda esset, nos docuit.

LVIII. His ita expositis non difficile erit ostendere, quàm lubrica sint, quæ Mülmannus attulit, ut veterum testimonia eluderet, Primæ sint liturgiæ, quarum aliæ, etsi falsè, Apostolis & Evangelistis tribuuntur, aliæ Basilio & Chrysostomo. An eorum sint, non satis certum est, quin sint interpolatæ, nullum est dubium. De Chrysostomi quidem Liturgiâ liquet, si conferas ea quæ exstant in scriptis B. Chrysostomi de administratione hujus sacramenti cum hâc liturgiâ, quæ ipsi tribuitur. Addo his liturgiis, qui de ordine synaxeos scripsêre, Clementem, Dionysium Areopagitam, Cyrillum Hierosolymitanum, Isidorum, Amalarium, VValafridum Strabonem, & alios, atque, ut paucis dicam, quotquot ex veteribus Margarinus de la Bigne sexto suo bibliothecæ patrum tomo, in quo liturgica collegit, inseruit. Ex his omnibus apertè constat sacerdotem non solitum habere synaxes sine aliorum communione. Meminêre enim clericorum communicantium, & respondentis atque communicantis populi. Quin pleræq; liturgiæ tales sunt, ut non appareat, quomodo solus sacerdos ritè possit ἐπιτελεῖν τὴν σύναξιν, si illas sequatur liturgias. Probatu id facile foret, si opus esset, præstiterunt id jam alii. Mei nunc solùm instituti est excutere, quid Mülmannus ex Bellarmino ad hæc respondeat. Is verò ita ait: *Ideò in liturgiis illis fit mentio distributionis sacramenti, quia semper fieri potest, imò & debet in missis eorum sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, si qui parati sint ad communicandum, non tamen cessandum à sacrificio, si nulli sint, qui communicare velint.* At verò, si existimarunt veteres non cessandum à sacrificio, si nulli sint, qui communicare velint, cur non ita attemperarunt liturgias, ut

conve-

conveniant sacerdoti soli & privatim celebranti. Jacobi sanè liturgia, quæ & Hierosolymitana dicitur, ejusmodi est, ut non possit ejus ritè esse usus, nisi in conventu aliquo. Et idem esto de reliquis judicium. Cur clamat intentâ voce in liturgiis diaconus, *Cum timore Dei, & fide, ac dilectione accedite*, quæ est invitatio ad communionem; aut uti apud Cyrillum, Catech. V. Mystagogicâ, exstat illa ad sacrorum mysteriorum communionem exhortatio, *Gustate & videte, quòd Christus est dominus?* Cur ejecti ex Ecclesiâ catechumeni, energumeni & pœnitentes, certè non aliam ob causam, quàm quod cum cæteris fidelibus non possent esse hujus communionis participes? Et vel ex hâc solâ catechumenorum & pœnitentium dimissione, quæ diu admodum in Ecclesiâ obtinuit, & accuratâ illâ pœnitentiæ publicæ observatione abunde constat synaxes tum nullas sine communione habitas. Quis enim non videt, quum clamaret olim Diaconus, *Qui non communicat det locum*, & *Nemo de catechumenis remaneat*, *Omnes fideles iterum atque iterum Dominum in pace postulemus*, reliquos fuisse, qui communicare parati erant.

LIX. Mülmannus ut declinet vim hujus argumenti, ait factam quidem olim ejusmodi dimissionem, sed in festis & officiis solennioribus, neque habuisse locum in missis quotidianis & dominicalibus. Sed valde fallitur. Ita enim Timotheus Alexandrinus in canonicis responsionibus ait: ἐν τῇ θείᾳ ἀναφορᾷ διάκονος προσφωνεῖ πρὸ τοῦ ἀσπασμοῦ, οἱ ἀκοινώνητοι προέλθετε, οὐκ ὀφείλουσιν οὖν παρεῖναι. *Cùm divinum sacrificium celebrandum est, diaconus denunciat ante osculum pacis, qui non communicatis, discedite, non enim debent adesse.* Non ait, quum sacrificium festis solennioribus celebrandum est, sed ἐν τῇ θείᾳ ἀναφορᾷ, quandocunque illa peragitur. Et quæso, unde probabit Mülmannus, catechumenos & pœnitentes diebus tantùm festis ad Ecclesiam accessisse? quoties enim aderant, toties dimitti necesse erat, quia non licebat ipsis interesse *sacrificiorum orationibus*, ut loquitur Tertullianus, sive synaxis festis diebus fieret, sive profestis. *Quicunque Catechumeni recedite*, clamabat diaconus, *Nullus catechumenorum, sed soli fideles remaneant*, *Si quis catechumenus remansit, exeat forâs*, apud Isidorum, lib. VI. Orig. cap. XIX. Qui igitur potuit dimissio illa diebus tantùm festis esse facta, Neque enim diebus solùm dominicis aut festis ad Ecclesiam accedebant. Chrysostomus ait, *quotidie conventus fieri, quotidie adesse populum.* In omnibus synaxibus oratur pro pœnitentibus & catechumenis, non uti absentibus, sed præsentibus, jubebantur Deum deprecari, capita inclinare, quâ de re multa habet idem Chrysostomus, Homiliâ III. in caput I. Epistolæ secundæ ad Corinthios, & Clemens, Const. Apostol. lib. IIX. cap. VI.

[Margin notes: Th. 26. — l. de orat. 6. ult. — Hom. 29. in Act. Ap. c. 13.]

Th. 26. LX. Augustinus tamen, inquit Mülmannus, sic dicit: *Ecce post sermonem missa fit catechumenis. Non autem quotidie sermo aut concio habebatur, non ergo quotidie exire jussi sunt.* Habet hæc Augustinus Sermone CCXXXVII. de tempore, non verò CXXVII. uti Mülmannus ait, qui verba hæc forsitan aliunde descripsit, nec locum ipsum inspexit. *Exercete vos,* inquit Augustinus, *in hoc fratres mei. Ecce post sermonem fit missa catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis. Scitis quo accessuri sumus, quid prius Deo dicturi sumus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* In eandem sententiam Ambrosius Epist. XXXIII. *Post lectiones,* sc. scripturarum, quæ legebantur è pulpito, *& tractatum,* sive sermonem, *dimissis catechumenis.* Constat igitur Augustini & Ambrosii ætate non ante dimissos è sacris conventibus catechumenos, quàm Episcopus aut presbyter sermonem habuisset ad populum. At verò in quotidianis synaxibus, non semper habitus est sermo, inquit Mülmannus, non ergo quotidie dimissi sunt. Non satis percipio, quid sibi velit Mülmannus. Numquid igitur cum fidelibus perstiterunt? Non arbitror, hanc ejus esse sententiam. Nihil enim poterat ab omni historiâ Ecclesiasticâ dici alienius. Certum enim est ex omnibus scriptoribus liturgicis, & omni reliquâ historiâ Ecclesiasticâ, dimissos semper ex sacris conventibus pœnitentes & catechumenos, & quidem ante munerum illationem, ut nuper quoque admodum contra Josephum Vicecomitem tradidit Leo Allatius. Tanta enim erat apud veteres hujus mysterij reverentia, ut non solùm ingens esse scelus & nefas crederent, si quis forte ἀμύητος sacra symbola vidisset, ut vel ex solâ Chrysostomi ad Innocentium Romanum Epistolâ patet, sed ne quidem verba facerent de hoc sacramento præsentibus catechumenis, nisi obscurius, ut intelligere non possent. Unde, si quando in veterum homiliis sermo incidit de hoc sacramento, ἴσασιν, inquiunt, οἱ μεμυημένοι, ἴσασιν οἱ μύσται, *norunt initiati, norunt fideles, scitis quo accessuri sumus,* aut similibus quibusdam formulis utuntur. Quum igitur non potuerint non dimitti Catechumeni, quocunque demum die res divina fieret, non video, quid sibi demum velit Mulmannus, quum ait, eos non quotidie exire jussos. Neque enim arbitror eum sensisse, non adiisse Catechumenos Ecclesiam, nisi, quum sermo haberetur, atque ideo in missis quotidianis nullâ opus fuisse dimissione, quod nemo tum verba ad populum faceret. Alterum enim falsum est, alterum admodum incertum. Incertum enim est, quod ait Mulmannus, non esse quotidie sermonem ad populum habitum. Ego quidem, an in illis Ecclesiis, in quibus quotidie sacrificium offerri consuevit, uti receptum fuit in Ecclesiâ Africanâ,

De narthece Ecclesiæ veteris n. 11. & 12.

Tom. 7. Savil. 156.

de

de quâ ipse Augustinus ait, *Nos quotidie Sacramentum Domini accipimus*, quotidie quoque Sermo ad populum habitus sit, non satis certò dixerim. Augustinum quidem quotidianum fuisse in sermonibus habendis testantur ejus in Psalmos homiliæ, quin bis uno die Sermonem interdum habuisse ipse autor est Concione II. in Psalmum XXCIIX. Chrysostomus bis singulis hebdomadibus verba ad populum fecit. Ita enim inquit: *Non singulis diebus, sed duobus tantùm, & brevi eorum parte, ut vos labore levemus, hortamur orationi nostræ aures adhibeatis.* Apud Justinum Apologiâ secundâ, & canone Laodiceno XX. quum ordo liturgiæ describitur, fit quoque mentio sermonis τȣ̃ προεστῶτος ad populum. Sed quid opus est, de his nos esse sollicitos. Sive enim quotidie sermonem habuerint Episcopi & presbyteri, sive rariùs, certum tamen est, non minùs catechumenos quàm fideles adiisse quotidie Ecclesiam. Inde enim apud veteres frequens appellatio missæ catechumenorum, & fidelium. Illa fidelibus & catechumenis communis ad offertorium usque missa catechumenorum dicebatur, hæc solis fidelibus propria ab offertorio & deinceps missa fidelium. Nihil igitur intererat catechumenorum, seu quis tractator scripturam ex ambone explanaret, sive synaxis sine concione peragere-tur. Quin diu admodum in Galliâ & Hispaniâ obtinuit, ut ne quidem catechumeni ad tractatus audiendos admitterentur, secus quàm in Africâ, Italiâ & Oriente, ut ex canone XIX. Concilii Laodiceni discimus, obtinuit. Mutavit id dein synodus Valentina seculo VI. in Hispaniâ, & Arausicana I. Seculo quarto in Galliâ. *Inter cætera hoc censuimus esse observandum*, ajunt Episcopi in Valentinâ synodo, *ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in missa catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus Salutaria præcepta Domini nostri IESV Christi, vel sermones sacerdotis non solùm fideles, sed etiam catechumeni ac pœnitentes, & omnes, qui è diverso sunt, audire licitum habeant.* Et Concilium Arausicanum primum can. XIIX. *Evangelia placuit deinceps catechumenis legi apud omnes provinciarum nostrarum Ecclesias. Legi enim hîc non solùm legi est, sed etiam explicari, & Episcoporum expositiones & sermones exaudire*, uti notat in hunc canonem Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus.

l. 2. de Serm. Dom. in monte.

Hom. 23. in cap. 3. Joh.

LXI. Uti autem ex dimissione catechumenorum & pœnitentium facilè colligitur, nullas tum habitas synaxes sine communione, ita idem ex invitatione populi ad comunionem colligi potest, quæ jamdiu in Romanâ

Eccle-

Ecclesiâ usurpari desiit. Quare autem vel solam illam invitationem populi non retinuerunt, ut vel hoc ipso ostenderent, culpam non in sacerdotibus, sed in populo sitam esse? Neque enim propter communicantium defectum illa populum invitandi consuetudo paulatim abrogata esse videtur, ut Mülmannus existimat, sed propter multitudinem missarum, quæ cœpit cum multiplicatione sacrificulorum, altarium, oratoriorum, capellarum & monasteriorum. Ut enim populus invitari possit ad communionem, necesse est eo loco & tempore missas peragi, ut præstò esse possit populus, & parare animum ad manducandum hunc sacrum cibum. Quomodo verò invitabit populum sacerdos, qui in oratorio aut sacello solus sacra peragit? Quomodo invitabit populum, qui sacramentum populo ministrare nequit, quales sunt hodie propemodum innumeri, quibus nulla animarum cura ex officio competit, etsi id vetitum est in concilio Chalcedonensi? Quomodo invitabunt populum sacerdotes, quum communionem certis tantùm quibusdam & constitutis diebus in Ecclesiâ Romanâ institui moris sit, ut Franciscus Alvarez magnatibus Regis Abassinorum, quæ causa esset solitariæ illius communionis, sciscitantibus respondebat, quum tamen missæ quotidie sine numero fiant? Quomodo denique invitabunt populum, qui diversi simul ad diversa altaria in uno eodemq; templo, uno eodemq; tempore diversas missas celebrant? Num omnes clamabunt, *Accedite populi ad communionem*? Intempestivum hoc foret. Nec invitant igitur hodie sacerdotes populum, quum sacrificium offerunt, neque, etiamsi velint, invitare possunt, atque ita sacra peragunt, ut neque velint neque possint quenquam participem facere sacrificii, & tamen identidem optant & vovent, ut adstantes sacramentaliter simul communicent. Quomodo igitur culpa penes populum est? Si quinque vel sex sacerdotes in eâdem basilicâ diversas missas tenent, uti antiquitùs loquebantur, nonne illi unam communem missam poterant celebrare, uti in totâ veteri Ecclesiâ factum est. Quid est igitur, quòd conquerantur de communicantium raritate? Ait Mülmannus, Græcos semel in anno communicare solitos, eo tempore, quo latini communicabant quotidie. Illi tamen invitationem illam ad populum & olim retinuerunt, ut docet Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoriâ rerum Ecclesiasticarum circa finem, & hodienum retinent, quibus in Oriente Chrysostomi & Basilii liturgiæ in usu sunt. Quomodo verò non apud Græcos quoque propter communicantium defectum illa consuetudo desiit invitandi populum? Nimirum, una apud eos missa est, & illa publica, Non singuli presbyteri singulas missas celebrant, non tam immensus apud eos

Can. 6.

Itin. cap. 81.

eos altarium, ſacellorum, & ſacerdotum numerus, nec ideo tanta miſſarum prodigalitas, uti apud Latinos. Age autem, comparetur nunc miſſa veterum, uti ea in antiquis liturgiis deſcribitur, cum illâ, quæ hodie in Romanâ Eccleſiâ ordinaria eſt, (communio enim publica extraordinaria eſt,) & planum erit, quàm ſint diſſimiles. In illâ utique, ut pauca tantùm notem, communis erat ſumtio ſacerdotis & populi, communes utriuſque preces, ut ait Chryſoſtomus, omnes orant, omnes preces offerunt cum ſacerdote, omnes, vel multi tamen denique communicant. Horum verò nihil fit in hodiernis miſſis. Hom. 18. in 2. ad Corinth.

LXII. Aliter canones veteres docent. Ex iis diſcimus id fieri debuiſſe, quod Liturgiæ & ſcriptores liturgici teſtantur factum eſſe. Illi verò ſunt canon Apoſtolicus IX. & X. Canon II. Concilii Antiocheni, qui ab aliis conciliis, ut familiare illis eſt, deinceps ſæpiùs repetitur, & Canon Peracta ap. Gratianum de Conſecratione Diſt. II. qui plenior exſtat in Epiſtolâ primâ Anacleti. Hi canones omnes jubent, ut, quotquot ſeu clerici ſive laici aderant, communicarent. Antiochenus etiam pœnam, ſi qui ſeâ perceptione ſanctæ communionis (cum cœteris ſc. fidelibus) avertiſſet, denunciat. Horum canonum quaſi cuſtodes quoſdam aut νομοφύλακας fuiſſe dixeris diaconos & ſubdiaconos in veteri Eccleſiâ, qui ad januas ſtantes eas aperiri prohibebant, ne quis inde exiret, ut autor eſt Clemens, Conſt. Apoſt. lib. VIII. cap. XI. Nemo verò exiſtimet ideo hos canones à nobis afferri, quaſi omninò velimus, ut illæ veterum ſanctiones, etſi apprimè laudabiles & ſalutares, in uſum revocentur, ut Suaretz nobis imputat: fatemur enim illis contrariâ conſuetudine jam eſſe derogatum, & in liberâ quoque Eccleſiæ diſpoſitione ſitum eſſe talia conſtituere, ſed ut oſtendamus, quæ olim obtinuerit Euchariſtiam adminiſtrandi ratio, & quinam hodie propiùs ad veterum inſtituta & ſanctiones accedant, illine, qui operam dant, ut ſemper aliqui adſint, qui ſimul communicent, an verò illi, qui ita miſſas celebrant, ut nec ipſi intendant quenquam participem facere, nec quiſquam etiam ſimul communicare poſſit. Quod ſi enim cenſuerunt veteres è re Eccleſiæ eſſe, ut omnes, quotquot intererant, participes fierent myſteriorum, quantò magis exiſtimandum eſt, quum illud jam in deſuetudinem abierit, neque ut in uſum revocetur, ſperari debeat, conſentaneum eſſe eorum judicio, ut vel aliqui ſaltem ex iis, qui interſunt, communicent, quàm ut communio prorſus negligatur. In 3. Diſp. 79. ſect. 3.

LXIII. Mülmannus tria reſpondet. I. *Canonem Apoſtolicum & Antiochenum loqui de iis, qui ob aliquam ſuperſtitionem, aut pravam opinionem averſantur* Th. 25.

ſantur ſacram communionem. Quid verò eſt ἀταξίας ἐμποιεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ, ut Canon Apoſtolicus x. habet, quàm inordinatum quid in Eccleſiâ facere. Turbabant autem receptum in Eccleſiâ ordinem, qui non communicabant cum cœteris fidelibus. Eodem ſenſu dixit Canon Apoſtolicus ix. miniſtrum, ſi oblationis factæ particeps non fuerit, αἴτιον βλάβης γινόμενον τῷ λαῷ, *cauſam offenſionis populo eſſe.* In compilatione Canonum, quæ Theodoreto tribuitur, legitur περὶ τῶν μὴ προσμενόντων μετὰ τὰς ἀναγνώσεις τὴν τῶν ἁγίων μετάληψιν. Illi ſcilicet turbabant ordinem Eccleſiæ, refragantes Apoſtolo, qui omnia vult fieri κατὰ τάξιν, quum ſecundum receptum Eccleſiæ morem non communicarint cum cœteris fidelibus, ſed averſarentur κατά τινα ἀταξίαν τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας, nec
Anno 57. num. 157. aliter utrumque canonem accepit Baronius. Deinde ait, decretum illud Anacleti pertinere ad ſolos clericos, & malè ad laicos quoque extendi. Sed
p. 3. q. 80. art. 10. ad 5. parum refert, quomodocunque illud decretum interpreteris. Sufficit, quòd pleríque ex Pontificiis ſecuti Thomam, de communione laicorum accipiunt, quos, quia nos quoque ſecuti ſumus, non debet nobis magnopere vitio verti. Utraque interpretatio probabilis eſt, ſed verior altera, quæ de laicis accipit, pro quâ non minùs & Apoſtolorum conſtitutio, & Romanæ Eccleſiæ conſuetudo militat. Denique ait Mülmannus, *Non tamen prohibent illi canones ſacerdoti ſacrificare, ſi populus non adſit, aut communicare nolit.* Homines profectò importuni. Quaſi verò id omne diſertè & nominatim ſoleat prohiberi antiquis canonibus, quicquid malè & præter ordinem fieri in adminiſtratione ſacramentorum poteſt. Vetant canones, ſi quid à quoquam factum eſſet, quod emendandum erat. Oſtendant igitur, habitas interdum illâ ætate ſynaxes ſine communione, atque ſic ſatis rectè forſitan colligent, legitimas eas eſſe quum neque antiqui Eccleſiæ Doctores, neque concilia antiqua improbaverint, quæ complura tamen ſicubi aliqua digna emendatione in adminiſtratione Euchariſtiæ irrepſerant, correxerunt. Quomodo verò poterat prohiberi ſolitariarum miſſarum celebratio, quum ne quidem antiquis in mentem venire potuerit, talem aliquando conſuetudinem invalituram, quum illâ ætate, quâ canones, de quibus ſermo nobis fuit, promulgati ſunt, communicarent omnes, quotquot aderant; quod inſtitutum deinceps quoque aliquandiu perſeveravit, ut forte nullâ poſſit dari melior ratio dextrè interpretandi iſtos canones, quàm ex illius ætatis ſcriptoribus, qui tradunt, ita ſynaxes veteris Eccleſiæ fuiſſe habitas, ut dimiſſis iis, qui perceptione corporis & ſanguinis domini indigni erant, reliqui omnes communicarent.

LXIV.

LXIV. Locus insignis est apud Tertullianum, libro de Oratione cap. ult. *De stationum diebus*, (stationes autem ipsi sunt jejunia, diebus Veneris & Mercurii haberi solita,) *non putant*, inquit, *plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit, accepto corpore Domini.* Quia enim receptum erat in Ecclesiâ Africanâ, ut communicarent omnes, quotquot intererant celebrationi cœnæ Dominicæ, plerique putarunt satius esse non intervenire sacrificiorum orationibus, quàm jejunium solvere, accepto corpore Domini. Neque enim licebat non accipere, si præsentes essent. Tertullianus igitur non suadet, ut vel adstent otiosi, vel exeant ante communionem, quod utrumque deinde inolevit, sed hortatur, ut accedant, & accipiant quidem Eucharistiam, sed reservent, & domi sumant, jejunio finito. *Accepto corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est*, inquit, *& participatio sacrificii, & exsecutio officii*, scil. jejunandi. Similia, ex quibus de synaxibus veteris Ecclesiæ judicium facere licet, exstant apud reliquos illius ætatis scriptores, uti Justinum, Martyrem, Clementem Alexandrinum, Cyprianum, & alios, qui deinceps vixerunt. Inprimis notatu digna sunt, quæ habet Augustinus Epistolâ LIX. solutione quæstionis quintæ, ex quibus haud obscurè colligitur, in omnibus synaxibus panem ad distribuendum esse comminutum. Sed quid opus est pluribus, quum multi, ita olim quidem actum esse fateantur. Huc siquidem faciunt, quæ habet Innocentius lib. VI. mysteriorum missæ, cap. V. liber, qui Gemma animæ inscribitur, cap. LIIX. Thomas, p. III. q. XX. art. V. ad 5. Durandus, lib. IV. Rationalis divinorum officiorum. Belethus in expositione canonis cap. XLVIII. & alii recentiores. Unius Jodoci Clichtovæi verba adscribo, is ita ait: *Ritus ille, quo Sacerdos sacra faciens adstantibus laicis tradit Eucharistiæ sacramentum, quoties ea celebrat mysteria, antiquus est, & primitivæ Ecclesiæ consuetudini conformis, quâ fideles quotidie communionem Eucharistiæ sumebant, secundum illam Calixti Papæ sanctionem de Cons. Dist. II. Peractâ, &c. Et in hujus moris repræsentationem adhuc quotidie pax in missâ populo adstanti datur, quæ quodammodo vicaria est illius quotidianæ communionis.* Pax autem illa vicaria tabella est, quam Pacem appellant. Subdiaconus dat eam osculandam accedentibus laicis, ut tradunt Baronius & Bartholomæus Gavantus. Quod autem hodie vicarium communionis esse volunt, id in veteris Ecclesiæ synaxibus symbolum quoddam communionis erat, *quum osculum*, non quidem tabellæ, illud enim veteri Ecclesiæ prorsus fuit incognitum, *eo tantùm nomine permitteretur, ut ad communionem fideles præparentur*, verba sunt Episcopi Aurelianensis. Addo his Baronium, qui occasione cap. II. Epistolæ primæ ad Corinthios,

Elucid Eccles. p. 3. p. 29.

Anno 45. n. 26. Comm. ad Rubr. Miss. p. 2. tit. 10. lib. 1. Obs. c. 17. Anno 57. n. 146.

 anti-

antiquum, ut ait, *ritum in conficiendâ, offerendâ, ac in populum distribuendâ Eucharistiâ* describens, de communione ipsâ ita ait: *Sic oblato sacrosancto illo, ac per omnia admirando sacrificio, sacerdos prius, ac mox deinde cuncti fideles participant, atque communicant, secundum illud ejusdem Apostoli, ibidem addentis: Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est*, nec ullam in sequentibus synaxeos sine distributione mentionem facit. Accedit denique ipsemet Mülmannus, quum verum esse fatetur, quod dixeram ex Ludovico Alcasare, *cùm mentio fit missarum Ecclesiæ primitivæ, eo ipso innui circumstantium communionem atque devotionem.* Quum igitur & Salvatoris nostri institutio, & antiquæ Ecclesiæ consensus pro nobis faciant, quid demum peccavimus, quòd Christi & universæ antiquæ Ecclesiæ exemplum, quàm particularium quarundam Ecclesiarum consuetudinem non bonam, nec à laudatis initiis profectam, maluerimus imitari?

LXV. Quod si vos hæc non movent, moveat vos tamen, quæ etiamnum in Romanâ Ecclesiâ obtinet, liturgia, ex quâ, quis aliter poterit colligere, quàm actionem illam sacram publicam & solennem esse debere, nec ab uno quopiam & solo sacerdote ritè peragi posse. Pluribus id quidem probari poterat, inprimis tamen id ex his, & similibus salutationibus & orationibus, uti *Dominus vobiscum, Sursum corda, Habemus ad Dominum, Orate fratres, Memento Domine circumstantium*, &c. *Sacramenta quæ sumsimus*, &c. *Ut, quotquot ex hâc altaris participatione sumserimus*, &c. liquet. Ex his tamen alia aliis facilius ad missas ejusmodi solitarias accomodari possunt, etsi omnia, si rectè attendas, missis tantùm publicis conveniunt. Detur canon missæ alicui experti hujus mysterii legendus, non is utique aliter respondebit, quàm requiri aliquos qui cum sacerdote orent, qui eum circumstent, qui simul cum eo sumant corpus & sanguinem Domini, & pro illâ communione simul summo numini gratias agant. Hæc enim omnia manifestò in canone missæ continentur. Exercuit jam olim hæc controversia ante complura secula multorum ingenia. Responderunt varia, nonnulli propemodum ridiculè, ut hinc facilè pateat, in quantas angustias conjecti fuerint. Pleraque, quæ huc faciunt, in exercitatione allata sunt, quæ hîc repeti operæ pretium non est. Expendi quoque breviter, quæ à nonnullis afferuntur, ut ostendant, rectè quoque illa omnia, à sacerdote, qui solus sacra peragit, dici posse, etsi pleræque rationes adeo nullius sunt momenti, ut eas citra præjudicium audivisse, ad confutandum sufficiat. Audiamus nunc, quas
Th. 30. affert Mülmannus, etsi illæ nihilo sunt meliores. Ita verò ille. *Ostendi facilè potest, rectè ista omnia sic dici, Nam 1. rarissimè accidit, ut præter ministrum nemo*

nemo a[illegible] tamen si præsens, ac proinde meritò dicere potest sacerdos, Orate fratres, Dominus vobiscum & similia, quia ordinariè, & ut plurimùm plures adsunt, II. Licet etiam contingat, unum solum ministrum assistere, adhuc tamen ille plurium, Ecclesiæ scilicet & populi personam sustinet. De priori non sum sollicitus, viderit Mülmannus, alterum verò, quam lubricum est, quàm procul abest à veteris Ecclesiæ sensu. Plebem ajunt veteres, admoneri, plebem respondere, quum Sacerdos dicit, *Sursum Corda*, & respondet plebs, *Habemus ad Dominum.* Ita Cyprianus, sermone de Oratione dominicâ num. XXII. ait, aut *quum bene precatur sacerdos populo*, aut *populus sacerdoti*, ut ait Chrysostomus. Uti enim populus olim salutabatur, ita quoque populus respondebat, Hodie neque adest sæpe populus, qui salutari possit, neque si adsit, respondere potest, quum sacerdotem salutantem non intelligat, & inde primùm arbitror natam opinionem, ut diceretur minister populi personam sustinere, quum populus ignotâ linguâ salutanti sacerdoti, nisi per ministrum respondere non posset. Deinde, si minister in istiusmodi solitariis missis, sive sit campanarius aliquis, seu puer, seu fœmina, nam & de eâ disputabant, an ministri atque ita etiam Ecclesiæ personam sustinere possit, personam populi gerit, cur solùm respondendi officium ministro relinquitur, partes autem potissimas, quæ sunt, preces cum sacerdote jungere, & Deo offerre, sumere dein corpus & sanguinem Domini Sacerdos sustinere dicitur? Cur orat Sacerdos, *memento Domine circumstantium*, illorum sc. quos salutaverat, quique responderant: Per circumstantes enim solus minister intelligi nequit.

Hom. 18. in 1. ad Corinth.

LXVI. Quod si verò demus, ministrum populi personam sustinere, numquid ideò plurali numero salutandus est? Azorius illud, quòd de ministro Ecclesiæ personam sustinente dicitur, non videtur probare. *Alexander & S. Thomas*, inquit, *opinantur Sacerdotem ita loquentem cum Ecclesiâ sermonem habere, cujus personam gerit minister ille, qui sacerdoti sacrificanti inservit. Sanè retenta sunt verba antiqua ob honorem & venerationem antiquitatis, & quum ita loquimur, mentem aliò convertimus, ad priscum illum Ecclesiæ morem, cujus memoriam revocamus.* Hæc Azorius, quæ nunc expendere non licet, judicabunt facilè, quam lubrica illa sint, quicunque partium studio non nimium sunt dediti. Quicquid verò sit, id certum tamen est, quæcunque afferuntur interpretationes, eas omnes esse præter intentionem eorum, qui primi in hâc sacrâ actione illas Ecclesiasticas salutationes & orationes adhiberi voluerunt. Quinam autem illi fuerint, non satis constat, quin antiquissimi sint, nullum est dubium. Ex eorum enim mente ex primò ad

l. 10. Inst. moral. c. 19.

 plures,

plures, & quidem tum præsentes referuntur, adeoque non satis conveniens est, si eædem usurpentur uno tantùm præsente, quo facit decretum Soteris, de Cons. Dist. 1. quo permotum Hugonem sensisse ait Azorius duos oportere præsentes esse in Missæ sacrificio. De sententiâ autem illius Orationis, quum orat Sacerdos, *Orate fratres*, satis constat ex ordinario missæ. Ita verò ibi legitur. *Postea Sacerdos osculatur altare, & versus populum dicit, Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, Patrem omnipotentem. Circumstantes respondent, Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis sui.* Quod igitur intentio sacerdotis apud omnes fideles dirigi debet, id novũ est, & propter missas solitarias inventum. Circumstantes, qui respondere debent, illi fratres sunt, quos orare jubet Sacerdos, ut suum & ipsorum sacrificium acceptabile sit domino. Unde quoque sacerdos, quum offert Deo, *offerimus*, ait, quum & ipse & populus simul offerre preces summo numini debeant.

LXVII. Quicquid autem sit de his precibus, quomodocunque illæ demum solitariis missis aptentur, accommodari tamen rectè nequeunt, quæ includunt sumtionem aliorum præter sacerdotem, quales sunt, *Quotquot ex hâc altaris participatione sumserimus*, &c. *Quod ore sumsimus*, &c. *Sacramenta, quæ sumsimus*, & similes. Respondet Mülmannus, *Quum sacerdos sit minister Ecclesiæ, & in personâ omnium, ut loquitur S. Thomas, corpus & sanguinem Domini offerat & sumat, qui ini possit dicere in numero plurali, Sacramenta, quæ sumsimus?* Sed, quid hæc sunt, nisi ludicra quædam subterfugia. Antè dicebatur minister populi personam sustinere, Nunc, ubi de sumtione sermo est, sacerdos personam populi gerit. Cur igitur non semper numero plurali utitur sacerdos, si in personâ quoque populi sumit? Quum verò interdum numero singulari, interdum numero plurali utatur, manifestum est, requiri, qui præter sacerdotem communicent. Hæ enim orationes, *Perceptio corporis tui, Domine IESV Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem.* Item, *Corpus tuum Domine, quod sumsi, & sanguis, quem potavi*, à solo sacerdote, dicuntur: Illæ verò, *Quod ore sumsimus, Domine, purâ mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum*, à pluribus simul communicantibus dici debent. Unde rubrica notat ad hanc orationem: *Quod si qui sunt communicandi, eos communicet*, sc. sacerdos,) *ante quam se purificet, postea dicit, Quod ore sumsimus*, &c. Eadem verò ratio est hujus precis, quæ illius, quum orat sacerdos, *Sacramenta quæ sumsimus*, &c. quæ verba toties in orationibus post communalibus repetuntur. Unde Micrologus, libro de missâ

Th. 30.

ritè

ritè celebrandâ, qui exſtat in ſpeculo miſſæ, ait, *orationem poſt communionem pro ſolis communicantibus inſtitutam eſſe*, & cap. XIX. *Poſtquam omnes communicaverint, dicit ſacerdos ſub ſilentio hanc orationem, Quod ore ſumſimus*, &c. *quâ finitâ, ſequitur Oratio, ſive orationes poſt communionem dicendæ, quæ eodem ordine & numero orationibus ante lectionem, ſive ſecretis ante præfationem dictis debent reſpondere. Quæ utique orationes non pro his, qui communicaturi ſunt, ſed, qui jam communicaverint, juxta proprietatem ſui nominis agunt.* Nonnulli enim differebant communionem uſque ad peractam miſſam, quod hodie quoque fieri tradit Bartholomæus Garrantus. Nonne igitur otioſæ ſunt preces, pro ſolis communicantibus inſtitutæ, ſi nulli ſint, qui communicant? cap. xi.

LXIIX. Sed audiamus iterum Mülmannum. *Nec plus difficultatis habet*, inquit, *ſi dicat, ut, quotquot ex hâc altaris participatione ſumſerimus*, &c. *Etſi enim in eadem Eccleſiâ nemo forte alius præter ipſum ſacerdotem communicaverit, in aliis tamen locis eodem tempore plurimi fideles, & ſacerdotes ejusdem ſacræ communionis ſive ſpiritualiter, ſive ſacramentaliter facti ſunt participes, quorum nomine ſacerdos Deo gratias agit.* Ego verò non video, quomodo hæ preces ad alios, quàm ad præſentes, ad circumſtantes, & re ipſâ communicantes corpori & ſanguini dominico, ſi quidem verba, ut jacent & ſonant, accipiantur, referri poſſint. Ita enim habet Canon: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti angeli in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ, ut quotquot ex hâc altaris participatione, ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumſerimus*, &c. Tota hæc oratio indicat ſermonem eſſe de præſenti pane & vino benedicto, & de illo determinato pane & vino, (quæ ſacra ſymbola, dum hæc verba Sacerdos recitat, iterum cruce ſignat,) dicitur, *ut, quotquot ex hâc altaris participatione ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumſerimus*, non voto aut ſpiritualiter, ſed reapſe utique & ſacramentaliter. Sed, ubi communio ſub unâ, & ſynaxis ſine communione invaluit, quum nihilominus canonem miſſæ non mutatum retineri placuiſſet, neceſſe erat, quocunque modo has & ſimiles orationes explicari, ne viderentur prorſus otioſæ eſſe. Denique dubito, an verum ſit, quod ait Mülmannus, ſacerdotem ex ſententiâ Thomæ in perſonâ populi offerre & ſumere. Quod ſi enim in perſonâ populi ſumit ſacerdos, uti miniſter reſpondet pro populo, ita quoque ſacerdos ſumet pro populo, & proderit ſumtio ſacerdotis, etiam aliis non ſumentibus. Id verò diſertis verbis negat Thomas. Sed forte non abs re erit adſcribere verba Claudii Eſpenſæi, quæ hîc quoq; legi merentur. Th. 302.

Quod

De miss. publ. & priv. p. 231. *Quod habeat Caroli constitutio*, inquit, *sacerdotem, si & ubi communicaverit, tum demum rectè dicere, Sumsimus, non puto sensisse ministros pro aliis non offerre tantùm, sed etiam manducare, quasi quædam populi ora sint, ac etiam ventres, (absit verbo invidia pariter & calumnia,) Caroli seculo fuerit, ni fallor, recentiùs, fortè Scholasticorum nec eorum omnium. Vnde Lyranus ad id, Luc. XV. Et cœperunt epulari. In primitivâ inquit, Ecclesiâ, non solùm ejus ministri sumebant hoc sacramentum, sed etiam totus populus quotidie, Act. II. Et adhuc semel in anno quilibet Christianus tenetur refici hoc sacramento, Reficitur etiam quotidie, quia sacerdotes sumunt hoc sacramentum non solùm pro se, sed & pro populo. Meliùs meâ quidem sententiâ & securiùs Aquinas, Part. III. q. LXXIX. art. VII.* & deinde: *Sic Aquinas propiùs veteres, apud quos, quum tam sæpe recurrat, ministros pro aliis offerre, non temerè usquam apud eos legeris alios pro aliis sumere, bibere, manducare.* Hæc etsi pluscula, adscribere tamen visum fuit, quum iis nihil possit dici contra Mülmannum opportunius. Et tantum quidem de canone missæ, qui disertè docet, cùm quid olim factum sit, tùm etiam, quid hodie fieri debeat. Adscribo verba Georgii Cassandri, hominis, quicquid nonnulli obstrepant, rerum Ecclesiasticarum peritissimi. Is, quum eadem fere de canone missæ tradidisset, ita finit: *Certè ex totâ Canonis compositione manifestè apparet, actionem illam mysticam, in quâ Canon adhibebatur, vel publicam, vel certè inter plures semper celebratam esse, quod si hodie quoque impetrari queat facilè verus ejus intellectus restitui possit, cujus ignoratio aliis ad superstitionem eo abutendi, aliis, ut impium ipsum damnandi, occasionem dedit.*

Consult. art. 24. cap. de Iterat.

LXIX. Idem omninò ante octingentos annos, tot enim sunt, quum obiit, tradidit Walafridus Strabo, duodecimus monasterii Divitis Augiæ Abbas. Ita enim inquit: *Per totam missam pro eis quàm maximè, & quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt atq; communicant.* Et iterum: *Oratio, quæ dicitur ad complendam, maximè pro eis est, qui communicant*, Item: *Fatendum est illam esse legitimam missam, cui intersunt, sacerdos, respondens, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat*, perinde atque si dixisset, sicut ipse canon missæ evidenti ratione demonstrat, de eo enim toto illo capite sermo ipsi fuit. Mülmannus æquo animo ferre non potuit tam antiquum scriptorem, & inter illius temporis scriptores non postremum, improbasse eam consuetudinem, quâ hodie in Romanâ Ecclesiâ nihil est frequentius. Introducit igitur ea loquentem Walafridum, non quæ ipse unquam sensit, sed quæ libuit Mülmanno. Egerat autem VValafridus paulò antè de iis missis, in quibus alii communicant, alii non communicantes perstant nihilominus, Id enim tum in Ecclesiâ Latinâ fere comuni consuetudine receptum erat, atque ait, *etsi Sacerdos pro eis quàm maximè, &*

cap. 22.

quasi nominatim oret, qui ibi communicant, posse tamen nos & debere, ut earum sanctæ missarum celebratio non paucis sed multis prodesse credatur, dicere, cæteros & in fide & in devotione offerentium & communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis dici & esse participes, oblationis sc. & communionis fidelium. Cujus verò communionis erunt participes respondens & adstantes, si nemo sit, qui communicet? Pergit deinde VValafridus de illarum missarum utilitate dicere, quas solus sacerdos celebrat, nemine sc. præsente, id enim illâ ætate erat solum sacerdotem celebrare. Atque ait, *quamvis intelligi possit illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus sacerdos exsequitur, tamen fatendum esse*, &c. Non audet quidem planè improbare illas missas, etsi, quum hæc scriberet, jam damnatas à Moguntino & Parisiensi conciliis, tamen, inquit, quasi veritas ipsa illi hoc extorqueat, *fatendum est, illam esse legitimam missam, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens, atque communicans.* Ubi igitur quærit VValafridus, Th. 31.
uti Mülmannus ait, an missa fieri possit absque ministro & respondente, ubi dicit, sine his posse missam intelligi? Neque enim VValafridi ætate ejusmodi missæ habitæ sunt, quum communicarent, qui respondebant.

LXX. Vult autem VValafridus, ut Sacerdos habeat cooperatores: Num verò ait, sufficere, si sint, qui cooperentur respondendo, ut hodie traditur in Romanâ Ecclesiâ? Nequaquam, ut legitima sit missa, vult adesse, qui respondeat, qui offerat & communicet, quorum verborum hic est sensus, ait Mülmannus cum Bellarmino, *Missam quidem in quantum est sacrificium in substantiâ suâ esse integram, etiamsi solus sit sacerdos, (si quidem ad sacrificium plus non requiritur, quàm offerens & res oblata;) quia tamen ratione sacramenti, quod in eâ conficitur, etiam ad nutritionem spiritualem populi ordinatur, rectè tum demum omninò perfectam (intellige accidentaliter) & legitimam missam dici, quando adsunt, & qui respondet & communicat.* Ita Mülmannus. Th. 31.
Hoc verò non est exponere sententiam VValafridi, sed eam omninò pervertere. Quid enim ad rationem sacramenti pertinet, quod vult adesse VValafridus, qui respondeat & offerat sc. panem & vinum, ad quam oblationem etsi pridem desitam, tot preces in canone missæ referuntur, quæ nunc malè intellectæ, & aliò detortæ, non parum negotii facessunt. Æstimat enim hic VValafridus missam, qualis ea esse debeat, non ex primâ institutione, aut ex naturâ sacrificii & sacramenti, uti Mülmannus sibi persuadet, quum eâ de re nec vola nec vestigium in VValafrido sit, sed ex compositione precum, sive ex canone missæ, quem retinebant solitarii isti consecratores, quum tamen in eo pro iis qui communicant, quàm

maximè, oretur. Ex Walafridi igitur sententiâ illegitimæ fuerint omnes solitariæ missæ, quotquot hodie celebrantur, si exigantur ad canonem missæ, quum desit communicans, pro quo tamen quàm maximè per totam missam orari scribit Walafridus.

LXXI. Jungo verba Humberti, Silvæ Candidæ Episcopi & Cardinalis, ex libro contra Nicetam Pectoratum, qui exstat tomo VI. antiquæ lectionis Henrici Canisii, ut, quas VValafridus ex compositione precum, sive canone, illegitimas dixit esse missas, tales quoque esse constet, si primam hujus sacramenti institutionem attendas. Ita verò ait: *In panis fractione & communicatione non nisi perfectam actionem missæ debemus accipere, quemadmodum & ipsum Dominum legimus non imperfectam sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto, & mox fracto, atque distributo. Non enim benedixit tantùm, & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantùm & reposuit, sed fractum statim distribuit, unde B. Alexander martyr & Papa quintus ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni missæ, non ait: Hoc quotiescunque feceritis, sed, hæc quotiescunque feceritis, i. e. benedixeritis, fregeritis, & distribueritis, in mei memoriam facietis, quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, sc. benedictio sine fractione, aut fractio sine benedictione, & distributione perfectam Christi memoriam non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.* Num hæc forte similiter eludet Mülmannus, atque ea, quæ ex VValafrido allata sunt. At verò provocat Humbertus ad institutionem Christi, provocat ad exemplum Apostolorum, provocat ad autoritatem Alexandri Pontificis, & Græcos demum ita indignabundus affatur, *Et vos, qui estis quod dicitis, duobus tantùm diebus hebdomadis missam perfectam fieri debere, reliquis verò quinque imperfectam?* Ita vocat eam, quæ fit ex præsanctificatis. Quare igitur non perinde ita liceat affari Latinos: Et vos, qui estis, quod paucis tantùm diebus perfectam missam, reliquis verò omnibus imperfectam celebrare audetis? Vixit autem Humbertus medio seculo XI. quo forte missæ solitariæ non fuerunt adeo frequentes, quia clericorum & ministri cum sacerdote communio satis diu reliqua fuit. Aut verò imprudenter hæc scripsit Humbertus. Nihil enim facilius fuit Nicetæ Pectorato, quàm crimen, quod Græcis intentaverat Humbertus, in eum & Latinos retorquere.

LXXII. VValafridi autem ætate cœpta sunt in imensum multiplicari altaria, sacellá, oratoria & monasteria, quorum multitudinem occasionem aut certè incrementum dedisse missis solitariis admodum probabile

bibile est. Incidunt enim in idem fere tempus canones, qui vetant, ne solus sacerdos rem divinam faciat, ne in oratoriis & sacellis, & demum, ne superflua exstruantur altaria. Celebrationes autem missarum in illis oratoriis ita describuntur, ut jure suspicari liceat, fuisse illas sæpe solitarias. Utilitate enim, quæ ex oblationibus & stipendiis ad missas inibi celebrantes redibat, allectos nonnullos, ut quomodocunque poterant, sacra celebrarent, oppidò verisimile est. Tantus enim fuit olim oblationum quæstus, ut nonnulli basilicas & oratoria eâ conditione ædificarent, *ut quicquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum clericis dividerent*, quod vetitum deinde est, Canone VI. Concilii Bracharensis II. Inde Concilium Parisiense hoc seculo IX. habitum ait *avaritiâ presbyterorum* illum reprehensibilem usum sine ministris missas celebrandi irrepsisse, ut nimirum raperent ad se oblationes, quas tum & frequenter, & inordinatè oblatas VValafridus testis est. In monasteriis autem illâ ætate solitas synaxes sine communione fieri Concilium Nannetense & Odo Cameracensis tradunt. Nonne igitur satis causæ est, ut suspicari liceat, hinc vel initium esse missarum solitariarum, vel tamen incrementum, præsertim quum ante ea tempora ejusmodi missarum nullum fere apud quenquam veterum reperiatur vestigium? Cur verò mihi non liceat verisimilibus conjecturis investigare originem privatarum missarum, quas veteri Ecclesiæ non fuisse incognitas inanibus tantùm conjecturis probare voluit Mülmannus. Insecutis autem temporibus cum monasteriis, sacellis, oratoriis & altaribus auctas quoque in immensum missas ἀκοινωνήτους probatu non est opus. Nihil enim est manifestius. Mülmannus ad hæc ait, *semper fuisse in Ecclesiâ usitatum, ut ex prudenti causâ vel necessitate, in privatis quoque locis aut domibus missæ interdum celebrari possent*, cui fini exempla multa ex Bellarmino huc congerit. Eo verò labore supersedere poterat. Nos enim non improbari hoc nobis, æquè, ac hodie Reformatis quibusdam, aut olim Eustathio Sebasteno, ut ex regulis brevioribus, quæ falsò Basilio M. adscribuntur, constat, professi sumus in exercitatione, nec inde, quia id quandoque in veteri Ecclesiâ factum est, consequi contra Pontificios ostendimus, missas in locis illis privatis habitas, fuisse solitarias, sed dicimus, quum eodem tempore, quo vetitum est missas solitarias celebrari, invaluerit, ut proceres & palatini, nullâ necessitate coacti, aut prudenti aliquâ causâ, quam hîc attendi debere, ex veteris Ecclesiæ exemplis colligitur, adducti, à sacerdotibus mancipiis suis, quos cum sacerdotibus excelsorũ comparat Agobardus, sacra fieri extra basilicas in oratoriis & sacellis

Cap. 21.

Exposit. Can.

Th. 52.

Reg. 310.

Tract. de priv. & jure sacerdotii.

 qui-

quibusdam, neglectis publicis conventibus & synaxibus curarent, probabile esse, missas ab his sacerdotibus in illis oratoriis celebratas, fuisse quandoque solitarias. Quid igitur opus erat, tot exempla Eucharistiæ in locis privatis celebratæ adducere? Num forte probat Mulmañus illud procerum & Palatinorum institutum? Videat igitur, quomodo ipsi cum Episcopis concilii Parisiensis conveniat.

LXXIII. Pergo ad altaria, quæ ubi aucta sunt, auctas quoque missas solitarias nullum est dubium. Quis enim non videt, plures missas celebratas in LI. altaribus basilicæ Ulmensis, aut XLIII. sumtuosissimi illius monasterii, quod D. Laurentio sacrum esse voluit Philippus II. Hispaniarum Rex, quàm in uno templi Tyrii altari? Tantos sc. progressus fecit pietas & devotio, præ illâ ætate, quâ martyrum sanguine adhuc terra omnis madebat, ut, quod unum illis satis erat in augustissimis & capacissimis basilicis altare, nunc vix L. sufficiant. Sed valde vereor, ne in hâc parte divini cultus multa fere in superstitionem abierint. Quid verò ita indignaris Mulmanne, quid clamitas, num ille novus Ecclesiæ reformator est, qui superflua cupit tolli altaria? Ergo & Carolus M. novus Ecclesiæ reformator est, qui de superfluis altaribus ex templo tollendis constitutionem edidit. Num in sacra ille involat altaria, qui inutilem in uno templo altarium multitudinem improbat? Ejusdem igitur criminis rei sunt Gulielmus Peraldus Lugdunensis Episcopus, & Alvarus Pelagius, uterque enim altarium multitudinem improbat. Ille enim, quum exponeret *signa avaritiæ, quæ apparet in Ecclesiâ Dei*, sunt hæc verba Peraldi, primum signum ait esse, *pluralitatem beneficiorum*, alterum, *Pluralitatem missarum*, tertium *pluralitatem officiorum in eâdem missâ*, & quartum, *Multiplicationem altarium absq; necessitate factam, non ex devotione, sed ex cupiditate.* Hic verò queritur, *Ecclesiam plenam esse & superplenam altaribus, missis & sacrificiis, sed cum hoc plenam in sacrificantibus homicidiis, sacrilegiis, & immundiciis, & Simoniis, & aliis sceleribus.* Hæc Peraldus & Alvarus Pelagius, qui, etsi quidem non dicunt, unum tantùm debere esse in unaquâq; basilicâ altare, agnoscunt tamen altarium tantum esse numerum, ut dedecori & oneri sit Ecclesiæ. Quod si scire vis Mulmanne, quinam illi verè sint, qui sacra altaria invadunt, audi iterum Guilielmum Peraldum. *Simoniaci*, inquit, *sacra altaria invadunt*, illi sc. *qui corpus Christi pro pecuniâ vendunt*: Illi invadunt sacra altaria, *qui ea in mensas nummulariorum convertunt, & nummo potius celebrant, quàm Deo*, ut idem inquit. Ubi verò sunt illi invasores altarium? Apud nos quidem nullos quisquam repererit, quantumvis diligenter perquisiverit. In Romanâ

Cap. 4. App. 1. tit. 7.

Tom. 2. Tr. 4. p. 2. de avaritiâ cap. 11.

L. 2. art. 5. f. 92.

Tom. 2. Tr. 4. de avaritiâ p. 2. cap. 7.

c. 10.

manâ Ecclesiâ sunt, in illâ sæpe etiam tolerantur, & tales potissimùm sunt solitarii isti consecratores, qui ex hoc quæstu vitam tolerant.

LXXIV. Dicis, *si in templo quopiam unum altare in honorem Dei eri-gere laudatissimum est, cur ob finem eundem multiplicare non liceat?* Nulla consequentia, Ad eundem ego modum, Si unum baptisterium, unum sacrarium, unum ambonem in honorem Dei erigere laudabile est, cur non liceat multiplicare ob eundem finem. Cui verò usui foret illa multiplicatio? Dicis iterum, *Non debet concedi, veteres plura altaria in eodem templo non novisse.* Age igitur, ostende. Ais primùm, *quando in vitâ Constantini refert Eusebius Episcopos invitatos ad dedicationem templi Hierosolymitani magno numero illuc confluxisse, & sacrificiis oblatis Deo diem festum celebrasse, quomodo id fieri potuisset, si non nisi unicum altare in templo exstitisset.* Nihil dicis. Non ita loquitur Eusebius. Ait enim, quum ingens Episcoporum numerus ex omnibus orbis Romani provinciis ad Encænia illius martyrii, quæ utiq; non unius dies erant, confluxisset, alios vacasse precibus, alios lectionibus, alios orationibus, alios denique θυσίαις ἀναίμοις, καὶ μυστικαῖς ἱερουργίαις Deum placasse. Sed esto, ut ais, quid inde? Numquid ideo debent plura in templo altaria statui? Fingis ut hodie moris est, singulos Episcopos ad singula altaria stantes, & missam celebrantes. Hanc primùm persuasionem tantisper jube ex animo facessere, atque videbis potuisse plures Episcopos simul ad unum altare, uno Episcopo præeunte, quæ illius ætatis consuetudo erat, incruenta sacrificia Deo offerre. Ordine Romano, & quidem tertio ex iis, quos Cassander edidit, *accedunt primùm Episcopi secundum ordinem de manu Pontificis communicare, & post eos ascendunt presbyteri omnes, ut communicent ad altare.* Agnoscis in Tyriorum templo unum tantùm fuisse altare, neq; id negare poteras, sed ais, *hoc particulare exemplum esse, ex quo universalis conclusio aut consuetudo, adduci nequeat.* At verò, quum vix alicubi apud veterum quempiam accuratiorem habeamus templi descriptionem, inde potius Mulmanno de Orientalium templis faciendum erat judicium, quam lubricis quibusdam conjecturis fidendum, ut secus se rem habere ostenderet. Qui enim fieri possit, ut tot fuerint in templo Hierosolymitano altaria, in quibus tot numero Episcopi singuli singulas missas celebrarent, quum unum tantùm fuerit in templo Tyriorum, eodem fere tempore exstructo, neque procul Hierosolymis dissito, quod & amplitudine & magnificentiâ conspicuum erat, & tamen ibi σεμνὸν καὶ μέγα, καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον, *augustum, magnum & unum altare erat.* Numquid verò nulla illius templi Encænia celebrata? Numquid nulli adfuerunt Episco-

Th. 34.

l. 4. cap. 45.

pi in illius dedicatione? Quomodo illi igitur sacrificia incruenta Deo offerre potuerunt, quomodo postmodum, quum numerosæ synodus in illâ urbe habitæ sunt? &c. quàm cassa & inania sunt, quæ Mülmannus affert, ipse tamen non primus, quum eadem jam ante Bellarminus & alii totidem verbis sæpiùs proposuerint. Audin verò Mülmanne, unicum tantùm altare, æq; atque in templo Tyrio, in hâc quoque Hierosolymitanâ basilicâ fuisse memorat Theodoretus, de Encæniis hujus ipsius templi loquens. Διεκοσμεῖτο δὲ, inquit, καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. *Porro SS. altare aulæis planè regalibus, & monumentis lapidibus pretiosis auroq; collustratis adornabatur. Ad hunc modum igitur festo splendidissimo celebrato, Episcoporum singuli domum rediêre.* Ita Theodoretus. Fingat mihi nunc aliquis hinc inde in templo Hierosolymitano, posita altaria, & Episcopos missas in iis celebrantes.

l. 1. cap. 11.

LXXV. Nec aliter cum reliquis in Græciâ & Oriente templis comparatum fuit. Magnificentissimum Sophiæ templum, quod Justinianus condidit, describunt Evagrius, & Procopius de ædificiis Justiniani Imperatoris, Oratione primâ. Unus tamen ibi locus, in quo sacrificium offertur. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, qui seculo VIII. ineunte vixit, in suâ rerum Ecclesiasticarum Theoriâ non solùm supellectilem omnem sacram, & partes templi omnes satis accuratè ob oculos ponit, unius tamen tantùm θυσιαστηρίου meminit. Et idem esto de reliquis templis judicium. Partes enim templi olim tres præcipuè erant. I. Sacrarium, sive sanctuarium, quod etiam adyta appellant, item βῆμα, Theodoretus τὰ ἔνδον, & βασιλικὴν, altera ναὸς propriè, νάρθηξ: Ita tradit Leo Allatius de narthece Ecclesiæ veteris, nec multum abit Bellarminus, lib. III. de cultu Sanctorum. cap. III. Prima propria erat *clericis sive* τοῖς κληρικοῖς, ut vocant, altera *fidelibus*, τοῖς πιστευμένοις, tertia καθαιρομένοις, *expurgationi obnoxiis*, in quorum numero, pœnitentes, Energumeni, & Catechumeni. Jam verò in solâ illâ primâ parte altare erat, in illâ solâ offerebatur incruentum sacrificium, nec legitur apud antiquos in aliâ templi parte ἀναίμακτον θυσίαν oblatam. Hæc propriâ erat iis, qui altari serviebant: Hæc cancellis à reliquâ templi parte separata erat, ut ex descriptione templi Tyrii apud Eusebium, lib. X. cap. V. & ex Theodoreto apparet. Hoc sanctuarium altaris ad communicandum laicis ingredi non licebat, ut antiqui canones statuunt. Ii verò sunt Canon XIX. Concilii Laodiceni, canon XXXI. synodi Bracharensis, Canon XVII. Concilii Toletani IV. LXIX. Concilii Trullani, & alii. Quomodo igitur plura poterant esse altaria in

l. 4. c. 30.

l. 5. c. 17.
l. 1. c. 17. num. 2.

lib. 5. c. 17.

in templis veterum? Nam de primis seculis, quum mensæ adhuc ligneæ vice altarium essent, quas etiamnum Optati ævo in Ecclesiis Africanis in usu fuisse ex libro ejus sexto manifestè constat, non est quod dubitemus, an fuerint tum plures ἅγιαι τράπεζαι in basilicis. Nullâ enim verisimili conjecturâ assequi licet, plures fuisse. In narthece autem, ubi catechumenorum locus est, nulla fuisse altaria liquet, sed neque in alterâ illâ templi parte, quæ ναὸς propriè vocatur, altaria fuerunt. Quare enim laicis interdictum erat sanctuarium ingredi, si undique altaria fuerunt in ipso ναῷ posita?

LXXVI. Accedit, quod veteres, quum de uno templo sermo est, semper altaris unius meminerunt, non plurium. Ita passim ad altare confugisse, altare prophanasse, altare construxisse & similia legas. Socrates lib. v. cap. xxi. ait: *Ecclesia Antiochiæ Syriæ contrarium ab aliis Ecclesiis situm habet. Nam altare non ad Orientem, sed ad Occidentem spectat.* Nulla hîc plurium altarium mẽtio. Huc etiam facit, quod frequenter veteres hæreticos & schismaticos increpant, quòd ipsi altare contra altare erigant. Eusebius, cùm libris de historiâ Ecclesiasticâ, tùm etiam iis, quos de vitâ Constantini reliquit, & reliqui deinde historici Ecclesiastici multa satis sollicitè tradunt de templis aut ab Impp. Christianis, aut Episcopis exstructis, & ornamentis eorum, nusquam tamen templum quodpiam pluribus altaribus ornatum tradunt. Anastasius bibliothecarius, quum accuratissimè recenseat, quicquid vel in restaurãdis aut exornandis basilicis sumtuum & operæ impenderunt Pontifices Romani, in Hadriani tamen vitâ primùm altariũ discretè meminit. Ibi enim primùm fit mentio altaris majoris. *In Ecclesiâ S. Dei genitricis*, inquit, *ad præsepe fecit vestes duas, super altari majore unam ex auro purissimo, atq; gemmis habente assumtionem Sanctæ Dei genitricis, & aliam de Stauracio.* Et dein in reliquorum Pp. vitis frequentissimè majus altare nominat, unde colligitur, tum plura cœpisse in templis collocari altaria. Ait quidem Anastasius in vitâ Silvestri, Constantinum M. in basilica Constantinianâ inter reliqua dona posuisse *VII. altaria ex argento baltutili*, sed fuerunt illa, nisi valde fallor altaria portatilia. Nam in eâdem Silvestri vitâ, quũ reliquas basilicas, quas Romæ Constantinus exstruxit, earumq; ornamenta recenset, *ipsum altare* inquit, item *ipsum sanctum altare*, ut facilè pateat, sermonem ipsi esse de sacrâ Ecclesiæ mensâ. Solit⁹ autẽ est Constantinus M. basilicas, quas condidit, multis ex auro & argento κειμηλίοις, & ingentis magnitudinis & ponderis aureis & argenteis vasis ditare, quorum nonnulla tamen videntur potiùs ornamento, quàm usui fuisse Ecclesiæ, unde Felix gentilis, quum Juliano Imperatore vasa omnia ex templis Christianorum Antiochiæ auferret, quæ Constantinus &

Con-

Theodor. l. 3. c. 11. constantius splendidè conficienda curaverant, ἰδοὺ, ἔφη, ἐν ποίοις σκεύεσιν, ὑπηρετεῖται ὁ Μαρίας υἱός. *Ecce, inquit, quàm sumtuosis vasis filio Mariæ ministretur.* Sed quid opus est pluribus in re adeo manifestâ. Omnia veterum scripta, ex quibus aliqua templorum veterum ratio erui potest, omnes antiquæ basilicæ reclamant Mülmanno, quas si accuratiùs contempleris, apparebit altaria illa posterius apposita esse.

LXXVII. Pergit Mülmannus. *Ministri tamen Valentiniani Imperatoris Ambrosio, à quo non nisi unicam postulabant basilicam, dicebant in plurali, Trade nobis altaria.* Ita fateor memorat Ambrosius Epistolâ XXXIII. ad Marcellinam, quin ait, ubi nunciatum esset jussisse Imperatorem, ut recederent de basilicâ milites, (vi enim eam occupare statuerat,) *eos irruentes in altaria osculis significâsse pacis insigne.* Dicit hic autem in plurali altaria, sicut initio Epistolæ de eâdem basilicâ dixit, *Symbolum aliquibus competentibus tradebam in baptisterii basilicæ,* quum tamen unum tantùm consueverit esse in quâq; basilicâ baptisterium, ut ex Cyrillo, catechesi primâ Mystagogicâ, &
Ep. 12. Paulino apparet, qui tradit Severum Sulpitium duabus basilicis unum baptisterium interpositum condidisse, nec alibi apud veteres plurium baptisteriorum in unâ basilicâ mentio fit. Dicunt autem veteres sæpius altaria, quum de uno tamen altari loquantur. Ita ipsemet Ambrosius, Oratione de obitu Theodosii Imperatoris, ait: *Assistente sacris altaribus Honorio filio,* & tamen de uno altari loquitur. Et lib. 1. Ep. 11. *sacra altaria* dicit, etsi de uno sermo ipsi est. Damasus Pontifex in inscriptione altaris, quod Gregorio Nicomediensi martyri posuit, altare illud, numero plurali altaria appellat. Paulinus Epistola XII. ad Severum Sulpitium, quâ non solùm suas, i. e. Nolanas & Fundanas describit basilicas, sed & eam, quam Sulpitius exstruxerat, plurali plerumque numero altaria dicit, etiam, quum de uno altari sermo ipsi est. Ita de altari sub quo recondita erant Clari presbyteri ossa sic loquitur Paulinus:

Sancta sub æternis altaribus ossa quiescunt,

Et iterum: *Digna pio domus est altaria, sub quibus artus*
Conditur exanimis.

Item: *Casta tuam dignè velant altaria corpus,*
Ut templum Christi contegat ara Dei,

Et ita passim nunc altare, nunc altaria appellans, vocem hanc modò singulari, modò plurali numero, tàm versu, quàm prosâ promiscuè usurpat, ut ex

totâ

totâ illâ duodecimâ ad Severum Sulpitium Epistolâ probari facilè potest. Omnia ad scribere mei non est instituti. Nec aliter interdum recentiores loquuntur. Ita interpres Dionysii Areopagitæ, Ambrosius Camaldubensis, Græca Areopagitæ, τὴν ἱερὰν ἀσπαζόμενος τράπεζαν, vertit *deosculatis sanctis altaribus*, antiquus verò interpres, *divinam salutans mensam*. Nihil igitur juvat Mulmannum, quòd B. Ambrosius hâc Epistolâ in plurali altaria dixit. Nam & Paulinus, & Damasus, & Ambrosius alibi, perinde atque Ambrosius hac Epistolâ XXXIII. de uno altari loquentes, in plurali tamen altaria appellant.

LXXIIX. Uti autem ex omni historiâ Ecclesiasticâ constat, studium Christiani populi in hisce & similibus rebus semper magis magisq; crevisse, ita idem etiam in altaribus exstruendis accidit. Certè ab Ambrosii ætate, qui Sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum corpora, quæ ipsi ex revelatione, teste ipsomet Ambrosio, Epistolâ XXCV. ad sororem, & Augustino lib. XXII. de C. D. cap. VIII. innotuerant, sub altari condidit, passim cœperunt martyrum reliquiæ magno studio conquiri, & sub altaribus recondi. Revelata autem Ambrosio per tot annos latentia martyrum corpora, non solùm testibus Augustino & Ambrosio constat, sed & Gaudentio, tractatu in dedicatione XL. martyrum, Paulino, Epist. XI. ad Sulpitium, Sidonio Apollinari, lib. VII. cap. I. Prospero, in Chronico, & aliis, ut mirum sit, qui eruditissimus Daniel Chamier scripserit. *Omnium primam legi illam Ambrosio factam corporum Gervasii & Protasii revelationem, cui, nisi testis accederet Augustinus, vix quicquam esse, quod fidem faceret.* Sunt enim plures tum coævi Ambrosio, tum etiam ipsius ætati proximi, qui idem tradunt. Et vel solius Augustini autoritas sufficere potera, Nam & præsens fuit, qvum hæc Mediolani acciderent, ut ipse ait, & libro de unitate Ecclesiæ, cap. XVI. multos alios appellat testes, à quibus, hoc ipsum interrogantes audire possint. Sed ad Ambrosium redeo. Ante eum vix quicquam de reliquiis sub altaribus basilicarum conditis legitur. Usitatum quidem erat, ut ad martyrum memorias frequentes fierent synaxes, & tumuli eorum vice altarium essent, aut super tumulos eorum altaria exstruerentur, sed de reliquiis sanctorum conquisitis & sub altaribus in templis reconditis vetustiores Ambrosio scriptores vix quicquam memorant. Priorum altarium passim fit mentio apud veteres. Ita Damasus Papa Gregorio Martyri Nicomediæ, sub Diocletiano passo, inde Romam transportato, & in viâ Latinâ inter duas laurus sepulto, altare cum inscriptione statuit, quam adhuc Romæ hodie in Ecclesiâ Martini in monte reliquam ex Antonii Bosii Româ subterraneâ appono:

Tom. 2. l. 10. cap. 9. §. 20.

l. 2. cap. 29.

Martyris hic tumulus magno sub vertice montis
Gregorium retinet, servat qui altaria Christi.
Hic quicunque venit, sanctorum limina quærat,
Inveniet vicinâ in sede habitare beatos,
Ad cœlum pariter pietas quos vexit euntes.
Damasi Episcopi.

Non verò omnibus sanctorum corporibus ejusmodi sepultura contigit. Evagrius autor est S. Ignatii ossa Theodosio regnante Antiochiæ in cœmeterium translata. Ruffinus tradit Athanasium reliquias Johannis Baptistæ sub cavato sacrarii pariete inclusisse. *Moris enim erat apud veteres Christianos,* inquit Baronius, *ut defunctorum corpora non in terrâ deorsum, sed in lateribus cryptarum fornices sustinentibus, in excavatis ibi loculis reconderentur, cujus rei cœmeteria, quæ tùm Romæ tùm alibi in cryptis arenariis, sunt instituta antiquitus, fidem faciunt.* Reposita quoque in loculis illis martyrum & sanctorum ossa, testis est liber ille Italicus, qui Roma Subterranea inscribitur, & multa ac præclara Romæ Christianæ vetusta monumenta suggerit. Nec aliter ipsa acta martyrum testantur. Ea enim si revolvo, & vel eorum tantùm, qui Romæ subierunt martyrium, non invenio corpora eorum sub altaribus, & quidem in basilicis recondita, sed cum omni honore & diligentiâ, quin etiam splendidè, ut decebat tam gloriosos Christi athletas, in cryptis & cœmeteriis sepulta. Lucina virgo sanctissima, quæ Romæ tempore Cornelii Episcopi insigni sanctitate floruit, Sebastiani corpus in cloacâ in unco pendens, quod sanctus ipse noctu in somno ei revelarat, in catacumbis, inter ora cryptæ cum omni diligentia sepelivit, uti ex antiquo Msto codice refert Bosius Rom. Subt. lib. III. cap. XII. Prudentius in passione Hippolyti martyris, ita de sepulchris Romanorum Martyrum scribit:

l. 1. cap. 16.

Anno 34. n. 134.

Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.

Quum autem frequenter veteres Christiani in cryptis & cœmeteriis conventus agerent, inprimis persecutionibus ferventibus, tùm fortè primùm, si quid

quid conjecturari licet, in eum usum altaria super tumulos martyrum exstructa sunt, perseverante quoque deinceps eâdem consuetudine, quum jam pace redditâ Ecclesiæ in basilicis & templis synaxes agere possent. Fuisse ejusmodi altaria Romæ olim in cœmeteriis, in quibus multa sanctorum corpora erant recondida, erecta, autor est Antonius Bosius, quum de cœmeterio Callisti, quod ipse primus anno XCIII. superioris seculi reperit ita scribit: *Hò osservato alcuni monumenti arcuati, coperti de spessissimi marmi, e fatti in modo di capellette, e di Altari, sopra i quali credo si celebrassero Messe, secondo lo antica usanza di sacrificare sopra i Sepolori de' Santi Martiri.* *Vt* enim *super martyrum memoriis & monumentis sacra fieri commodè possent, monumenta in altaris formam erigebantur,* ait, Gabriel Albaspinæus, Notis ad III. librum Optati Milevitani. Rom. Subt. l. 3. cap. 23. p. 197.

LXXIX. Postquam autem recondi cœperunt martyrum reliquiæ sub altaribus basilicarum, inde primùm videtur in Ecclesiam invecta esse altarium multitudo, quæ tamen, quum essent sepulchra martyrum, ut sepulchra ferme exstruebantur, dorsi gibbo assurgentia, non forma plana jacentia, ut erant mensæ sacræ, in quibus dispensabatur dominicum sacramentum, sicut testatur Thuanus αὐτόπτης exstare hodienum ejusmodi altaria in templo S. Orientii Augustæ Ausciorum, & talia quoque fuisse XIII. illa altaria, quæ Palladius Sanctonensis Episcopus in suâ basilicâ collocavit, (quæ Sanctonum civitas haud ita procul abest Augustâ Ausciorum,) perverosimile est. Condita sub iis sanctorum ossa testatur Gregorius Magnus. Forte autem hæc etiam causa fuit, ut tot altaria sive martyrum sepulchra in templis collocarentur, quòd ad memorias & sepulchra eorum, confluente illuc multitudine, ea sæpe fierent, quæ parum conveniebat, quibus malis obviam itum est, corporibus eorum in basilicas translatis. Sed quicquid de his sit, fuerunt illa altaria sepulchra tantùm martyrum. Nec abit ab hâc sententiâ Baronius: Is enim dum historiam anni LVII. persequitur, & multa, quæ ad ritus veteris Ecclesiæ faciunt, exponit, quum in altarium etiam mentionem forte incidisset, ita ait: *At verò non omittimus dicere, non indecens visum esse in eâdem Ecclesiâ plura constitui altaria. Nam, cùm ea essent sepulchra martyrum, ubicunq; esset martyr conditus, illic altare erigi consuevit. Sanè de tredecim altaribus in Ecclesiâ unâ erectis, Gregorius meminit.* Hæc Baronius, & quidem satis rectè. Illud tamen, quod ait, ubicunque esset martyr conditus, illic altare erigi cōsuevisse, nimis crudè dicitur. Aliud nos docet vel solus ille Prudentii, in Hippolytū martyrem, hymnus. Sæpius factū ex multis veterū locis constat. Quis verò hodie, q̄ tot nūero, imò ferme sine nūero exstant altaria sepulchra lib. 2. Comm. de vitâ suâ. l. 5. Ep. 50.

martyrum dixerit, quum pleraque vix paucissimis quibusdam & minutissimis particulis, iisque suspectæ ut plurimum Fidei glorientur? Quomodo sepulchra martyrum, quæ reliquias non sub altari conditas, sed expositas ostentant? Quin hodie altaria illa nihil fere differunt ab altari sanctuarii, quod solum per complura secula Ecclesia in suis basilicis habuit. Manebat tamen nihilominus, quum jam plura altaria in templis poni cœpissent, mensæ sacræ in sanctuario suus honos. Ad hanc oblationes & communiones ordinariæ fiebant, uti canones antiqui docent. Huic propriè nomen altaris erat, reliqua sepulchra tantùm martyrum erant, altaria tamen appellata, quòd in formam fere altaris essent erecta, & interdum ab antiquâ consuetudine super tumulos sive sepulchra eorum, missas celebrari moris esset. Quando autem & quoties in illis altaribus oblatum fuerit sacrificium incertum fere est. Walafridus ita hâc de re scribit: *Aliis quoque placuit in natalitiis sanctorum martyrum divinorum munerum celebranda esse mysteria. Legitur enim Felix XXVII. Papa constituisse, ut super memorias martyrum missa celebrarentur. Sed & B. Gregorius Papa in ordine LXVI, præcipit, super corpus B. Petri Apostoli fieri missas.* Sed illud, quod de Gregorio Papa ait, dubito, utrum ita habeat. Sic enim Hieronymus adversus Vigilantium, debitum etiam martyrum reliquiis honorem & cultum (si quidem B. Hieronymus ejus mentem rectè assecutus est,) derogantem scribit: *Malè ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria, idq; non solùm unius urbis, sed totius orbis faciunt Episcopi.* Illas autem synaxes, quæ ad illa martyrum altaria fiebant, fuisse sine communione peractas nemo facilè dixerit, certè exemplo nullo ostendi potest. Contrarium utique facilè probari poterat, si id mei instituti ratio pateretur. Adscribo nunc solùm nonnulla ex Sidonio Apollinari, unde discimus, quomodo, & quantâ festivitate olim martyrum natalitia, & sanctorum dies anniversarii sint celebrati: *Conveneramus*, inquit, *ad Sancti Iusti sepulchrum*, (Lugduni nimirum,) *processio fuerat antelucana, solennitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima basilica non caperet, & quamlibet cincta diffusis crypto porticibus. Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi clericiq; psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præstò futuri, cum sacerdotibus res divina facienda.* Quid deinceps factum sit, non moror. Cœperunt tum admodum multiplicari altaria, neque licebat altare ullum consecrare sine reliquiis, quæ super altare spectandæ & colendæ proponeban-

cap. 5.

lib. 5. Ep. 17.

nebantur, quæ res an non vulgo inprimis & idiotis, quique illorum imperitiâ & simplicitate, nequiter sæpe abusi sunt, errandi ansam dederit, sequiorum seculorum historia testatur.

XXC. Rectiùs aliæ gentes sibi caverunt. Græci unum altare habent, præter sacram illam mensam, quam πρόθεσιν vocant, & altare minus, in quo præparantur omnia ad sacrificium. Ita docet Gentianus Hervetus, in præfatione super Germani Constantinopolitani Patriarchæ Theoriam rerum Ecclesiasticarum. Idem constat ex nupero Leonis Allatii de templis Græcorum recentioribus scripto, qui tria quidem quandoque ait in bemate exstructa esse altaria, sed in eum usum, ut in tertio *libri, vestes & alia utensilia reponantur,* num. 13. Franciscus quoque Alvaretz de Æthiopum templis tradit, unum in iis esse altare. Ita de monasterio S. Michaëlis loquens, *unum tantùm in templo est altare,* inquit, & de Ecclesiâ S. Crucis, *unum in eâ est altare, sicut in cæteris.* cap. 11. cap. 55. Et meritò quidem. Quia enim ex uno pane omnes vescimur, illa unitas, & fidelium inter se communio rectiùs ostendi non potest, quàm si ex unâ etiam mensâ illum panem participemus. Quod enim poterat olim esse majus & præclarius communionis fidelium inter se & unitatis indicium, quàm, quum omnes, clerici & laici, divites & pauperes ad unam & eandem sacram mensam accedebant.

XXCI. Inde rectè veteres Eucharistiam proprio nomine κοινωνίαν appellarunt, ut Dionysius Areopagita autor est, quod; nomen uti & reliqua antiqua συνάξεως, cœnæ, missæ; & similia nomina, quæ huic sacramento imposita sunt, testimonium perhibent, quid olim circa hujus mysterii celebrationem factum sit. Sunt autem hæc argumenta topica, ex quibus probabiliter argumentari licet, non firmas & immotas consequentias nectere. Indicant illa nomina, quid factum sit. Ita ex vocibus κοινωνίας & συνάξεος, etsi utraque variè accipitur, & varia quoque utriusque ratio reddi potest, quare sit imposita huic sacramento, colligitur, in sacris conventibus à multis corpori & sanguini dominico esse communicatum. Κοινωνίαν quidem dictam διὰ τὸ πάντα κοινωνεῖν τοὺς ἀξίως μεταλαβόντας τῶν μυστηρίων, Pachymeres autor est. An autem missa solitaria rectè dici possit communio, de eo Micrologum poterit consulere Mülmannus. De Eccles. Observat. cap. 51. Par est ratio συνελεύσεως, συναγωγῆς, collectæ, & similium vocum. Ejusmodi quoque est cœnæ vox, si ejus originem spectes, teste Plutarcho. Sympos. l. 2. Probl. 6. Nec aliter Isidorus, lib. xx. Originum. cap. 11. *Cœna, inquit, vocatur à communione vescentium. Κοινὸν quippe Græci commune dicunt. Unde etiam communicantes, quod communiter, i.e. pariter conveniant.* Accedit exemplum cœnæ Dominicæ, ut Divus Paulus vocat,

 quem

1. ad Corinth cap. 11. quem imitati veteres Ecclesiæ doctores frequenter hoc nomine isthoc sacramentum appellant. Nostri quoq; eâ voce sæpiùs utuntur, ut forte in mentem venit, retentis tamen reliquis antiquis vocibus Eucharistiæ, *κοινωνίας*, *συνάξεως*, missæ, sacrificii, oblationis, & aliis. Initiò quidem & deinceps non potuerunt ferre adversarii usum hujus vocis, quamobrem, in promtu est colligere. Hodie, quia vident usum ejus frequentem quoque esse apud veteres, & *ab ipso Apostolo ad hæc usque tempora derivatum*, ut docet

p. 2. cap. 1. §. 5. Catechismus Romanus, nec urgent amplius, nec ferre possunt, fuisse non-

Th. 36. nullos, quibus vox ea admodum invisa fuerit. Ita Mülmannus, *Quis obsecro*, inquit, *Catholicorum illud unquam cœnæ nomen, quoties de solo sacramento sermo*

Repet. 6. c. 1. *est, rejecit*. Fecit hoc Mülmanne, Claudius de Sainctes, fecit Maldonatus, & quidem indignabundus, fecerunt alii. Hujus verba, quia sunt virulentissi-

In cap. 26. Matth. v. 26. ma, ut illius autoris pæne omnia, adscribo. *Ridicula est Calvinistarum*, inquit, *& Lutheranorum inscitia, qui quasi satis non haberent, si rebus, nisi etiam verbis hæretici essent, noluerunt corporis & sanguinis Christi sacramentum Eucharistiam, ut nos, sed cœnam appellare, ut se non solùm religionis, sed etiam linguæ reformatores profiterentur. Atqui nullus in sacris literis locus est, ubi hoc sacramentum cœna vocetur.* Et iterum: *Veteres autores cœnam dominicam non Eucharistiam, sed cœnam illam, quam Christus, antequam corpus suum & sanguinem daret, cum discipulis suis egit, vocare solent, ut Cyprianus & Bernardus, qui conciones suas eo die habitas de cœnâ Domini vocant, qui tamen nefas ducunt, hæreticorum more Eucharistiam cœnam appellare*, Et iterum: *Calvinistæ sine scriptura autoritate, sine veterum autorum exemplo, sine ratione nullo judicio cœnam vocant, cùm potius merenda, si post prandium prandium si post meridiem, jentaculum, si manè sumunt, vocari deberet.* Maldonatus verò sine ratione, non tamen absque atrocibus injuriis & ingentibus conviciis negat, quod apud omnes pæne hodie in confesso est. Ubi autem est ille nemo nemo Catholicorum? Omitto alios, qui idem cum

Tom. 3. Opusc. Maldonato sentiunt. Ediderit igitur Johannes Walterus Viringius librum de triplici cœnâ, agni, vulgari & Eucharisticâ, cui Mülmannus jungere poterat Becanum de triplici cœnâ, appellent quoque alii ex scriptoribus Pontificiis hoc nomine sacram Eucharistiam, non tamen inde sequitur, nullis ex Romanæ Ecclesiæ Doctoribus illud nomen fuisse invisum.

Inst. Cath. l. 3. c. 49. XXCII. Quod missæ vocem attinet, si nomen naturam rei aperiit, ut dixerunt antiqui, non apparet, quomodo missæ solitariæ verè missæ

Instit. Sacerd l. 2. c. 4. dici possint, si nimirum origo hujus vocis non ex Græcâ cum Gilberto Genebrardo, neque ex Hebraicâ, ut Claudius Sanctesius, Cotonus, Fr. Toletus & plurimi alii contendunt, sed ex latinâ linguâ cum Isidoro, ut hodie pleri-

ri-

rique tradunt, & consentit Mülmannus, arcessatur. Duplex enim in missâ veterum missio, una eorum, qui communicare vel non poterant, vel nolebant; altera eorum, qui corpus & sanguinem Domini sumserant. Utraque missio ferme desiit in missâ Pontificia. Quin sæpius ne quidem sunt, quibus dici possit, *Ite, missa est*, nedum ut iis dici possit, qui corpori & sanguini dominico communicarunt, uti apud veteres factum. Unum autem hominem plurali numero alloqui, & uni homini perinde atque multis dicere, ut eant, non patitur ars rectè loquendi, neq; etiamsi plurium personam quis sustineat, id communis loquendi modus admittit. Non plus igitur quidem fateor in eo est mysterii, quàm in altero, *Orate fratres*, &c. utrumq; enim inconvenienter dicitur, præter intentionem eorum, qui canonem missæ composuerunt, præter usum primorum seculorum, & denique præter rationem. Rectiùs nihilominùs dicere potest sacerdos, Orate fratres, quia ille tum jubetur intentionem dirigere, ad omnes fideles, ut ait Mülmannus, quàm Ite missa est. Ridiculum enim foret tum sacerdotem intentionem dirigere ad omnes fideles, ut eant. Quid vero in mentem venit Mülmanno, quod ait falsum esse, quod scripseram, *Cornelium Episcopum Romanum primum fuisse, qui in Epistolâ ad Lupicinum missæ nomen usurpaverit, reperiri enim idem nomen in Epistolâ Pii I. summi Pontificis, quem tamen constet facilè centum annis Cornelium præcessisse.* Nam si omnes primorum Pontificum Epistolæ, Mülmanno æquè atq; Moguntinis *ita antiquitate suâ, & totius mundi reverentiâ consecratæ, omni gravitate, doctrinâ, sanctitate refertæ, & testimonio ac usu omnium seculorum roboratæ sunt, ut nemo nisi stolidus deinceps & improbus repudiare posse videatur*, cur non nominavit Clementem, Euaristum, Alexandrum I. Telesphorum & Hyginum, qui omnes ante Pium hoc mysterium missam appellant. Cornelii autem Epistolam ad Lupicinum, pro genuinâ viri docti habent, neq; cur aliter quis sentire debeat, causa fere ulla est. Quantò rectiùs autem fecisset Mülmannus, si Azorium fuisset secutus, qui hujus vocis missæ antiquitatem in Ambrosii ævum refert, neglecta Epistolarum decretalium autoritate. *Legimus idem quoq; nomen*, inquit, *in Epistolis Romanorum Pontificum, qui longè ante Silvestrum I. Christi Ecclesiæ præfuerunt, Alexandri inquam I. Telesphori, Hygini, Sotheris, Pii, Fabiani, Eutychiani, ut citat Durandus de ritibus Ecclesiæ Catholicæ, lib. II. cap. VI. num. VI. quamvis ejusmodi Epistolæ non ita constantem & certam apud omnes autoritatem habeant.*

l. 9. Orig. c. 19.

Th. 37.

Iren. p. 2. c. 3.

Inst. Moral. l. 10. c. 18.

XXCIII. Ita patet, qualis fuerit primis seculis Eucharistiæ administratio. Unũ tamẽ adhuc addo, ꝓbabile esse, si obtinuisset in veteri Ecclesiâ consuetudo synaxes sine comunione celebrãdi, forsitã non fuisse præterituros aut Epiphaniũ, aut Socratẽ, aut Sozomenum, aut Augustinũ, quum illi etiam

quas-

quasdam minoris momenti circa Eucharistiæ administrationem diversitates non prætererint. Sed nullum apud eos est ejusmodi *συνάξεως* vestigium. Socrates de Ægyptiis Alexandriæ finitimis & iis, qui Thebaidem incolunt, ait, *quòd sabbato synaxin exsequantur illi quidem, sed non, ut mos fert Christianorum, mysteria participent.* Mos igitur fuit Christianorum, Socrate teste, ut in synaxibus mysteria participarent. Ubi igitur tum missæ solitariæ? Idem *Alexandriæ quartâ feriâ, & eâ, quæ dicitur Parasceve*, scribit *legi quidem scripturas, & doctores eas interpretari, omniaq;, quæ ad synaxin pertinent, administrari, præter mysteriorum tamen celebrationem.* Hujusmodi diversitates quum notent sacri scriptores, non verisimile est, prætérituros eos fuisse, si quâ in provinciâ præter communem consuetudinem moris fuisset, ut sacerdos solus in sacris conventibus mysteriorum particeps fieret. Epiphanius ait synaxes ab Apostolis ordinatas, ut fierent feriâ quartâ, pro sabbato & dominicâ, in quibus populi ad eas convenientes communicarent. Hæc quum ita se habeant, nihilominus Mülmannus ait: *Nullum adhuc potuisse ex omni antiquitate proferri testimonium, unde constet, nunquam celebratas fuisse missas sine communicantibus, aut pluribus, qui adessent.* Quid autem facias isthoc homine? Etiamsi multò plura ex veteribus adduxero testimonia, laterem nihilominus lavero. Age igitur, aliâ hanc rem aggrediamur viâ. Constat igitur ex monumentis veterum, in antiquâ Ecclesiâ initiò communicasse omnes fideles, quotquot sacris intererant, eamque consuetudinem, quum cæterorum rituum in celebratione hujus mysterii magna per Ecclesias Christianas esset varietas, alibi diutiùs durasse, alibi desiisse maturiùs, ita tamen, ut graviter perstringerentur, si qui adstarent otiosi, neque vel communicarent cum dignis, vel discederent cum indignis. Constat quoque fideles, etsi non omnes, plerosque tamen in iis provinciis, ubi id receptum erat communicasse quotidie, alibi quater, alibi ter, alibi bis, alibi denique singulis dominicis, quia non in omnibus Ecclesiis par erat synaxium frequentia. Nam quibus & quot diebus, quâ item diei parte, sive quo tempore celebrandum esset hoc sacramentum, ingens fuit in Ecclesiis Christianis varietas, ut vel ex Epiphanio, in expositione fidei, Socrate, lib. v. cap. xxi. Sozomeno, lib. vii. cap. xix. Augustino, Epistolâ cxix. & Walafrido, cap. xx & xxiii. liquidò patet. Dico jam, tum temporis, quum hæc fierent, nullas solitarias missas habitas. Mülmannus verò ait, *non prohiberi tamen sacerdotem sacrificare, etsi populus adsit, non sequi inde, non licere aliter missas celebrare*, quæ & similia identidem ingerit, atque ita se iis, quæ ex veteribus afferuntur, abunde satisfecisse existimat. Hausit verò

eadem

l. 5. c. 21.

Ib.

Expos. fid.

Th. 35.

eadem fere instituta ab iis, à quibus primùm Christianam fidem & ritus Christianos edocta est gens Æthiopum sive Abassinorum, atque eadem summâ consensione & religione retinet servatq; hodienum, uti tradunt, qui historiam illius gentis nobis reliquerunt. Nos inde colligimus nullas esse missas solitarias in Ecclesiâ Æthiopicâ. Nihilominus possit quis perinde cum Mülmanno objicere, non sequi hinc, nullas in Ecclesiâ Æthiopicâ celebrari missas sine communicantibus, non prohibitum tamen esse celebrare, si populus non adsit, aut communicare nolit.

XXCIV. Quid igitur respondebimus? Num concedemus haberi missas sine communicantibus in Ecclesiâ Abassinorum? Non opus est isthoc facere. Novimus enim nullas apud eos synaxes sine communione fieri. Audiatur Christophorus Madridius Jesuita, libro de frequenti communione. cap. 4. Th. 70. Verba ejus jam ante in exercitatione recitavi, ex quibus duo colligo, I. Omnes missas apud Abassinos publicas esse, nullas solitarias: Deinde sensisse Madridium, idem apud veteres obtinuisse. Audiatur quoque Fr. Alvarez, is, qui ante seculum legato jussu Emanuelis Regis Lusitaniæ in Æthiopiam eunti comes additus sexennium iis in terris commoratus est, & à quo hæc accepisse videtur Madridius. Itin. c. 81. & 84. Is verò ait, *quum missæ, quam celebrabat, jussi essent à Rege interesse ex Abassinis multi tùm laici tùm clerici, displicuisse ipsis omnibus, quòd unus totam rem conficeret, nec quisquam ex adstantibus particeps fieret*, & XIII. Quum dixisset in omnibus Ecclesiis & monasteriis regni Æthiopici, unam tantùm missam diebus singulis celebrari, subjicit, monachis quoque in monasterio S. Michaelis admodum displicuisse, *quòd unus tantùm rem divinam faceret. Apud eos enim nunquam Eucharistiam celebrari, nisi saltem VII. aut verò etiam tres adsint.* Quum igitur hodie Abassinorum idem fere sit institutum, eadem consuetudo, quæ olim fuit veterum in antiquâ Ecclesiâ Christianorum, non video, quid aliud quàm partium studium moveat Mülmannum, ut nolit concedere, æquè atque hodie nullæ sunt apud Abassinos missæ, ita similiter nullas quoque in antiquâ Ecclesiâ habitas. In Græcâ autem & Orientali Ecclesiis, etsi quidem non obtinet, ut communicent omnes, quotquot præsentes sunt, solitariæ tamen missæ nullæ sunt, quantum quidem constat. De Græcâ quidem Ecclesiâ res satis certa est: Nam & fatentur Johannes Cochlæus & Gilbertus Genebrardus ita se rem habere, Disc. Aug. Conf. Præf in lit. Præsanctif. tum etiam idem probari facilè potest ex illustrissimi Principis Nicolai Christophori Radzivili historiâ peregrinationis Ierosolymitanæ, quam superioris seculi anno XXCV. suscepit. Græcæ verò Ecclesiæ ritus sequuntur ferme reliqui in Oriente Christiani. De Co-

ptis quidem, qui sunt Ægyptii, & truncatâ voce ab Arabibus Cupti appellantur, nullas apud eos missas fieri solitarias, disertè tradit Christophorus Fürerus ab Haimensdorff, & de Armenis idem affirmat David Chytræus oratione, quâ statum Ecclesiarum in Asiâ, Græciâ & Boemiâ exponit. Quod igitur Albertus Pighius ait, *missas privatas ab Indis quoque & Armenis observari*, quum nullius autoritate adstruat, eâdem facilitate contemnitur, quâ ab ipso assertum est.

Itiner. p. 195.
Controv. 6.

XXCV. Expendant jam æqui & moderati homines, utrius partis causa melior & justior sit. Facit pro nobis Salvatoris nostri exemplum & institutio, facit solennis Apostolorum usus; Stat à partibus nostris universæ antiquæ Ecclesiæ publica consuetudo, & Ecclesiarum omnium quotquot præter Romanam per universum orbem diffusæ sunt, unanimis consensus; militant nobis denique liturgiæ omnes veteres & recentes, & ea quoque, quæ in Romanâ Ecclesiâ obtinet. Accedit demum votum Conciliorum Tridentini & Treverensis, & multorum in Romanâ Ecclesia Doctorum, ut ita, si actum agere operæ pretium esset, facillimum foret juxta methodum Adami à Contzen ex veterum Patrum & conciliorum scriptis & decretis, Concilium Generale, pium & liberum, & quidem longè meliori jure colligere. Pontificii verò, quid habent, quod prætendant, nisi incuriam & desidiam populi, multitudinem presbyterorum, & si quæ aliæ sunt nullius momenti rationes. Poterant quoque addere cum Parisiensi concilio incuriam & avaritiam presbyterorum. *Cupiditas enim*, sunt verba Guilielmi Peraldi, *pluralitatem missarum adinvenit, & forsitan, si nihil offerretur communicanti, nunquam fuisset pluralitas missarum introducta in Ecclesiâ Dei.* Nolim tamen negare, etiam piis nonnullis & devotis hominibus ex pio Zelo hanc consuetudinem missas sine communicantibus celebrandi placuisse, sed valde dubito, an in ejusmodi cultu, qui præter Christi institutionem, & antiquæ Ecclesiæ autoritatem instituitur, quicquam aliud summo numini, præter intentionem & animum rectè agendi & ipsi serviendi, placere possit.

L. 2. de Pace Germ. c. 22.
l. 1. can. 48.
Tom. 2. Tract. 4. p. 2. de avar. cap XI. de pluralitate missarum.

XXCVI. Expendant autem, quibus adhuc amor reliquis inest æquitatis & moderationis, annon par uti obique sit ratio, tùm ne liceat sacerdoti missas celebrare sine ministris, tùm etiam, ne idem ipsi sine communicantibus liceat. Cur enim major ratio haberi debet verborum, quæ Ecclesia dein addidit, qualia *Pax vobis*, *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, & similia, quàm eorum, quibus & Servator noster ipsemet usus est, & eadem à nobis quoque adhiberi voluit. Concilium Carthaginense habitum anno CDXIX. vetat canone XVIII. qui itidem XIIX. est in Codice canonum

Eccle-

Ecclesiæ Africanæ, & XXCIII. inter canones concili Quini sexti, *ne corporibus defunctorum Eucharistia detur, Scriptum est enim*, inquit, *Accipite & edite, cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* Cur nós non similiter attentiùs expendimus verba, *Accipite & edite?* Quod si horum verborum sensus is non est, quem esse diximus, reliqua tamen sunt verba Canonis missæ, quæ utique ex intentione & sententiâ eorum, qui ea in canone recitari voluerunt, non possunt ad alios, nisi ad eos, qui cum presbytero communicant referri. Si igitur necesse est, ut adsint, qui respondeant, ne irrita & otiosa sint verba, *Pax vobis, Dominus vobiscum, Gratias agamus, Oremus*, & similia, cur itidem non est necesse, ut adsint, qui communicent, ne irrita sint hæc, *Memento Domine omnium circumstantium, Quotquot ex hâc altaris participatione sumserimus*, ne irritæ quoque sint orationes Postcommuniales. Eadem utrobique ratio, eadem est necessitas. Rectè igitur Espensæus: *Orationes Postcommuniales pro communicantibus, ut ex Rationariis Ecclesiasticis prædiximus, instituta, communione tamen desitâ retentæ sunt & alia in sacris plura, commonent potiùs quid olim factum sit; ac proinde facere debemus, quàm quid faciamus.* Et idem ad Constitutionem Caroli Magni, *auditum est aliquos presbyteros missas celebrare, & non communicare, quomodo verò dicere rectè poterit, si non communicaverit, Sumsimus Domine sacramenta*, sic notat: *Videritmus ergo, quomodo Imperator expenderit verbum, Sumsimus, & num eodem modo à nobis cum tot similibus orationibus expendi possit.* Tritum quidem est illud Patrum Tridentinorum votum, quod iisdem pæne verbis antè synodus Treverensis sub Johanne Archiepiscopo anno CIↃ. IↃ.XLIX. habita conceperat, sed his votis non proficitur, nisi ea etiam, quæ prohibent, quo minus votum impleri possit, removeantur. Ea verò ejusmodi sunt, ut à Pontifice & singulis in suâ diœcesi Episcopis facilè removeri possint, si singula ad primam, quantum quidem fieri potest, originem reducantur.

XXCVII. Nec verò juvat quicquam, quòd corruptelæ illæ satis antiquæ sunt, quòd in magnam Ecclesiæ partem invectæ. Antiquior vera doctrina, quæ in veteri & puriori Ecclesiâ recepta fuit, nec in aliquâ solùm Ecclesiæ parte, sed in universâ Ecclesiâ, quaquaversum illa patuit. Latius quoque patet hodiernum Ecclesia, quæ ignorat illam sine communicantibus celebrandi consuetudinem. Ignorant eam, quæ sunt in Oriente & ad meridiem Ecclesiæ, repudiarunt complures, quæ sunt in Occidente Ecclesiæ, & sunt forsitan etiamnum, fuerunt certè in Ecclesiis Romano Pontifici parentibus, qui mallent isthæc aliaq; mutata. Desinat igitur Mülmannus gloriari, *Si nihil aliud esset, quàm antiquissima tot seculorum recepta praxis & con-* Th. ult.

suetudo missas etiam sine communicantibus celebrandi, cujus initium ostendi non potest, existimari meritò deberet juxta communem SS. Patrum regulam, eam ab ipsis Apostolis usque ad nos manasse, & semper fuisse in Ecclesiâ observatam. Ep. 118. Ita verò B. Augustinus ait: *Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum in Ecclesiâ est saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri, sicut, quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum anniversariâ solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universâ, quacunque se diffundit Ecclesiâ.* Quomodo verò toto terrarum orbe ab universâ, quacunque se diffundit, ecclesiâ observatur, quod solius Romanæ Ecclesiæ limitibus circumscribitur? Num similiter missæ ἀκοινώνητοι ubique obtinent, & ab initio obtinuerunt, atque festa Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri JESU Christi? Quomodo antiquissima est missas sine communicantibus celebranti consuetudo, quæ octo circiter seculorum est, cujus in reliquis seculis nullum exstat vestigium? Quomodo, si ab Apostolis manavit illa consuetudo, vel si in veteri Ecclesiâ usitata fuit, expertes ejus sunt reliquæ præter Latinam Ecclesiæ, quæ tamen multa alia antiquissima statuta, quorum expressa mentio est in veterum scriptis, & quæ in Romanâ Ecclesiâ pridem abolita sunt, retinuerunt. Mirum, quomodo hæc quoque consuetudo ad illas non permanavit, si tam antiqua est, ut etiam Apostolos Epist. 118. autores habere credat Mülmannus. Desinat igitur istud Augustini usurpare, *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, de eo, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Opponat hoc iis, qui tale quid fastidiunt, quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quibus nihil placet, nisi quod novum est. Imprudens autem est, aut verò etiam temerarius Mülmannus, si totam Ecclesiam unius Romani Pontificis imperio definire ausit, & ejus pedo metiri, quicquid uspiam in universo orbe Christianorum est, quum numerosæ nonnullæ Ecclesiæ ne fando quidem quidquam per complura secula de Pontifice Romano acceperint. Videant igitur, qui, ut suam Ecclesiam ab omnibus erroribus & corruptelis immunem esse defendant, reliquas Ecclesias omnes damnant, ne vel hoc ipso piorum consortio & verorum Ecclesiæ membrorum nomine indignos sese reddant.

Atq;

Atque hæc nunc iterum, quàntum per vires ingenii licuit, de missis solitariis dixisse sufficiat. Deus Opt. Max. corruptelas omnes porro aboleat, & nos in sancta veritate confirmet.

FINIS.

Errata

Errata graviora.

In 1 Alphab. Pag. 1. Lin 10 Legatur *alium*. 3. l 33. deleatur *po*. 5. l. 23 & 24. legatur *institutionis*. 10. l. 8. *querela*. 16. l. 18. *diligenter*. 2 . l. 4 post signum ? claudatur parenthesis. l. 8. legatur *solitariarum* l. 28. *plurimùm* l 32. *vix*. 27. l. 3. *narrans* 3 l 28 *tempore* 39. l. 11. *Dominus*. 41. l. 34. *τεχνίζεις*. 43. l 33. *Lindanus*. 45. l. 7. deleatur (*tare*.) 46. l. 26 *dum*. 47 l. ·. ῃ l. 22. *verbis*. l. 27. *irrita*. 48. l. *aliàs*, 50 l. 36 *illa*. 51. l. 11. & 12. *per-egisse* 52. l. 9. *μ.ν*: quod erratum l. 10. & 30. recurrit. 54. l. ult. *Casaubonum*. 56. l antepenult. *ἰδιλο*. 57. l. penult. *ritus*. 59. l ult *peculiariter*. 65. l 12. *necessitate* 72. l. 14. *doctrina*. 73. l. 4. *refrigescente*. & l. 5. *quod*. 85. l. 10. *adeat*. & lin. 21. in marg. 166. 86. l. 4. *quot*. In 2. Alphab. Pag 3. lin. 21. *Lutherum* 5. l. 31. *Metropolitanis*. 6. l. 20. *ἀπροσδιόνυσον*. Idem occurrit p. 7. l 2. & lin. 28. p. 6. l. 34. *ad*. 9. l 34. *sententia*. 11. ult. *lis*. 16. l. 5. *avi*. & l. 30. *consummantes*. 18. l 25. *doceat* 24. l. 25 *τεχνίζει*. 75. l 6. *nisi* & l. 9. *ἀναυσίαν*. 27. l 20. *Clementem*. & l. 31. *ὁμωνυμίαν*. 29. l. 13. *totidem* & l. 22. *sacrificium*. 39. l 3. *siccis*. 40. l. 4 *mysteriis* 41. l 1. *rant*. 42. l. 25. *πάζειν*. 43. l. 9. *concionantium*. & l. 25. *μιξαινεία* 45. l 20. *la Greve*. l. 27. *impetrentur*. & l. 29. *integritatem* 49. l. 29. *Ecclesiasticarum*. 51. l. 3. *εὐλογίας*. 53. l. 21. *ὀφείλουσιν*. 55 l. 10. *προεστῶτος*. 24. *vovent*. 58. l. 1. *ἐμποιεῖν*. 62. l. 10. *ad omnes*. & l. 34. (*sc. Sacerdos*.) 69. l. 15. *diei*. 70. l. 27. *τελεσθῆναι*. 72. l. 1. *Constantius*, 73. l. 4. *τὸν ἱερὸν ἀσπαζόμενος*. & l. 25. *poterat*. 74. l. 31. *acervis*. 75 l. 5. *recondita*. l. 8. *l'antica*. l. 9. *sepolcri*. 76. l. 19. *martyrum*. 77. l. 26. *συνάξεως*. quod erratum recurrit pag. 78. l. 4. & p. 80. l 2. 78. l. 27. unum *nemo* deleatur. 80. l. 11. *consuetudinem*.

Cætera corrigat Benevolus Lector.